




P. MARTYR
A GOES














DE REBVS OCEANICIS ET NOVO ORBE, DECADES TRES, PETRI MARTYRIS AB ANGLERIA MEDIOLANENSIS.

ITEM EIVSDEM,

DE BABYLONICA LEGATIONE, LIBRI III.

ET ITEM

DE REBVS AETHIOPICIS,

Indicis, Lusitanicis & Hispanicis, opuscula quędã Historica doctissima, quæ hodiè non facilè alibì reperiuntur, DAMIANI A GOES Equitis Lusitani.

Quæ omnia sequens pagina latiùs demonstrat.

Cum duplici locupletissimo INDICE.

COLONIAE,
Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios. M. D. LXXIIII.

Cum gratia & Priuilegio Cæsareo.



CATALOGVS EORVM,

QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

PETRI MARTYRIS AB ANGLERIA *Mediolanensis, Oratoris clarißimi, Fernandi & Elisabeth Hispaniarum quondàm Regum à consilijs, ac Protonotarij Apostolici:*

REVERENDO AC GENEROSO DOMINO, DOMINO ANTONIO COMITI IN HOLSTEIN, SCHAVVENBVRG ET STERNENBERG, DOMINO *in Gemen, ac Metropolitanæ Ecclesiæ Colonien. Decano &c. Domino suo Clementissimo* S. P. D.



CVM omnes homines qui student sese præstare cæteris animātibus, summa ope niti deceat, Reuerende & Illustris D. Decane, nè præsenti solùm, quæ breuis, fluxa, & fragilis est, vita perfruantur: sed vt ea exacta & corpore laxati, in illum cœtum beatorum, vbi felices ac beati vitam agant, transferantur: Tum illud in primis diligenter prouidendum, nē à recta, ad veram illam beatitudinem ducente via, quæ sola est religio & fides Catholica, latum vnguē discedamus. Vnum quippe rerum omniū conditorem Deum, & Saluatorē nostrū

IESVM Christũ agnoscere, ac fateri non esse aliud nomen sub cælo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, in eo solo spem omnẽ salutis ac fidutiã collocatã habere: id demùm est, quod nos felices vereq; beatos efficere posſit, & sine quo nullus, quãtauis iustitiæ & sanctitatis laude excellẽs, salutẽ cõsequi potuit. Hæc est enim vita æterna, inquit is, cuius verbũ, cùm sit ipsa veritas, fallere neminẽ potest, vt cognoscãt te solum Deũ verũ, & quem misisti IESVM Christũ. Ornetur eximia laude virtutis Scipio ille, qui Senatûs decreto Romę inter ciues vir optimus iudicatus est. Laudetur virginũ Vestalium castitas, & Phocionis apud Græcos incredibilis continentia: Sit & suus Aristidi honos, qui ex virtute cognomẽtum, vt Iustus diceretur, gloriosè obtinuit. Nullius tamen iustitia, sanctitas, & virtus apud nos tanti erit, quã existimemus vllum hominẽ coram Deo beatum efficere potuisse, sine veri Dei cognitiõe, & fide vnius mediatoris IESV Christi. Atq; vt omnis iustitia & sanctitas, sine fide superuacanea est: ità & ipsa fides, nisì in ecclesia Catholica, nemini ad salutem proficere potest: cùm certũ sit, extra eam

non

non maiorē, quàm tempore diluuij extra arcā Noë, ſpem ſalutis vlli mortaliū eſſe propoſitā. Ex ea re factū eſt, vt aduerſarius noſter diabolus, quo intelligebat nobis ad ſalutē plus præſidij eſſe in fide ſolius eccleſiæ Catholicæ, hoc ampliùs laborauit perpetuò, vt eā quibus poſſet artibus & dolis opprimeret, ac funditùs deleret. Multis modis ab initio Chriſtianos afflixit, horrendis cùm Iudæorū tū Gentilium & Barbarorū infeſtationibus. Auferebat per illos opes, libertatē, patriam: carcere, metallis, tormētis excruciabat: vitam, qua nihil ſuauius, nouis mortibus eripiebat. Res ipſa tūc tēporis planiſsimè comprobauit, nō minuī Eccleſiā perſecutionibus, ſed augeri: non ſecùs, atquè vitem nimia quaſi luxuria ſe in omnes partes profundētem, dum ars agricolarum ferro amputans coërcet, nè ſilueſcat ſarmentis, non perditū iri, immò ad maiorē vbertatem fructuū, prouocari videmus. Dum hac minùs ſuccederet verſutiſsimo illi ſerpenti, alia aggreſſus eſt via, & quos perſecutionibus Tyrānorum fruſtrà tentauerat, eos cępit dolis & blanditijs hæreticorum ad fidem deſerendā ſolicitare per inſidias. Nō afficiebatur cor-

rum laniena in perſecutionibus: ſed per mortes noſtras ad animarũ internecionem viam affectabat: animas cupiebat iugulare, non corpora. Videbat ꝙ hęreſis tãtùm improbos ac ſceleratos apoſtatas faceret: perſecutio etiam ſanctos Martyres daret. Nõ ignorabat, tyrannum apertum hoſtẽ, dũ carceres, gladios, laqueos obiectat, quẽcunq; Chriſtianũ, ſi vellet, cauere poſſe: hæreticorum inſidias, qui ſub amici perſona, aut ſpecie pietatis obrepunt, paucisſimos aut prouidere ſatìs, aut effugere. Vndè ex hiſtorijs Eccleſiaſticis cõſtat, multo maiorẽ vaſtitatem & calamitatem attuliſſe Arrium, Donatũ, Iouinianũ, & cæteras peſtes Reip. Chriſtianæ, nefarijs ſuis dogmatibus, q̃ Neronem, Domitianũ, Deciũ, aliosq́ue tyrannos acerbisſima perſecutione. Quod & hac noſtra tempeſtate, proh dolor, videmus & experimur, conſilijs & perſuaſionibus ſceleratis quorundã impurisſimorum hominum, maiorem ab eccleſia Catholica breui tẽpore eſſe factã diſceſſionẽ, quantã nulla vis etiã immaniſſimi tyrãni cõficere potuiſſet. Ac mihi quidẽ, vt verum fatear, quantũ acerbitatis adfert hæc cogitatio de Germaniæ noſtræ exitio,

tio, tantum ex altera parte ſpei & ſolatij accedere ſolet, ex diuinę illius & immēſę bonitatis cōſideratione. Etenim ſic apud animū cogitare ſoleo, Deū ꝑ ſua omnipotentia dilectiſſimæ ſponſę ſuę eccleſię Catholicæ præſtare poſſe, nè perſecutionū aut hæreſeon procellis atteratur: ſed ꝓcul dubio ſecùs viſum ſuæ diuinæ prouidentiæ expedire. Commodū hîc occurrebat D. Pauli ad Corinth. dictum: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſint, manifeſti fiant, in vobis. Vndè colligere licet, Deo Opt. Max. viſum eſſe cōuenietiſsimum, vt eccleſiæ ſuæ fidē, q̃ ſit firma, conſtans, & ſtabilis, hęreticorū maleuolentia & calliditate probaret: atq; ità aduerſarijs, ſolam eccleſiā Catholicā, illā ipſam eſſe domum, quam, licèt pluuia deſcēderit, flauerint vēti, & irruerint in illam, diſijcere tamen atq; euertere omninò non potuerint, eô quòd fundata eſſet ſuper firmam petram: ſolā Catholicā eſſe illā Eccleſiā, cōtra quam portæ inferi non præualebunt: ſolam deniquè Catholicā eſſe illam, quę Apoſtolo ad Timotheum dicitur Eccleſia Dei viui, columna & firmamentū veritatis. Extra quā quicquid eſt, perfidia, mendaciū, impietas eſt: fides, ve

 ritas,

ritas, religio esse nõ potest. Ad hanc cogitationẽ, quã sensi nõ mediocriter cuiusque hominis pij animũ cõfirmare posse, accedebat illa diuini fauoris in hãc candẽ tot modis afflictã ecclesiã indubitata testificatio, ꝙ nõ multo antè q̃ cœpit sanctissimæ religionis sinceritas in Europa schismatibus labefactari, terras nouas Maioribus incognitas, Regibus Catholicis, ductu atq; auspicijs cùm aliorũ, tũ in primis Christophori Coloni siue Colũbi, & Alberici Vespucij, patefecit. In quibus innumera penè barbararũ gentiũ regna, magna alacritate ad eã fidẽ accedant, quã nostri homines in Europa velut idololatriã, nõ sine detestãda ingratitudinis nota, respuunt, & cõtumeliosè aspernãtur. De rebus istarũ gentiũ, quemadmodùm primùm & nostris hominibus cognitę, & ab idololatria ad Catholicã religionem cõuersæ fuerint: itẽq; de totius terrę situ & qualitate, incolarũ quoquè ritu & moribus: adhæc de fide, religione & moribus Aethiopũ: itẽq; de rebus Indicîs, Babylonicis, Lusitanicis & Hispanicis, cùm mihi nupèr oblati essent aliquot libelli accuratissimè cõscripti, Petri Martyris, & Damiani à Goes, multo tẽpore à doctissimis plerisq; viris desiderati: operępre-

cium me facturũ ſum arbitratus, ſi eos ob argumenti ſimilitudinẽ coniungerẽ, & nõ mihi ſoli eorũ lectionẽ, ac quę indè ꝓfluit ac prománat voluptatẽ retinerẽ, ſed cũ pijs omnibus & Chriſtianæ religionis amãtibus viris cõmunicarẽ. Quorũ librorũ lectionẽ, cùm C.T. pro ſingulari in Catholicam religionẽ ſtudio ac zelo, haud ingratos fore cõſiderem, viſum eſt mihi, ſub nominis tui feliciſſimis auſpicijs in lucẽ hoc tẽpore emittere: vt C.T. grauioribus occupationibus Eccleſiæ laſſa, haberet, quo nõ ſine maxima vtilitate animũ colligere, & tẽporis tædium ſumma cũ voluptate fallere poſſet. Nũc quod reſtat, Reuerẽde & Illuſtris D. Decane, Deũ precor, qui C. T. ſummã iuuãdæ Eccleſiæ ſuę voluntatem, propter liberalem & Catholicã primę ætatis inſtitutionem tribuit, vt eam mentem C. T. velit eſſe perpetuã. Huc C.T. inuitat nobiliſſima & antiqua Schavuenburgenſiũ familia: quã vt Crantzius noſter nõ vno in loco magnificis laudibus meritò extollit, ità ſatis celebrẽ reddiderũt duo illa nõ veſtrę ſolũ familię, vt ego arbitror, ſed totius penè Germanię magna columina, feliciſſimę recordationis Principes

ac Domini lõgè Optimi & Clementiſs. D.D. Adolphus & Antonius, ambo Colonienſis Eccleſiæ laudatiſsimi Archiepiſcopi,& C.T.Patrui. Quorũ imagines ſemper cùm C T.ante oculos poſitas intueatur,vehemẽter C.T.animũ ad virtutem accẽdere & inflãmare debẽt, vt quũ ea ſit eiuſdẽ ſtirpis & nominis, cupidiſſimè ſequatur illorũ fidẽ, & vitã innocentiſſimè actã, donèc eorũ famã & gloriã C.T.virtute ſua adęquauerit. Huc vocat C.T.p̃terita ętas,quã ità egit, vt nihil in ea ſordidũ & deforme ſpectatũ fuerit:vndè bonos oẽs in eam ſpem C. T. adduxit, vt à reliqua C.T.vita, ampla omnia, eximia & p̃clara porrò expectare non dubitent: Porrò ea, quã cũ ampliſſima dignitate ſuſtines,perſona,C.T.cohortatur ac monet,vt ad Catholicæ religionis cõſeruationẽ,omni ſtudio & labore incũbat, vt corrigere nobis & reſtituere ſtudeat illa,q̃ vel hominũ improbitas deprauauit, vel temporũ noſtrorũ iniquitas & malitia deleuit,aut certè nõ parũ obſcurauit. Benè valeat C.T. & noſtrũ conatũ atque animũ boni cõſulat. Datũ Colonię III. Non.Auguſti,Anno 1574.

R. T. C. Officioſiſsimus

Geruinus Calenius Lippienſis, I. Licent.

ILLVSTRISS. PRINCIPI CAROLO REGI CATHOLICO, PETRVS MARTYR.

SERVAVIT diuina prouidentia, ex quo fabricare vniuersum constituit, immensæ vastitatis occidentalis Oceani agnitionem ad nostra vsque tempora: in quibus tibi, potentissime Rex, maternorum auorum felicibus auspicijs, patefacta est. Eadē, nescio quo vrgente fato, ex natali patria Mediolano, mox ex vrbe Roma, vbi ferè decennium egeram, ad Hispaniam me videtur impulisse, vt hæc ego miranda, nouaq; particulatim colligerem, quæ fortè aliâs, in voraces fauces obliuionis demersa, latuissent: historicis Hispanis, egregijs quippe viris, de generalibus tantùm harum rerum inuentis curam habētibus. Non tamen soli mihi huius sumpti laboris gratiam vendicare intendo: Ascanio vicecomiti Cardinali vicecancellario prima debetur: qui me discedere iam volentē ex Vrbe, vt Granatensi bello interessem, dissuasit abitum primò: mox videns id mihi animo fixum sedere, hortatus est, immò & rogans imperauit, vt quæcunq; in Hispania emergerent, ad eum conscriberem. In Hispaniām concessi, expeditionis eius visendæ studio, quòd in hostes nostræ fidei sumpta esset, nilq; mihi iuueni & rerum nouarum cupido præberet Italia, vndè ingenium pascerem, ob eius principes discordes. Bello interfui: per epistolas diarias, quæ gerebantur, à me Ascanius Cardinalis habebat. Fortuna eius ex altrice mutata in nouercam, cessi à scribendo. Purgata, stratis hostibus, Hispania, Mau-

róque

róque malo gramine extirpato, nè labentes annos ocio indecenti contererem, in Italiã regredi meditabar. Amborum regis & reginæ catholicorum, vita functorum, singularis erga me benignitas, & simul ampla pollicita, post reditum præcipuè à legatione mea Babylonica, me detinuerunt. Fixisse tamen pedem haudquaquàm pœnitet: tum quia nullibì terrarũ hoc tempore æquè præclaras res fieri videbam, tum etiam quòd ex Christianorum principum dißidijs ruere omnia in præceps, depopulari agros in vniuersa ferè Italia, & humano sanguine impinguari, atque vrbes hostiliter diripi, virgines, nuptasq; cum bonis patrijs in prædam trahi, miseros innocentes viros ac genitores intra proprios lares inermes etiam & gratuitò crudeliter trucidari, querulis clamoribus nõ audiebam modò, sed penè sentiebã. Neq; enim affinium & propinquorum meorum sanguis ab ea fera sæuitia immunis euasit. Dum sic morarer, Cardinalis Aragonius Frederici regis patrui sui nomine, sequentes primæ Decadis octo libellos epistolares, visis duobus Ascanianis, à me exegit. Vacuũ omni cura demùm de rebus Oceaneis, Apostolici nuncij viri celeberrimi, nostri summi Pontificis Leonis Decimi nomine, (cuius felici consilio & authoritate, speramus ærumnosis tot calamitatibus Italiam aliquandò finem imposituram) me dormientẽ excitârunt. Ad eius Sanctitatem breuibus epistolaribus libellis compactas duas Decades addidi primæ, quæ me inconsulto prælis fuit impressorũ exposita. Nũc ad te venio, serenißime Rex, à quo parumpèr vagatus sum. Quòd vniuersam tibi aui materni subdiderint Hispaniam, angulo excepto: quòd pulchram tibi, cum feracibus nostri maris insulis, Parthenopen reliquerint, magnum quidem, & ea nos per

anna-

annales annotauimus: sed pace Maiorum dictum velim, quicquid ab initio mundi gestum scriptumq́ reperio, meo iudicio parùm est, si pensitauerimus, quas tibi, Rex potentißime, nouas terras, quæ noua maria, quàm varias nationes & linguas, quales aurifodinas, quæ margaritarum viuaria, prouentibus aliįs omißis, parârunt. Quæ, qualia quantaq́ sint, tres Decades hæ patefacient. Veni ergò, veni Rex, electe à superis, ad nondùm ab hominibus intellectum rerum aliquod culmen: veni & propera. Aequinoctialem tibi circulũ latentem hactenùs, & furentem, atque ardore Solis adustam, antiquorum opinione, zonam, paucis exceptis, tibi paratam habemus, populis refertißimam, amœnã, vberem, fortunatißimam, auro & candentibus margaritis coronatas mille insulas: & vno putato continenti tres Europas offeremus. Veni, nouũ orbem amplexurus, nec tuî nos desiderio vlteriùs macerato. Hinc hinc, tenelle Rex clarißime, instrumenta, quibus totus tibi páreat orbis, comparabuntur. Valeat feliciter tua Maiestas, cuius gustui si sapidas fore culturæ nostræ sationes intellexerimus, vberiorem indiès illarum copiam plenis canistris offeremus. Qui sim, libellorum indices aperient. Ex Mantua Carpetana, vulgò Madrid, pridiè Cal. Octob. Anno M. D. XVI.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM EARVMQVE PRAECIPVE QVAE AD GEOGRAPHIAM PERTINENT, INDEX.

Diligenter tamen interim obseruati sunt gentium mores & instituta, neque quicquã omissum, quod lectorem vel iuuare, vel delectare possit.

arbo-

baros

dieci

fer-

guadal-

laer.

maragno-

nili

poma

ser-

cre

vespu-


FINIS INDICIS.

IO. RVFFVS FOROLIVIENSIS Archiepiſcopus Conſentinus, Legatus Apoſtolicus, ad Lectorem

DE ORBE NOVO.

Accipe non noti præclara volumina mundi,
Oceani & magnas noſcito, Lector, opes.
Plurima debetur, Typhis, tibi gratia, gentes
Ignotas & aues qui vehis orbe nouo.
Magna quoq; authori referēda eſt gratia noſtro,
Qui facit hæc cunctis regna videnda locis.

PETRI



PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, CONSILIARII REGII, OCEANEAE

Decadis primæ liber primus, ad Ascanium Sphorciam vicecomitem, Cardinalem, vicecancellarium.



SOLEBAT grata vetustas ꝓ dijs habere viros, quorum induſtria & animi magnitudine, ignotæ Maioribus eorum terræ panderentur. Nobis autẽ, qui Deum habemus vnicum, ſub triplici perſona quem colamus, reſtat, vt huiuſcemodi genus hominũ ſi non coluèrimus, admiremur tamen: reges verò obſeruemus, quorum ductu & auſpicijs datum eſt illis cogitata perficere: vtroſque etiam extollamus, & pro viribus illuſtremus iure merito. Quarè de inſulis maris occidui nupèr repertis, & rei authoribus quid referatur, habeto: hoc ſiquidem tuis literis vehementer cupere vidéris. Ab ipſius ergò initio, nè ſim cuiquã iniurius, exordiri eſt animus.

Chriſtophorus Colonus quidam Ligur vir, Fernando & Eliſabethæ regibus catholicis propoſuit & ſuaſit, ſe ab Occidente noſtro finitimas Indiæ inſulas inuenturum, ſi nauigijs & rebus ad nauigationem attinentibus inſtruerẽt: à quibus

Chriſtophorus hic, Colũbus cognominatur aliàs.

augeri Christiana religio, margaritarum, aromatum, atque auri inopinata copia haberi facilè posset. Instanti, ex regio fisco destinata sunt tria nauigia: vnum onerarium caueatum, alia duo mercatoria leuia sine caueis, q̃ ab Hispanis Carauelæ vocantur. His habitis, ab Hispanis littoribus, circiter Calendas Septemb. anni secundi & nonagesimi supra quadringentesimũ & millesimum à nostra salute, iter institutum, cum viris Hispanis circiter ccxx Colonus cœpit. A Gadibus in alto Oceano Fortunatæ, vt multi putant, insulæ, quæ ab Hispanis Canariæ nuncupantur, iampridèm repertæ, distant millia passuum mille & ducenta, secundùm eorum rationem: dicũt enim distare tercẽtum lequas: singulas autem lequas nauigationis periti, quatuor millia passuum continere suis computationibus aiunt.

Fortunatis insulis vndè nomen. Fortunatas insulas ob cæli temperiem appellauit antiquitas: neque enim grauis vrget incolas hyems, neque atrox æstas. Sunt tamẽ qui eas velint esse Fortunatas, quas Capitis Viridis insulas, Portugallẽses appellant. *Canariæ insulæ.* Canarias, ad hęc vsque tempora hominibus nudis, eô quòd extra omne clima Europæ ad meridiem, & sine vlla religione degentibus, habitatas, Colonus aquãdi, & reficiendarum nauium gratia, priusquàm se tam duro labori crederet, adiuit. Non insuaue futurum arbitror, quandoquidem in Canarias incidimus, si ex ignotis quomodò notæ, si ex incultis quomodò cultæ sint effectæ, narrauerimus: longa nanque annorum curricula incognitas iam obliuioni tradiderant. Hæ insulæ septẽ, Canariæ dictæ, anno circiter millesimo cccc v à Gallo nomine Betanchor, ex concessione reginæ Catharinæ, regis Ioannis filij sui, dum infans esset,

esset, tutricis, repertæ fortè fortuna fuerunt. Pedem ibì fixit per aliquot annos Betanchor, duasq́ꝫ ex illis occupauit ac redegit in cultum, Lanzelotam & Fortem Venturam. Eo mortuo, hęres eius Hispanis viris precio insulam vtranqꝫ præbuit. Fernandus dehinc Peraria & vxor eius, Ferream & Gomeram inuaserunt. Nostris temporibus tres reliquas, Canariam magnã scilicet, Petrus de Vera nobilis Xericij ciuis, & Michaël de Moxica. Palmã autẽ ac Tenerifen Alphonsus Lugo, sed impensa regia. Gomeria deindè ac Ferrea, non cũ magno labore subditæ sunt. Sed Alphõsus Lugo duriusculè rem perfecit: gens enim illa nuda, syluestris, saxis & fustibus bella gerẽs, semèl eius exercitum fugauit, trucidauitq́ꝫ circiter quadringentos: tandẽ eos deuicit. Ità Canariæ omnes ad Castellanã additæ sunt potentiam. Ab his igitur insulis Colonus, occidentem solem semper secutus, licèt in læuam paulispèr, tres & triginta continuos dies, cælo tãtùm & aqua contentus, nauigauit. Hispani comites, murmurare primùm secretò cœperunt, apertis mox cõuicijs vrgere, de perimendo ductore suo cogitare: demùm, vel in mare proijciendo, consulebatur: se deceptos fuisse ab homine Ligure, in præceps trahi, quà nunquàm redire licebit. Post trigesimum iam diem furore perciti, proclamabant, vt reducerentur: nè vlteriùs procederet, stimulabant hominem: ipse verò, blandis modò verbis, ampla spe modò, diem ex die protrahens, iratos mulcebat, deposcebat: proditionis quoquè taxandos esse à regibus, si aduersi quicquam in eum molirentur, & si parére recusarent, prædicabat. Optatum tandem terrę prospectũ læti suscipiunt. Patefecit nauigatione hac

al* Teneriffen

prima, ſex tantùm inſulas, atq; ex ijs duas inauditæ magnitudinis: quarũ alteram Hiſpaniolã, Ioannam alteram vocitauit: ſed Ioannã eſſe inſulã, non pro certo habuit. Illarum quarundam littora cum abraderent, cantantem inter condenſa nemora philomenã menſe Nouembri audiêrunt. Dulcium aquarum ingentia flumina, natiuos portus, magnarum claſsium capaces, adinuénit. Ioannæ littora lambẽs, ad Occidentem à Septentrione recto latere non multo minùs octingentis millibus paſſuum percurrit, (aiunt enim centũ & octoginta lequas) continentem arbitratus, q; neque terminus, neq; termini vllius ſignũ in inſula, quantùm oculis proſpectus inſeruiebat, apparéret: retrocedere inſtituit: redire etiam illum pelagi tumores coẽgerũt: nam Ioannæ littora per varios inflexus tantum iam ad ſeptentrionem ſe vertebant, & curuabantur, quòd boreales flatus naues acriùs infeſtarent, quoniam hyems vigebat. Ad Orientem igitur proras vertens, Ophiram inſulam ſeſe reperiſſe refert: ſed Coſmographorum tractu diligenter conſiderato, Antiliæ inſulæ ſunt illæ & adiacentes aliæ: hanc Hiſpaniolam appellauit: in cuius ſeptentrionali látere tentare locorum naturam cupiens, terræ appropinquabat. Cùm in planam quandam & cæcam rupem aquis coopertam, carina grandioris nauis íncidens, aperitur & perſtat, ſaxi latẽtis planities fuit illis, nè ſubmergerentur, adiumento: cum reliquis igitur duabus properantes, viros omnes incolumes educunt. Ibì primùm ad terrã egreſſi, homines indigenas viderũt: qui venientem inauditam gentem conſpicati, facto agmine, in condẽſa nemora omnes, velutì à canibus Gallicis timidi lepores, ſeſe fugientes recipiunt. Noſtri

Philomenarum in Nouemb. cantus.

ſtri multitudinem inſecuti, mulierem tantùm capiunt: hanc cùm ad naues perduxiſſent, noſtris cibis & vino benè ſaturatam, atque ornatam veſtibus, (nam ea gens omnis vtriuſque ſexûs, nuda penitùs vitam ducit, naturâ contenta) ſolutam reliquerunt. Quum primùm ad ſuos mulier conceſſit, (ſciebat enim illa, quò fugiẽtes diuerterent) oſtendiſſetq́ mirum eſſe noſtrorum ornatum & liberalitatem, omnes ad littora certatìm concurrunt, gentẽ eſſe miſſam è cælo autumant. Aurum, cuius erat apud illos aliqua copia, ad naues natando portant: pro fruſto aut paropſidis fictilis, aut vitrei cratéris, aurum commutabant. Si ligulam, ſi tintinnabulum, ſi ſpeculi fragmentum, ſi quicquam aliud ſimile noſtri impartiebantur: tantum auri, quantum petere libebat, aut vnuſquiſque eorum aſſequebatur, exhibebant. Cùm iam res ipſa ad familiare commercium deueniſſet, & gentium mores noſtri perquirerent, reges habere gentem illam per ſigna & coniecturas cognouerunt. E nauibus deſcendẽtes noſtri, à rege & reliquis indigenis honorificè recipiuntur: noſtris, omnibus quibus poterant & ſciebãt modis, aſſurgebant. Sole ad occaſum vergente, noſtris, dato ſalutationis Angelicæ ſigno, genua Chriſtiano ritu flectẽtibus, itidèm illi faciebant. Crucem quocunque modo Chriſtianos colere conſpicerent, adorabant. Ex naui quam ſaxo illiſam diximus, noſtros homines & quicquid in ea vehebatur, ità celeriter atque animo læto gens illa in terram ſuis lintribus, quas Canóas vocãt, eduxerunt, quòd affines affinibus apud nos nulli maiore miſericordia tacti ſuccurrant. Canóas autem illas, ex ſolo cauato acutiſſimis lapidibus ligno, longas, ſed anguſtas, conſtruunt: mo- *Admirãda homiñũ humanitas.*

noxyla ꝓpptereà esse dicemus. Octoginia remigũ capaces plerasq; se vidisse multi affirmant. Vsus ferri apud eos nullus inuenitur: propterea quo modo siue domos, quas mira arte laboratas videbant, siue alia quæcunq; ad eorum vsum pertinentia, fabricarẽt, maxima nostros detinuit admiratio: sed ex fluuialibus quibusdam durissimis lapidibus præacutis omnia apud illos diduci, certum est. Esse non longè ab illis insulis quorundam ferorum hominum insulas, qui carnibus humanis vescãtur, fama didicêre: id esse causæ, quòd ità trepidi aduentantes nostros confugerent, posteà retulerunt, Canibales arbitrati: sic truculentos illos, siue Caribes, vocant. Horum obscœnorũ insulas, itinere ferè in medio ad has insulas, ad meridiem reliquêre. Suas insulas ij mites à Canibalibus non aliter incursionibus crebris vexari perpetuò ad prædam conqueruntur, atque per nemora venatores per vim & ꝑ insidias feras insectantur. Quos pueros capiunt, vt nos pullos gallinaceos, aut porcos, quos ad obsonia volumus pinguiores & teneriores educare, castrant: grandiores & pingues effectos comedunt: ætate autem iam matura cùm ad eorũ manus perueniunt, peremptos partiuntur: intestina & extremas membrorum partes recentes epulantur: membra sale condita, vt nos pernas suillas, in tempora seruant. Mulieres comedere apud eos nefas est & obscœnũ: si verò quas assequuntur iuuenes, ad sobolem procreandam, nõ aliter atq; nos gallinas, oues, iuuencas, & cætera animalia, curant & custodiunt: vetulas ad obsequia ꝓstanda pro seruis habent. Insularum, quas nostras iam possumus appellare, tam viri quàm fœminæ, cùm Canibales aduentare præsentiunt,

Incredibilis quorũdam hominum immanitas.

aliam

aliam quàm fuga ſalutem nullam inueniunt: ſagittis arundineis præacutis licèt vtantur, ad Canibalium tamen vim & furores reprimendos parùm prodeſſe comperêre: decem enim Canibales, centum ex alijs facilè, ſi concurrant, ſuperaturos, omnes indigenæ fatentur. Quid vtraque gens, præter cælum atque eius lumina, adoret, non ſatìs exploratum habuerunt. De reliquis inſularium moribus, breuitas temporis atque interpretum inopia, plura noſcere non permiſerunt. Radicibus ij mites, noſtris napis & magnitudine & forma, ſed guſtu dulci, caſtaneæ teneræ adhuc ſimilibus, ad cibum vtuntur. Has, ages vocant ipſi. Eſt & aliud radicis genus, quam iuccam appellant, ex hac & panem conficiunt. Agibus verò magìs aſſis aut elixis vtuntur, quàm ad vſum conficiendi panis. Iuccam verò ſectam & compreſſam, ſuccoſa nanque eſt, pinſunt, & in placentas coquunt. Sed mirum hoc: aconito lethaliorem eſſe aiunt iuccæ ſuccum, qui epotus, ilicò perimit: panem autem ex eius maſſa, ſapidum & ſalubrem eſſe omnes experti ſunt. Panem & ex frumento quodam panico, cuius eſt apud Inſubres & Granatenſes Hiſpanos maxima copia, non magno diſcrimine conficiunt. Eſt huius panicula longior ſpithama, in acutum tendens, lacerti ferè craſsitudine. Grana miro ordine à natura confixa, forma & corpore piſum legumen æmulantur: albent acerba: vbì maturuerunt, nigerrima efficiuntur: fracta, candore niuem exuperant: maizium, id frumenti genus appellant. Et eſt apud eos aurum alicuius æſtimationis: nam auricularum torulis & naribus perforatis inſertum, in tenuiſsimas diductum laminas, ferunt.

Inſularum cibi.

Cùm tamen neque ad eos commeare mercatores, nec ipsos alia littora noſcere præter ſua, noſtri didiciſſent, quærere ab eis per ſigna cœperunt, vndè ſibi id aurum compararent: quantùm ſignis colligere licuit, ex fluuiorum arenis ab altis montibus collabentibus id, neque magno labore lectum, in pilulas, priuſquàm diducerétur in laminas, adſtringebant. Non tamen in ea inſulæ parte, quam rex ille tenebat: quod poſteà patuit experimento: nam cùm inde iam diſceſſiſſent, fortè in flumen inciderunt, cuius arenam multo auro mixtam eſſe, cùm in terram aquandi & piſcandi gratia exilîſſent, perpenderunt. Nullum animal quadrupes ſe vidiſſe dicunt, præterquàm tria genera cuniculorum. Serpentes inſulæ nutriunt, ſed minimè noxios. Anſeres ſylueſtres, turtures, anates, noſtris grandiores, & cygneo candore, capite purpureo, repererunt. Pſittacos, quorum alij virides erant, alij flaui toto corpore, alij ſimiles Indicîs, torquati minio, vtì Plinius ait, quadraginta tulerunt, ſed coloribus viuaciſſimis & lætis maximoperè. Alas habent verſicolores, viridibus enim & flauis pēnis, quaſdam habent ceruleas & purpureas mixtas: quæ varietas parit delectationem. Hæc voluï de pſittacis, illuſtriſſime princeps, recitâſſe: quanuìs huius Chriſtophori Coloni opinio, magnitudini ſphærę & opinioni veterum de ſubnauigabili orbe, videatur aduerſari, pſittaci tamen indè abſportati, atque alia multa, vel propinquitate, vel natura ſolum Indicum has inſulas ſapere indicant: cùm præcipuè Ariſtoteles circa finem libri de cælo & mundo, Seneca, & alij non ignari Coſmographiæ, ab Hiſpania, Indica littora per Occidentem non longo maris tractu diſtare

Pſittaci miris coloribus inſignes.

atte-

atteſtentur. Maſticis, aloës, goſampij, atque aliarum huiuſcemodi rerum copiam, ſuapte natura tellus illa producit. Ex arboribus, velutì apud Seres, vellera colliguntur. Grana quædam rugoſa diuerſorum colorum, Caucaſeo pipere acutiora: ramalia etiam ex conciſis arboribus, cinamomi forma, guſtu autem & odore acrem zingiberim, & medulla & ſuperiore libro imitãtia, tulerunt. His igitur inuentæ nouæ telluris & inauditi alterius terrarum orbis ſignis contentus, proſpero reditu, flantibus zephyris iam, propter noſtrũ ver propinquum, redire conſtituens, octo & triginta viros apud eum regẽ, de quo ſuprà memorauimus, reliquit: qui locorum & temporum naturam, donèc ipſe reuerteretur, inquirerẽt. Is rex ab incolis dicebatur Guaccanarillus: cũ quo icto ſingularis amicitię fœdere, de vita & ſalute ac tutela eorum, quos ibì relinquebat, quibus potuit modis, egit. Miſericordia cõtactus rex erga noſtros, quòd alienis terris deſererentur, lachrymas effudiſſe viſus eſt, atque omnẽ opem pollicitus. Sic alter alterum complexi, ad Hiſpaniam Colonus rediturus, vela dari imperat: ſecũ decem viros ex illis abducẽs, à quibus poſſe omnium illarum inſularum linguam noſtris literis Latinis, ſine vllo diſcrimine, ſcribi compertum eſt. Vocant enim cælum, turéi: domũ, bóa: aurum, cáuni: virum bonum, tayno: nihili, mayáni. Reliquaq́ꝫ oĩa vocabula non minùs liquidè proferunt, atquè nos Latina noſtra. Hæc habes, quæ de prima eius nauigatiõe memoratu digna exiſtimauerim. Rex autem & regina, quorũ omnes cogitatus vel dormientium, in religionis noſtræ augmento ſunt ſiti, ſperantes ad Chriſti legem tot nationes & ſimplices gẽtes facilè trahi poſſe, ijs auditis commo-

uentur. Colonum aduenientem honorificè, vtì pro talibus ausis merebatur, tractāt. Sedere illum coram se publicè, quod est maximum apud reges Hispanos amoris & gratitudinis, supremiq́ obsequij signum, fecerunt. Præfectum marinum vocari deincèps Colonum imperant. Is Almirantus Colonus apud Hispanos nūcupatur. Fratrem etiam ipsius Bartholomæum Colonum, rei marinæ & ipsum peritum, Pręfecturæ insulæ Hispaniolæ titulo ornârunt. Hunc magistratum vulgò Adelantatum appellant. Almirantum igitur & Adelantatum, ac nauigiorum præsentia nomina, cætera etiam huiuscemodi, data opera suis aliquandò vulgaribus appellabo nominibus, quô apertiùs intelligar. Nunc ad institutum redeamus. Ex insulis, vtì in initio Colonus ipse, iam Præfectus marinus, pollicebatur, maxima eorum, quæ mortales omnes totis viribus sequimur, commoda prouentura creditum est. Duabus igitur his causis commoti sanctissimi hi duo consortes, XVII ad secundam expeditionem nauigia parari iubent, tria oneraria caueata magna, XII id genus nauium, quas dici apud Hispanos Carauelas scripsimus, sine caueis. Eiusdem generis duas aliquanto grandiores, atque ad sustinendas caueas propter málorū magnitudinē aptas. Huius classis parandæ curam Ioanni Fonsecæ, viro genere nobili, decano Hispalensi, ingenio atque animo pollenti, tradunt. Vltra ducentos & mille armatos pedites illi imperant conduci, inter quos omnium mechanicarum artium fabros & opifices innumeros stipendio accersiri iubent: equites quosdam cæteris armatis immiscent. Ad fœtus procreandos, equas, oues, iuuencas, & plura alia cum sui generis masculis: legumina, triticum,

cum, hordeum, & reliqua ijs similia, non solùm alimenti, verumetiam seminandi gratia, Præfectus apparat. Vites & aliarum nostratium arborum plantaria, quibus terra illa caret, ad eam important: nullas enim apud eas insulas notas arbores inuenêre, præter pinus palmásque, & eas altissimas, ac miræ duritiei & proceritatis ac rectitudinis, propter soli vbertatem: atque etiam ignotos fructus alias plures procreantes. Terram aiunt esse, terrarum omnium quas ambiunt sidera, vberrimam. Instrumenta omnia fabrilia, ac demùm alia cuncta, quæ ad nouam ciuitatem in alienis regionibus condendam faciunt, vnicuique artifici imperat. Ex fidis regijs clientibus plures hanc nauigationem, & rerum nouarum studio, & Præfecti authoritate promoti, sua sponte aggressi sunt. Secundis igitur velis, VII caléd. Octobris, anni III & nonagesimi supra quadringentesimum & millesimum à salute nostra, à Gadibus mouit. Fortunatas insulas calend. Octobris tetigêre. Ex Fortunatis vltima, dicitur ab Hispanis Ferrea, in qua nulla est alia potabilis aqua, præterquàm ex rore de arbore vnica in insulæ supremo dorso stillante assiduè, & in lacunam manu factam cadente. Ab hac insula vela in altum Oceanum, tertio idus eiusdẽ, cœpit protendere. Hæc nobis intra paucos dies ab eius discessu renunciata fuerunt: quicquid succedet, accipies. Vale felix. Ex Hispana curia, idibus Nouemb.

M. CCCC. XCIII.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, REGII'QVE CONSI- *liarij, Oceaneæ Decadis primæ liber secundus, ad Ascanium Sphorciam vicecomitem, Cardinalem, vicecancellarium.*



EPETIS, Illustrissime princeps, cupere te quæ accidunt in Hispania, de orbe nouo cognoscere: placuisse'que tibi, quæ hactenùs de prima nauigatione scripserim, insinuâsti. Accipe, quæ successerunt. Methymna Campi celebre oppidum est in Hispania, respectu vestri, vlteriore: & in ea parte, quæ Castella Vetus dicitur, à Gadibus circiter quadraginta millia passuũ distans. Ibì curia commorabatur, cùm circiter nono calẽd. Aprilis huius anni nonagesimiquarti, cursores ad Regem & reginam missi, aduẽtâsse XII ex insulis nauigia, retulerunt, Gades'que prospero reditu appulsa esse: sed nihil aliud se velle Regi & reginę ductor ipsarum nauium per nũcios significare ostendit, pręterquàm Præfectum marinum cum quinque nauigijs & nongentis hominibus, vestigandi causa, in Hispaniola permansisse: cætera se coràm recitaturum scribit. Pridiè igitur Nonas Aprilis, dux ipse classis, frater nutricis primogeniti regij, à Præfecto marino legatus aduenit: ab eo cæteris'que simul fide dignis hominibus, quæ mihi per ordinem interroganti fuerunt enarrata, vt tibi gratũ faciã, recensebo: accepi etenim ego quæ dederũt:

quæ autem dederunt, cognoſcito. Tertio Idus Octobris ex inſula Ferrea, Fortunatarũ vltima, ab Hiſpanis littoribus diſcedentes, cum claſſe nauium ſeptendecim in altum, vnũ & viginti ęquos dies, priuſquàm inſulam vllam attingerent, conſumpſerunt: ad læuam multo magìs, quàm itinere primo, aquilonem ſecuti, data opera vertêre proras: propterea in Canibalium ſiue Caribium inſulas, de quibus fama tãtùm apud noſtros erat notitia, inciderunt. Inſulam arboribus ità conſitam, quòd neq; vlnam quidem aut nudi, aut lapidei ſoli, conſpicere licuêrit, primùm viderunt. Hanc quoniã die Dominico ſors obtulerat, Dominicam placuit vocari: nulla ibì mora contracta, quòd deſertam eſſe pręſenſerũt, progrediuntur. His vno & viginti diebus octingentas & viginti lequas ſeſe arbitrati ſunt percurriſſe: adeò proſperi illos vẽti aquilones, à puppi ſecuti ſunt. Poſt breue ſpatium æquoris, occurrerũt inſulæ, diuerſis arboribus, vimine, trunco, radicibus & folijs, aromaticos & ſuaues odores emittẽtibus, refertę. Neq; homines, neq; vlla ſe ibì animalia vidiſſe, præterquàm inauditæ magnitudinis lacertos, referunt, qui in terrã ſcrutandi gratia deſcenderant: galánã hanc appellant. Ex eius inſulæ promontorio quodam mõte à longè viſo, diſceſsêre. A triginta millibus paſſuum ab hoc monte fluuium deſcendentem, magni fluuij latitudinis ſignũ, proſpexiſſe viſi ſunt. Hãc primam à Fortunatis, terram habitatam inueniunt: obſcœnorũ eſſe Canibalium, de quibus fama priùs acceperant, nũc experimẽto, & his interpretibus, quos primo itinere ad Hiſpaniam Pręfectus duxerat, cognouerunt. Inſulam peragrantes, innumeros, ſed XX tantùm aut XXX domorum ſingulos, vicos inueniunt.

ueniunt. Ordinem plateæ, tugurijs in gyrum circa plateam constructis, seruant. Quandoquidem de illorum domibus in sermonem incidimus, haud absurdū mihi fore videbitur, si, quales eas esse audiuerim, enarrauero. Ligneas oēs, & sphærali forma fabricatas esse, aiunt. Ex arboribus sublicibus altissimis terræ affixis, circūferentiam primùm domûs construunt: alijs postmodùm ab interiore parte curtis trabibus appositis, quæ exteriores altas, nè labantur, sustineant. Altarum cacumina in tentorij castrensis formam coniungunt ità, vt acuta culmina domus illæ oēs habeant. Tegunt deindè palmarum & quarundā aliarum similium arborum folijs, contextis modo tutissimo à pluuia. A trabibus curtis postmodùm ad trabes interiùs deductis funibus gossampinis, aut ex quibusdam radicibus sparto similibus contortis, lodices ex gossampino superimponunt. Gossipium nanq; nutrit insula suapte natura, sic lectis pensilibus ex rudi gossipio, quod Hispanum vulgus aglodonum, Italum bombasium appellat: vel stramine superiniecto vtūtur. Atriū habent, quod vulgares aliæ domus circumeunt, in quod omnes lusuri conueniunt. Domos vocāt boíos, media acuta. Duas ligneas statuas, rudes tamen, singulis anguibus ipsis inhærentibus eleuatis, conspicati, simulacra quæ colerent, arbitrati sunt: sed ad decorem ibì posita, postmodùm didicerunt: nam vtì suprà memorauimus, nihil adorare præter cæli numen creduntur: quāuìs ex gossipio texto laruas, in pictorū lemurū, quos se noctù videre prędicant, similitudinem, cōficiant.

Sed vndè digressi sumus, redeundum est. Aduentare nostros incolæ sentientes, domibus derelictis, tam viri q̃ fœminæ profugerunt. Ex pueris & mu-

& mulieribus captiuis, quos ex alijs insulis prædati fuerant, vel obsequij vel epularũ gratia seruatis, ad nostros circiter XXX confugiunt. Domos ingressi, habere vasa fictilia omnis generis, fidelias, orcas, cantharos, & alia huiuscemodi, à nostris non multùm dissimilia: atque in eorum coquinis elixas cum psittacis & anserinis carnibus carnes humanas, & fixas verubus alias assandas, comperêre. Penetralia & domorũ latibula quæritãdo, tibiarum & brachiorum humanorũ ossa accuratissimè apud omnes, ad cuspides sagittarũ conficiendas, seruari cognitũ est: ex ossibus enim illas, quòd ferro careant, fabrefaciunt. Cætera ossa, exesis carnibus, proijciunt. Inuenêre etiam caput nupèr occisi iuuenis trabi appensum, sanguine adhuc madidũ. Quæsitando verò insulam internè, septem alia flumina, præter id grandius, quod esse Bæti vbì Cordubam lambit, nostro autem Ticino latius aiunt, descendere per insulam mira riparum amœnitate, inuenerunt. Hanc vocant Guadalupeam insulam, à montis Guadalupi similitudine, vbì intemeratę virginis mirabile colitur simulacrum: Carucuêriam incolæ appellant: est Caribium primaria habitatio. Tulerunt ab hac insula septem psittacos phasianis grandiores, qui ab alijs psittacis colore lõgissimè absunt: habent enim totum corpus & vẽtre & tergo purpureum: ex longioribus plumis illis ab humeris lena dependet super purpureas breues, modo quo apud nostros ruricolas sępenumerò capones habere egoipse animaduerti: alarũ autẽ pennas versicolores tenent. Sunt enim earum glaucæ aliæ, aliæ purpureæ, flauis immixtæ. Psittacorum non minor est in omnibus insulis copia, quàm apud nos passerculorum, aut aliarum auium nostratium.

Ossa humana in sagittarũ vsum seruantur.

ſtratium. Vtì noſtri picas, turdos, & alia huiuſce-
modi ad delicias nutriūt, ità illi, quanuìs eorum
nemora pſittacis plena ſunt, pſittacos éducant, il-
los tamen deindè comedūt. Mulieres, quas ex
captiuis ad noſtros conceſsiſſe ſuprà dictum eſt,
munuſculis donatas ad Canibales adducēdos, ire
per ſigna Pręfectus imperat: nec enim illę, vbì la
terent, ignorabant. Hæ apud viros illa nocte com
moratæ, manè ſequenti Canibaliū plurimos, ſpe
munerum commotos, adducūt. Hi, noſtris viſis,
vel terrore, vel ſcelerū conſciētia permoti, inter
ſeſe exorto murmure, alter in alterum oculos fle
ctentes, cuneo facto ex inſperato, celerrimè, vt
multitudo auium, cōcitati, ad nemoroſas valles
pedem referunt. Noſtris igitur, qui inſulā inqui-
rendi gratia aliquot dies pererrauerant, in vnum
collectis, ſine vllo Canibale, fractis eorum lintri-
bus vniligneis, pridiè Idus Nouēbris ex Guada-
lupea ancoras eleuant. Viſendorum comitum,
qui primo itinere in Hiſpaniola veſtigandæ tellu
ris gratia ſuperiore anno relicti fuerāt, deſiderio,
Pręfectus permotus, à dextra lęuaq; plures inſu-
las nauigando quotidiè poſtergabat. Apparuit à
ſeptentrione grandis quædam inſula. Et qui pri-
ma nauigatione in Hiſpaniam vecti fuerāt, & qui
à Canibalibus redempti, vocari inſulam ab inco-
lis Madanina, affirmârunt, quā ſolæ mulieres in-
habitant. Ad noſtrorum aures primo itinere de
hac inſula fama deuenerat. Ad eas haud ſecùs Ca-
nibales certis anni temporibus concedere credi-
tum eſt, atquè ad Amazonas Lesbicas trāsfretâſ-
ſe Thraces, retulit antiquitas: & eodem modo fi-
lios ad genitores mittere ablactatos, fœminas au-
tem apud ſe retinere. Has mulieres ſubterraneos
grandes cuniculos habere aiunt, ad quos, ſi alio
quàm

quàm conſtituto tempore quiſquam ad eas proficiſcatur, cõfugiant. Vndè, ſi aut per vim, aut per inſidias tentare aditum ſequentes audeãt, ſagittis ſeſe tueantur, quas certiſsimas iácere creduntur. Hæc dant: hæc accipito. Ad hãc inſulam, propter boream ab ea flantem, non licuit peruenire: Vulturnum enim iam ſequebantur. Inter nauigandũ à conſpectu Madaninæ ad quadraginta millia paſſuum, non longè ab alia, quam vecti indigenæ populoſiſsimã, & rerum omnium victu neceſſariarum copia pollentem, eſſe aiebant, præterlabuntur: quoniam altis montibus inſtructa eſſet, Montem Serratum, illam vocant. Inter cætera quæ ab ijs quos vehebant, tum verbis, tũ ſignis colligere inter loquendum potuerunt, îſſe Canibales plerunquè venatum, veſcendorum hominũ gratia, ſupra mille millia paſſuũ à ſuis littoribus, didicêre. Altero die quandam aliam vident: cui, quòd ſphærica eſſet, ſanctæ Mariæ Rotundæ nomen indidit Præfectus. Nè moram traherent, aliam iterùm ſequenti ab iſto die, quam ſancti Martini nomine placuit vocitari, prætermiſit. In tertiũ indè diem aliam, cuius diametrale latus ab Oriente in Occidẽtem, centum & quinquaginta millia paſſuum eſſe iudicârunt, extrinſecùs cõſpexêre. Eſſe has inſulas omnes miræ pulchritudinis & fertilitatis accipiunt. Hanc vltimam, Beatam Virginem Antiquam dixerunt: à qua, pluribus alijs relictis, ad quadraginta millia paſſuum, cæteris omnibus grandior alia quædam occurrit, quam Ay Ay ab indigenis vocitatam, ſanctę Crucis nomine appellari voluẽrũt. Ancoras è proris iácere Præfectus, aquandi gratia, in hac imperat: triginta ibì viros in terram deſcendere naui qua ipſe vehebatur, iubet, qui loca tentarẽt: ibì canes inuenêre, quatuor

In mulieribus ſagittandi peritia.

in littore. Iuuenes ac fœminæ totidem ſtatìm protentis in ſupplicum modum lacertis, quaſi auxilium, & à manu gentis nefandæ libertatem expetentes, obuij noſtris efficiuntur: multo meliorem ſortem ſeſe conſecuturos, quæcunque illa foret, exiſtimantes. Canibales autem eodem, quo apud Guadalupeam, modo fugientes, ſe ad ſyluas receperunt. Biduum ibì commorati, & ſtantibus intereà noſtris triginta viris in inſidijs, eccè venientem à longè canóam è caueis ſpecularibus conſpexêre, qua octo viros cum totidem fœminis vectari aduertentes, dato ſigno, canóam noſtri adoriuntur. Appropinquantes noſtros viri ſimul & mulieres ſagittis mira celeritate & crudelibus ictibus transfigere cœperunt: ità priuſquàm ſeſe ſcutis contegere potuerint, vnum ex noſtris, qui Cantaber erat, quædam ex mulieribus peremerit, atque alium illa eadem, alia ſagitta acri vulnere tranſegerit. Venenatas ſagittas medicamenti quodam genere illinitas eſſe aduerterunt, acie ipſarum circunciſa, qua medicamen, nè diſcurreret, retineretur. Erat inter eos fœmina quædã, cui, vtì per coniecturas percipere fas erat, cæteri obtẽperabãt, atq; velutì reginæ aſſurgebant. Hanc filius iuuenis, toruus, robuſtus, ferociſsimi intuitûs, leoninæ faciei, comitabatur. Noſtri ergò, nè grauius malum à longè vulnerati perferrẽt, multo ſatiùs eſſe manum conſerere ducẽtes, remis agitata noſtra nauicula qua vehebãtur, Canóam impetu maximo inuertunt: ea in profundum miſſa, neq; pigriùs, neque rariùs natando, tam viri quàm fœminæ, ſpicula in noſtros dirigebant. Ad ſaxum quoddam aqua coopertum recepti, ſtrenuè dimicantes, tandèm capiuntur, vno interempto, & reginæ filio duobus

bus vulneribus confosso. In Præfecti nauim adducti, non magis feritatem ac vultûs atrocitatem deponebāt, quàm Libyci leones, cùm sese in vincula detrusos esse præsentiunt. Hos nullus est qui videat, quin scalpi sibi horrore quodam præcordia fateatur: adeò atrox tartareusq́ue est illis à natura & immanitate insitus prospectus: à meipso, & reliquis qui vnà mecum plerunquè ad illos intuendos Methymnæ confluxerunt, coniecturam facio. Ad iter redeo. Indiès magis atque magis procedentes, iam vltra quinque & quingēta millia passuum ad Aphricum priùs, deindè ad Fauonium, pòsteà ad Argestem, protenderāt, cùm pelagi quandam vastitatem immensam, insulis innumeris & miris modis inter se differentibus passim contextam, intrârūt: harum alias nemorosas atq; herbidas & amœnas, alias siccas & steriles ac lapidosas altissimorum montium saxeorum, transeundo videbant: quarum aliæ purpureos in nudis saxis colores, aliæ violaceos, aliæ candidissimos ostendebant: metallis & gemmis esse conditas, non desunt qui existiment. Sed nè illic naues firmarent, & obstitit maris intemperies, & frequentiæ insularum metus, nè fortè naues maiores saxo aliquo illiderētur. In aliud igitur tempus harum insularum inuestigatione dilata, quas ob multitudinem & cōfusam intermixtionem numerare non licuit, iter suum prosequuntur: sex tamen & quadraginta cum leuioribus quibusdā nauigijs, quibus non magno opùs erat fundo, intersecuerunt, maioribus nauibus ab alto scopulorum metu iter peragentibus. Archipelagus, Contexturam hanc insularum vocauêre. Ab hoc tractu procedentibus, itinere in medio iacet insula dicta ab indigenis Burichéna:

Horribilis in facie atrocitas.

hanc ſancti Ioannis inſulam appellauit: indè ſeſe plures ex ijs, qui à Canibalibus liberati fuerant, oriundos aiebant: populoſiſsimam, cultam, portuoſam, nemoroſamq́; eſſe inſulam fatebantur: eiúsque incolas ſumma cum Canibalibus odia atque inimicitias ſemper exercuiſſe. Non habent ipſi nauigia, quibus à ſuis finibus ad littora Canibalium poſsint transfretare: ſed ſi Canibales eorum terras prædæ gratia incurſionibus infeſtantes profligauerint, vt interdùm contingit, quòd belli euentus ſint incerti, vices reddunt eaſdem: alterum enim ante oculos alterius ſecant, aſſant, & rabioſis dentibus lacerant & vorant. Hæc omnia per interpretes indigenas, vectos in Hiſpaniam primo itinere, diſcebant. Hanc inſulam, nè moram traherent, prætermisêre. Attamen in eius vltimo ad Occidentem angulo, aquandi ſolùm gratia, pauci in terram deſcendêre: vbì more gentis eius domum inuenêre magnam & conſpicuam, quam vulgares aliæ duodecim, ſed deſertæ, circuibant: an quòd pro anni temporibus nunc ad montana, ratione caloris, nunc ad planities, quandò frigeſcit aër, tranſmigrent: an Canibalium timore domos penitùs dereliquerint, non planè conſtitit. Regem habet vnicum vniuerſa inſula, cui imperanti mira párent reuerentia. Circiter ducenta millia paſſuum huius inſulæ meridionale latus, quod abraſerant, protenditur. In mare noctù duæ mulieres & vnus adoleſcens ex liberatis à Canibalibus tranſilientes, ſeſe natando ad natale ſolum receperunt. Cum reliquis deindè optatam Hiſpaniolam, à prima inſula Canibalium quingentas lequas diſtantem, intra paucos dies attingunt: ſed infelici euentu, quòd omnes ſocios ibì relictos,

inter-

interemptos repererint. Eſt in huius inſulæ Hiſpaniolæ initio regio, Xamana ab incolis nuncupata. Ab ea ad Hiſpaniã prima nauigatione Præfectus rediturus cum decem illis indigenis, quos ſuprà memorauimus, vela tetendit, è quibus tres tantummodò ſuperſtites erant: reliquis, contraria terrarum, aëris & ciborum mutatione, defunctis. De tribus, cùm primùm Sãcteremus Xamanæ latus, ab eo ſic appellatum, attigit, vnum ſolui iubet: alij duo noctù ſeſe in mare furtìm deijciũt, natando profugiunt. Id Præfectus, octo & triginta hominum, quos ſuperiore anno paulò interiùs in inſula reliquerat, miſerandæ necis ignarus, nõ multùm ægrè tulit: interpretes ſibi non defuturos exiſtimans, quam ob cauſam hos non magnifaciebat. Vlteriùs aduectis noſtris parumpèr, Canóa oblonga multorum remigum occurrit. In ea frater Guaccanarilli eius regis, quem ſibi adſtricto fœdere, diſcedens ab inſula, deuinctũ amicitia Præfectus reliquerat, cui etiam noſtros maximoperè commendauerat, vno tantùm comitatus vehebatur. Is ad Præfectum duas imagines aureas, nomine fratris, dono ferẽs: de noſtrorum morte, vtì poſteà per rei euẽtum cognitum eſt, ſuo idiomate egit: ſed quoniam interpretes defuerant, eius colloquia nõ perpẽderunt. Cùm autem ad caſtellum ligneum & caſas, quas ſibi aggere circunducto noſtri conſtruxerant, perueniſſent, omnia in cinerem verſa, & ſilere omnia cognouerunt. Ea res Præfectum marinum cæteróſque viros graues deturbauit. Viuere tamen aliquem, etſi malè coniectarent, exiſtimãtes: tormenta & baliſtas igni ſuppoſito, vnà omnes exonerant, vt grauibus tonitruis, littoribus & altis montibus latè concuſsis, ſi qui inter homines, aut

inter ferarum latebras fortè metu perculſi degant, aduentâſſe noſtros per hæc ſigna perſentirent. Id incaſſum, viuebat enim nullus. A Præfecto poſthæc miſsi ad regem Guaccanarillũ nuncij, hæc dicta, quantùm potuêre percipere, retulerunt: Eſſe in ea inſula maiores ſe reges, quòd miræ ſit magnitudinis, plures ait: horum duos, maximis copijs ſuo more comparatis, fama nouæ gentis cõmotos aduentâſſe, belloq́ʒ victos noſtros oẽs trucidâſſe, repagula caſasq́ʒ ſimul & eorum ſupellectilia combuſsiſſe: & ſe, quòd noſtris eſſe auxilio conatus fuerit, ab eiſdem fuiſſe ſagitta vulneratum, crus vitta goſſampina ligatum oſtendens, retulit: propterea non iuiſſe ad Præfectum, quod maximoperè cupiebat. Varios ibì eſſe reges, hosq́ʒ illis, atque illos his, potentiores inueniunt, vtì fabuloſum legimus Aeneam in varios diuiſum reperiſſe Latium, Latinum putà, Mezentiumq́ʒ ac Turnum & Tarchontem, qui anguſtis limitibus diſcriminabantur, & huiuſcemodi reliqua per tyrannos diſpartita. Sed Hiſpaniolos noſtros inſulares illis beatiores eſſe ſentio, modò religionem imbuant: quia nudi, ſine põderibus, ſine menſura, ſine mortifera deniquè pecunia, aurea ætate viuentes, ſine legibus, ſine calumnioſis iudicibus, ſine libris, natura contenti vitam agunt, de futuro minimè ſoliciti. Ambitione & iſti tamen imperij cauſa torquentur, & ſe inuicèm bellis conficiunt: qua peſte auream ætatem haudquaquàm credimus vixiſſe immunem: quin & eo tempore, Cede, Non cedam, inter mortales pererrauerit. Ad rem, à qua digreſsi ſumus, redeamus. Altero die miſſus à Præfecto Melchiorius quidam Hiſpalenſis vir, (apud pontificem ſummum, pro rege

Felicisſimum vitæ genus.

&re-

& regina functus oratoris officio, quo anno Malaca venit in eorum potestatẽ)neque vulnus, neque vulneris vllius cicatricẽ, vitta sublata, se vidisse retulit: lecto illum tamen, aduersa valetudine simulata, iacentem reperit, cuius cubiculo septem concubinarũ pellicum lectuli adhærerẽt: vndè peremptos eius consilio nostros suspicari cœpit: re tamen dissimulata, cum Guaccanarillo egit Melchiorius, vt postero die ad visendũ Præfectum sese ad naues conferret. Naues igitur, vtì pactus fuerat, ingressus, nostris salutatis, atque auro donatis primoribus, ad mulieres à Canibalibus ereptas conuersus, in vnam, quam Catharinam nostri vocabant, oculos semifractos coniicere visus, eam blandè allocutus est: atque sic vrbaniter ac lepidè à Præfecto veniam petens, adspectu equorum & aliarum rerum illis incognitarum admiratus, discessit. Fuêre qui Præfecto consulerent Guaccanarillum detinendum, fore vtì si eius consilio nostros peremptos fuisse comperirent, pœnas daret. Sed iritandi animos indigenarum non esse tempus Præfectus ratus, eum dimisit. Postridiè eius diei, regis frater ad naues se conferens, vel suo, vel fratris nomine, mulieres seduxit: nam sequenti nocte intẽpesta, Catharina ipsa, vt sese, & quascunq; posset, in libertatem vendicaret, aut regis & fratris eius pollicitationib⁹ subornata, multo maius facinus aggressa est, quàm Cloëlia Romana, quæ Tiberim, ruptis vinculis Porsenæ imperiũ fugiens, cum reliquis obsidibus virginibus enatauit: illa enim fluuiũ equo, hæc cũ septẽ alijs mulieribus suismet lacertis confisa, circiter tria millia passuum, atq; etiã maris nõ benè tranquilli, traiecit: tantũ enim à littore classis, omnium opinione, distabat. *Audax mulierum facinus.*

Illas insecuti cymbis leuioribus nostri, eodem lumine, quo in littore viso mulieres regebantur, duce, tres assecuti sunt. Catharinam cum quatuor reliquis ad Guaccanarillum euasisse creditum est: nam vbi eluxit, missi à Præfecto nuncij, aufugisse cum omni supellectile Guaccanarillũ simul & fœminas ipsas, cognouerunt. Id non iniuria, fuisse nostros eius consensu interemptos, suspicionem adauxit. Hunc deindè Melchiorius, de quo suprà, tribus armatis centurijs acceptis quæritans, (centuriam, centum virorum numerum appello: licèt me non lateat, constare centuriam ex viris centum vigintiocto, quindecimq; decuriam) in fauces quasdam retortas, quinque collibus erectis munitas, incidit: fluuij alicuius grande ostiũ arbitratus. Portum ibì valdè commodum ac tutum adinuenit, Portum Regalem propterea nominandum censuerunt: falcatum eius ingressum, atq; adeò in arcum dispositum ferunt, quòd siue in læuam, siue in dextram introductas naues flectant, vndè, donèc ad ostium reuertantur, ingressi fuerint, non facilè dignosci possit: quanuis tribus simul paribus proris onerariæ naues procedere valeant. Hinc atque indè sublati colles littorum loco, venientes frangunt ventos. In eius medio sinu promontorium nemorosum, psittacis, atque aliarum volucrum ibì nidificãtium multis generibus refertum, suauissimeq; cõcinentium erigitur. Duo in portum hunc flumina non mediocria defluere cognouerunt. Dum inter vtrunque terram explorant, altam à longè domum vident. Ibì latére Guaccanarillum rati, accedunt. Adeuntibus nostris, vir quidam fronte rugosa & elato supercilio, centũ hominibus comitatus, efficitur obuius: arcu,

sagit-

ſagittis & lanceis præacutis, ſudalibus omnes armati, minantibus ſimiles, accurrunt: ſe Taínos, id eſt, nobiles eſſe, non Canibales, inclamitant. Signo pacis à noſtris dato, arma ſimul & feritatẽ illam depoſuêre: & ſingulis accipitreis tintinnabulis acceptis, ſtatìm cum noſtris adeò ſtrictam amicitiam iniêre, vt in noſtrorum poteſtatem ſeſe ſine vlla mora in naues ex altis fluuij ripis demiſerint, & ſuis poſteà muneribus noſtros donauerint. Domum illam, qui eam dimenſi ſunt, duorum & triginta magnorum paſſuum à circunferentia ad circunferentiã, (erat enim ſphęrica) iacto diametro, fuiſſe aſſerunt, xxx. alijs popularibus circunſeptam: lacunaribus arundineis verſicoloribus ſuperinductis, mira arte intertextis. Interrogati, quibus modis meliùs dabatur, de Guaccanarillo, reſponderunt, non eſſe Guaccanarilli, regionis huius, ſed eius qui aderat, imperium. Senſiſſe ſeſe fatebantur, quòd Guaccanarillus à littoribus ad montana ſeceſſerit. Icto igitur cum hoc Cacico, id eſt, rege, fraterno fœdere, ad Præfectum, quæ viderant renunciaturi, rediêre. Diuerſos intereà centuriones exploratum longiùs, ſuis cẽturijs comitatos, Pręfectus emittit: inter quos Hoiedam & Gorualanũ nobiles iuuenes, & animoſos ambos: horum alter quatuor flumina, alius alia parte tria ab ijſdem montibus collabentia comperêre: in quorum omnium arenis aurum, noſtris præſentibus, indigenæ qui eos comitabantur, hoc modo colligebant: Arena manibus effoſſa ad ſcrobẽ vſq; lacerti profunditate, ex imo ſcrobis plenas arena ſiniſtras dehinc extrahentes, dextra auro delecto, ſine vlteriore induſtria, in manus noſtrorum grana porrigebant: quorum ſe vidiſſe mul-

ta ciceris craſsitudine, plures fatentur. Vidi ego ipſe poſteà allatũ rudem fluuiali petræ ſimilem globum, ponderis vnciarum IX, ab ipſo Hoieda repertum. His ſignis contenti, rem ad Præfectũ referunt. Iuſſerat enim Præfectus (vt mihi relatum eſt) pœna etiam propoſita, nè quid vlteriùs, præterquàm de locis & locorum ſignis, curarent. Fama etiam increbuit, eſſe quendam regem montium, à quibus flumina illa decidunt, quem Cacicum Caunabóam vocant, id eſt, dominum domûs aureæ: boam enim, domum dicunt: cáuni autem, aurum: & cacicum, regem: vtì iam dictum eſt. Nullibì aquarum piſces inueniri poſſe illis præſtantiores, ſaporoſiores, aut minùs noxios. Et aquas illorum fluminũ omnium, eſſe ſaluberrimas aiũt. Diem eſſe apud Canibales menſe Decembri noctibus ęqualem Melchiorius ipſe mihi retulit: ſed id ſphæræ ratio nõ patitur: quanuìs eo menſe auium aliæ nidificarent, aliæ filios iam natos in nidis haberent, & calor vigeret non mediocris. Abſcondi totũ Plauſtrum ſub arctico polo, atque occidere cuſtodes Canibalibus, mihi de altitudine poli ab horizonte diligentiùs ſcrutanti, enarrauit. Cui de ijs maior ſit fides, quàm huic, adhibenda, nullus hoc itinere rediјt. Si ergò fuiſſet Aſtronomiæ peritus, diem ferè noctibus æqualem dixiſſet: nullibì enim terrarum æqua eſt versùs ſolſtitia nox diei: ipſi verò æquinoctialem nunquàm tetigêre, quandoquidem arcticum polum ſemper habuêre ducem, & ab horizonte ſemper eleuatũ. Sunt enim alij neque literarum aut rerum experientia periti. Propterea breuibus nunc & incompoſita epiſtola, quæ colligere potuerim, accipito: ꝓpediem, vtì ſpero, à me cætera, quæ detegentur, habi-

Decembri nidificant volucres.

habiturus. Scripsit enim ad me Præfectus ipse marinus, cui sum intima familiaritate deuinctus, sese mihi latissimè, quęcunque sors ostenderit, significaturū. Ipse propinquum portui cuidam editum locum, ad ciuitatem condendā elegit: ibiq; intra paucos dies domibus, vt breuitas temporis passa est, & sacello erectis, eo die quo trium Regum solennia celebramus, diuina nostro ritu (in alio potest dici orbe tam extero, tam ab omni cultu & religione alieno) sacra sunt decantata tredecim sacerdotibus ministrātibus. Tempore, quo iam sese ad regem & reginam missurum fuerat pollicitus, appropinquante, & ꝓspera nauigatione se offerente, non vltrà cūctandum ratus Præfectus, XII has Carauelas, quas aduentâsse diximus, commeauit, non mediocri molestia nostrorum internecione cōfectus: quorum morte, multa quæ iam de illorum locorum natura cognosceremus, adhuc nos latēt. Vt pharmacopolis, syrophœnicibus & aromatarijs accitis, posſis quid regiones illæ ferant, quàm calida sit earum superficies, dignoscere, ex granis omnis generis, ex libro & medulla earum arborum, quas Cinnami esse autumant, ad te mitto: siue ex granis, siue ex animulis quibusdam, quas ex ipsis granis decidisse conspicies, siue ex ligno gustare voluēris, illustrisſime princeps, tenuiter admoto labello pertingito: sunt enim, quanuìs non noxia, ob nimiam tamen caliditatis acuitatem, acria, & linguam, si in ea diù morentur, expungunt: sed statìm, si fortè eius degustatione lingua concoquatur, epota aqua, asperitas illa tollitur. Ex frumento etiam quo panem conficiunt, grana quædam alba & nigra tabellarius meo nomine dignationi tuæ dabit. Ligni,

gni, quod aloës esse dicunt, truncum affert: quod si iusseris scindi, suauem senties ex eo odorem emanare. Vale, ex Hispana curia, tertio calendas Maij, M. CCCC.XCIIII.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, REGII'QVE CONSILIarij, *ad Ludouicum Aragoniũ Cardinalem, in Oceaneæ Decadis primæ librum tertium, Præfatio.*



ETIS iterùm, vt Phœbeos currus ineptus Phaëton gubernet. Ex nudo silice suaues liquores exhaurire contendis. Nouum, vt ità dixerim, terrarum orbem, catholicorum Fernandi & Elisabeth regum tibi patruorum ductu, ab Occidente, qui hactenùs latitabat, repertum, vt ego describam, Frederici regis inclyti patrui tibi, mihi literas de hac re ostendens, imperas. Preciosum hunc lapillum, plumbo ineptè circundatum, ambo accipietis. Sed cùm eruditos amicè, detractores inuidè, mordaces rabidè, in nostras formosas Nereides Oceaneas, spumãtia tela detorquere præsenties: quàm breui spatio, inter rerum angustias & valetudinarium, hos me conscribere coegeris, ingenuè profiteberis: scis nanque me tanto celeriter ex Præfecti ipsius marini Coloni archetypis pauca hæc delegisse, quanto tuus à manu famulus, qui me dictante scribebat, poterat exarare. Infestabas nanq; me quotidiè, tuum discessum obijciens, vt nostri regis sororem Parthe-

thenopæam reginam, tibi amitam, quam huc fueras comitatus, in patriam reduceres. Singulis interdùm diebus, ſingulos me libellos cudere adegiſti. Duos in prima fronte, alieno comperies nomine ſignatos: quos, dum iſta quærebantur, ad infelicem ego Aſcanium Sphorciam, tibi affinem, Cardinalem, vicecancellarium, ſcriptitare inceperam: quo cadente, cecidit & mihi animus à ſcribendo: quem tu nunc, tuiq́ inclyti patrui regis Frederici literæ, ad me directæ, excuſſiſtis. Rem, non picturam, deguſtate. Vale, ex Granata, ix. Calend. Maij.

OCEANEAE DECADIS *primæ liber tertius.*



CAnibalium littora Colonum Præfectum marinum percurriſſe, ad Hiſpaniolamq́ inſulam cum integra claſſe quarto Nonas Februarij anni tertij & nonageſimi, appulſum fuiſſe, ſuperiore libro deſcripſimus. Nunc autem quid de inſulæ natura explorans repererit, quidve poſteà, finitimam inſulam continentem, vtì credit, terram percurrens, inuenerit, enarremus. Inſula hæc Hiſpaniola, quam ipſe Ophiram, de qua legitur Regum tertio, eſſe aſſeuérat, latitudinis eſt graduum auſtralium quinque: eleuatur enim à ſeptentrione gradus ſeptimus & vigeſimus: à meridie verò, vt ipſi referunt, vigeſimus ſecundus: longitudo autem ab Oriente in Occidétem, paſſuum millia octoginta ſuper ſeptingenta. Ex ipſius Præfecti Coloni comitibus non deſunt, qui vtranque inſulæ menſuram producant ab Oriente ad Occidentem. Diſtare à Gadibus inſulam gradus prædicant

Hiſpaniolæ, ſiue Ophiræ deſcriptio.

dicant aliqui nouem & quadraginta, alij ampliùs: neque enim certã adhuc rationem reperêre. Insulæ forma, castaneæ folium æmulatur. Super edito igitur colle, à septentrione ciuitatem erigere decreuit: quòd huic loco mons eminens, & saxifodinis ad ædificandum, & calcem concoquendam aptissimus, adiaceat. Inhæret præterea[ea] huius montis radicibus vasta planities, longitudinis millium passuum circitèr sexaginta: latitudinis verò, duodecim alicubì: alibì, vbì angustior sit, sex: vbì verò amplior, viginti. Planitiem salubrium aquarũ flumina interluunt plura: sed eorum maius, & id nauigabile, in portum qui vrbi subiacet, ad stadium dimidium cadit. Quanta sit eius vallis vbertas, quanta soli benignitas, eorum relatu aduerte. In huius fluminis ripa hortos colendos limitibus concluserunt: ex quibus de omni olerum genere, vtputà raphanorum, lactucarum, caulium, boraginũ, & aliorum huiuscemodi, intra diem à iacto semine
Mira soli vbertas. sextumdecimum, vulgò matura euulsa sunt. Melones, cucurbitas, cucumeres, & alia id genus, in diem sextum & trigesimum carpserunt, Sed nusquàm se meliores vnquàm comedisse aiebant. Hæc hortensia, toto anno habent recentia. Cannarum radices, ex quarum succo saccarum extorquetur, sed nõ coagulatur succus, cubitales cannas intra quindecimum etiam diem emiserunt. De plantatis propaginibus aut sarmentis itidèm aiunt, & secundo à plantatione anno, suaues ex eis vuas comedisse: ast ex nimia vbertate racemos edunt perpaucos. Rusticus prætereà quidã tritici parumpèr circiter Calend. Februarij seminauit, (res miranda) in omnium cõspectu maturum spicarũ manipulum tertio Calend. Apri-
lis

lis, qui eo anno erat vigilia Resurrectionis Dñicæ, secũ ad vrbẽ tulit. Legumina quæq; quotannis maturescunt bis. Scripsi, q̃ omnes vno ore indè redeuntes, de eius terræ fœtura retulerũt: nõnulli tamen ferunt, tritici non esse terram feracẽ in vniuerso. Intereà dum ista agerentur, triginta viros, qui Cipangi, aliâs Cibaui, regionem explorarent, per diuersa dimisit Præfectus. Est autem hæc regio montosa, saxea, & medium totius insulæ dorsum, in qua maximam esse auri copiam incolæ signis ostendebãt. Missi à Præfecto, de regionis opibus mira referentes reuertuntur. Ex illis montibus quatuor ingentia flumina defluunt, quæ totã insulã, reliqua suis alueis suscipiendo, memoranda naturæ industria in quatuor ferè partes æquales diuidunt. Tendunt enim, vnus rectà ad Orientem, qui ab accolis Iunna vocatur: ad Occidentem alius, huic terga vertens, qui Attibunicus: tertius ad septentrionem, quẽ Iachem appellãt: vltimus ad meridiẽ, quem Naibam. Sed redeamus ad condendã vrbẽ. Fossis & aggeribus vrbe circũuallata, (vt si eo absente p̃lium incolę tentarẽt, sese, qui relinquebãtur, tutari possint) pridiè idus Martij cũ omnibus equitibus, peditibus autẽ circiter quadringentis, ipsemet ad auriferam regionem rectà ad meridiem proficiscitur: fluuium præterlabitur, transgreditur planitiẽ: montẽ q aliud planitiei latus cingit, superat. In aliã conuallẽ, quã flumen priore maius, aliaq; multa mediocria interluebant, incidit: exercitũ traducit. Hac valle, q̃ priore nulla parte inferior est, superata, tertiũ montẽ facit peruiũ, qui hactenùs fuerat inuius. Descenditq; in aliam conuallem, quæ iam Cibauæ est initium: per hãc flumina & ex omni colle riui currunt, in quorum

Iunna.
Attibunicus.
Iaches.
Naiba.

rum omnium arenis aurum reperiebatur. Cùm iam secundum & septuagesimum ab vrbe lapidẽ intra regionem auriferam profectus fuisset, in magni cuiusdam fluminis ripa eminẽti super colle condere arcem instituit, vt interioris regionis secreta indè tutò paulatìm scrutarẽtur. Hanc arcem sancti Thomæ nomine insigniuit. Dum intereà arcem ædificaret, eius regionis incolæ, tintinnabulorum & aliarum rerum nostratium cupidi, quotidiè moram trahentem adibant: Præfectus verò marinus se illis, quæ peterent, libentissimè daturum, si aurum ferrent, insinuat. At illi, dato tergo ad hæc promissa, ad ripam propinquiorem currẽtes, intra breue temporis spatium onustis auro manibus redibant. Grandæuus incola duos auri calculos ponderis vnius ferè vnciæ, tintinnabulum tantummodò petẽs, attulit: qui cùm nostros calculorum magnitudinẽ admirari conspiceret, eorum admiratione admiratus, eos esse paruos ac nullius momenti calculos innuebat: captisq; manu quatuor lapidibus, quorum minor nucem, maior autem grande aureum æquabat málum: adeò magnos auri globos in solo natali suo, quod ad dimidiam indè diætam distabat, passìm reperiri aiebat, nec apud vicinos suos magnæ curæ esse aurum colligere. Cognitum enim est, illos aurum, inquantùm est aurum, non magnifacere: sed tanti illud æstimare, quanti artificis manus in formam cuiq; gratã diducere aut conflare didicerit. Quis rude marmor, aut ebur incultum comparat magno? nullus equidem: sed si Phidiæ aut Praxitelis dextra fabrefactum, in comatam Nereidem aut Hamadryadem pulchrè formatã prodierit, nusquàm emptores deerunt. Præter hunc senẽ, accesserũt

Auri magna copia.

&

&alij plures, qui decem & duodecim drachmarum calculos attulerunt, ausíque ſunt fateri, vbi aurum illud collegerant, auri globos pueri caput, quem oſtendebant, æquantes, fuiſſe aliquandò repertos. Dum ibidèm dies aliquot moraretur, Luxanum quendam iuuenem nobilem cum paucis armatis, regionis partem exploratum miſit: hic etiam maiora ſibi ab incolis fuiſſe dicta, retulit, nihil tamen attulit: ex Præfecti putant mandato ità fieri. Aromatibus, ſed non ijſdem quibus nos vtimur, habent plena nemora, quæ pari modo colligunt vt aurum: tantum ſcilicet vnuſquiſq;, quantum permutando aliquid ſibi gratum à finitimarum inſularum incolis aſſequantur: vtputà paropſides, ſedilia & huiuſcemodi, quæ in alijs inſulis ex nigro quodam ligno, quo ipſi carent, conficiuntur. Rediens ad Præfectum Luxanus circiter idus Martij, labruſcas in ſyluis maturas inuenit, optimi, vt ait, ſaporis. Sed nulla eſt inſularibus de his cura. Eſt hæc regio, quanuìs ſaxea, (nam eorum lingua Cibauum, id quod ſaxoſum ſonat) arborifera tamen & herbida. Immò & aiunt herbam eorum montium, quæ ſolum gramen eſt, ſi ſecetur, quatuor dierum intercapedine tritico altiorem creſcere. Frequentes in ea pluuias cadere referunt, hinc eſſe riuos & flumina adeò crebra: quorum cùm ſit arena vbiq; auro commixta, ex montibus illud aurum detrahi per torrẽtes autumant. Gentem conſtat eſſe ocioſam: nam interdùm hyeme vrgente tremunt in montibus frigore: nec quum ſint illis nemora goſsipio refertiſſima, veſtes ſibi laborare ſtudent. In vallibus autem vel campeſtribus locis minimè frigeſcũt. His ità in initio regionis Cibauæ diligẽter ꝑquiſi-

tis, calend. Aprilis, quē diem Resurrectio sequebatur, ad Isabellā, id est vrbis nomen, reuertitur. Vndè in eius & totius insulæ gubernationē fratre suo & Petro quodā Margaritæo, regio antiquo familiari, relictis: ad discurrendā quā arbitrabatur continentē terrā, q̄ indè septuagesimū tantùm lapidē distabat, sese accingit: regij imperij memor, qui illum admonuerat, vt percurrere noua littora festinaret, nè rex alius quisquā priùs suæ ditioni terras illas subdere studeret. Rex enim Portugalliæ publicè sua interesse, latentia illa detegere, aiebat. Summus verò pontifex Alexander sextus, regi & reginæ Hispaniarū per plumbatas cōcessit bullas, nè quis princeps alius incognitas illas regiones pertingere auderet: à septentrione ad austrū linea recta extra parallelum insularū, q̄ dicuntur Caput Viride, proiecta (vt dissidij causa tollatur) lequas centū, ex cōposito demū tercentum. Credimus has insulas esse Hesperides: hæ sunt regis Portugalliæ: & indè sui nautæ noua littora quotannis detegētes, semper in læuam à tergo Africæ, per Aethiopū maria, ad Oriētem vertebant proras: neq; ab Hesperidibus vnq̄ ad Meridiē aut ad Occidentē Portugallenses adhuc nauigauerant. Cum tribus igitur nauigijs discedens ad eam regionē, quā prima nauigatione insulam existimans, Ioannā vocitârat, breui tempore peruenit: vocauitq; eius initium Alpha ω, eô quòd ibi finem esse nostri Orientis, cùm in ea sol óccidat: Occidentis aūt, cùm oriatur, arbitretur. Constat enim, esse ab Occidente principium Indiæ vltra Gangem: ab Oriente verò, terminum ipsius vltimū. Neq; enim absonum penitùs est, quum Gāgetidis Indię terminos indiscretos Cosmographi reliquerint: nec desint qui ab Hispa-

nis

nis orîs non longè Indica littora discedere sentiant. Cubam incolæ hanc partē vocant. In cuius prospectu, in Hispaniolæ angulo extremo portū reperit cōmodissimum: sinum enim in se recipit latum in ea parte ipsa insula. Hunc portum sancti Nicolai nomine insigniuit: à quo vix viginti leuquas recedit Cuba. Transfretat igitur, & Cubę meridionale latus capiens, ad Occidētem vergit. Incipiunt illi, quo vlteriùs procedebat, tāto magìs littora in latum protēdi, & ad meridiem curuari. In Cubæ latere ad meridiē, primùm reperit insulam, quam incolæ Iamaicam vocant. Hāc insulam Sicilia longiorē latioremq́; prædicat, vno tantùm monte contentā, qui ab omnibus suis partibus à mari incipiens, paulatim vsque ad insulæ medium eleuatur, atque ità leniter sese in dorsum extendit, vt asscendentes vix se asscendere sentiant. Tam in littore, quàm in internis, feracissimam & populis plenā esse asseuerat: incolasq́; eius cæteris insularibus ingenio acutiores, ac mechanicis artibus magìs deditos, bellicosioresq́;, finitimi fatentur: nam pluribus in locis volenti Præfecto terram capere, armati ac minitantes occurrerunt, pugnasq́; sæpiùs attentârūt: sed victi semper, amicitiā omnes cum Præfecto iniêre. Iamaica igitur relicta, ad Occidentem prospero ventorum flatu septuaginta dies nauigauit: seq́; non longè ab aurea Chersonesso nostri Orientis vltra Persidem initiò perrexisse per inferiorem nobis terræ ambitū arbitratur: credit enim se duas tantùm solis horas de duodecim, quæ nobis erant incognitæ, reliquisse. Dimidium enim solis cursum veteres intactum reliquerant: cùm eam tantùm terræ superficiem, quæ à Gadibus vsq; ad Gāgem, vel ad aureā vsq; Chersonessum,

Iamaica.

 discus-

discussam habeamus. Hoc itinere in currẽtia more torrentis maria, in vadosos gurgites, in angustias innumeras ꝓpter insularũ adiacentiũ multitudinẽ, quotidiè incidebat: omnia tñ hæc pericula parui faciens, tantũ procedere instituit, donèc, an insula esset Cuba, an terra continens, certior fieret. Nauigauit igitur eius semper littora abradens, ad Occidentem duas lequas & viginti supra bìs centũ, vt ipse ait, hoc est, millia passuũ circiter tercentũ & mille: Septingentisq́ insulis nomen imposuit, in lęuam plusquàm tribus millibus passìm, vt ipse dicere audet, relictis. Sed ad ea, quæ memoratu digna inter nauigandum reperiebat, reuertamur. Cùm iam per Cubæ latus locorum naturam adnauigans perquireret, ab Alpha ω, id est, ab eius initio, non magno tractu, portum multarum nauium capacem repèrit: falcatus enim est eius introitus, ꝓmõtorijs vtrinq́ venientes vndas recipientibus inclusus: intùs autem ingẽs spatiũ & immẽsa profunditas. Portûs littora ambiens, casulas vidit non procùl à littore culmeas duas, pluribusq́ in locis ignẽ accensum: demittit è nauibus viros quosdã armatos q casulas adeant. Descendũt, neminẽ reperiunt: verubus tamen ligneis appositas ignibus pisciũ libras circiter centũ, duosq́ octipedales serpentes cum piscibus ipsis, inuenêre. Admirati, si quos incolas videãt, circunspiciũt: cũ nemo illis in toto prospectu sese offerret, (venientibus enim nostris, sese ad montana pisciũ domini receperant) discumbũt, & captis alieno labore piscibus læti fruuntur: serpentes relinquunt, quos nihilo penitùs ab Aegyptijs crocodilis differre affirmant, præterquàm magnitudine: nam crocodilorũ, ait Plinius, aliquos fuisse repertos duodeuiginti cubito-

bitorum: horum autẽ maiores, octipedales. Propinquum nemus postmodùm iam saturi ingredientes, ex ijs serpẽtibus, arboribus funiculis alligatos plures comperêre, quorum ora alij funibus adstricta, dentes alij euulsos habebant. Cùm deindè portûs vicina scrutarentur, circiter LXX homines in cuiusdam altæ rupis culmine viderunt, qui nostris adeuntibus, profugerant: vt indè, quid sibi vellet hæc noua gens, perdiscerent. Nutibus & signis blanditijsq́; nostri illos adducere conabantur: munerum oblatorum à longè spe motus accessit vnus, sed in propinquã rupem tamen, timenti similis. Almirantus autem qui secum habebat Didacum quendam colonum, inter suos educatum, iuuenem prima nauigatione abductum ex insula Cubæ vicina, nomine Guanahaini, Didaco interprete, cuius lingua patria ferè horum linguæ quadrabat, insularẽ qui propiùs venerat, alloquitur: metu deposito adit incola, cæterisq́; vt tutò venirent, nec vererentur, persuadet. Nuncio habito, ex rupibus ad naues circiter septuaginta descendunt: amicitiam ineunt, muneribus à Præfecto donantur. Esse piscatores, à rege suo, qui solenne conuiuium alteri regi parabat, piscatum missos, Præfectus cognouit. Quòd pisces ignibus appositos Præfecti gens comederit, æquo libentiq́; animo passi sunt, quãdoquidem serpentes reliquêre: neq; enim quicquam est inter edulia, quod tanti faciant, quanti serpentes illos: popularibus eos comedere minùs licet, quàm apud nos phasianos aut pauones. De piscibus autem se totidem ea nocte capturos dicunt. Interrogati, cur pisces quos regi suo laturi erant, coquere pararent: vt recentiores & incorruptos illos afferre possent, responderunt.

Serpentes in delicijs habentur.

Ità dextris in amicitiam iunctis, ad sua quisque proficiscitur. Sequitur Almirantus, vt instituerat, solem occidentem, à principio Cubæ, quod Alpha ω, vocatum ab Almiranto, diximus. Littora ad hunc portum media, quanuis arboribus consita, aspera tamen & montosa. Ex arboribus floridæ erant aliæ, & ad mare suaues ex se odores emittebât: alię verò fructibus onustæ. Vltra portum autem terra est feracior populosiórq́: cuius incolæ cæteris mitiores, rerumq́ nouarum cupidiores: nam ad littora omnes, visis nostris nauibus, certatìm concurrebant: panē quo ipsi vescuntur, & cucurbitas aqua plenas, nostris offerentes, vt in terram descenderent, inuitabant. Habent hæ insulæ omnes arboris quoddam genus, vlmos æquans magnitudine, quæ cucurbitas gignit pro fructu: ad aquæ vsum illis vtūtur, ad esum minimè: medullā nanq; ipsius felle amariorem esse aiunt, sed cortice testudineam æquare duritiem. Idibus Maij ex altiori cauea in læuā ad austrum speculatores prospicientes, densam insularū multitudinem viderunt inter nauigandum, herbidas, virides, arboriferas, vberes, & habitatas esse animaduerterunt. In continenti littore in fluuium incidit nauigabilē, aquarū adeò calidarum, quòd manum in ipsis ferre diù nemo posset. Altero verò die piscatorū canóam à longè videns, nè nostris visis piscatores aufugerent, veritus, vt illos tacitis cymbis intercipiant, imperat. Illi autem intrepidi nostros expectant.

Nouum piscandi genus.

Audi nouum genus piscationis. Non aliter, àc nos canibus Gallicis per æquora campi lepores insectamur, illi venatorio pisce pisces alios capiebât. Piscis erat formæ nobis ignotæ, corpus eius anguillæ grandiori persimile: sed habens in occi-

pite

pite pellem tenacißimam, in modũ magnæ crumenæ. Hunc vinctum tenent in nauis sponda funiculo, sed tantùm demisso, quantùm piscis intra aquam carinæ queat inhærere: neque enim patitur vllo pacto aëris adspectum. Viso autem aliquo pisce grandi, aut testudine, quæ ibi sunt magno scuto grandiores, piscem soluunt: ille quum se solutum sentit, sagitta velociùs piscem aut testudinem, qua extra conchyle partem aliquam eductam teneat, adoritur, pelleq; illa crumenaria iniecta, prædam raptam ità tenaciter appræhendit, quòd exóluere ipsam, eo viuo, nulla vis sufficiat, nisì extra aquæ marginem paulatìm glomerato funiculo extrahatur: viso enim aëris fulgore, statìm prædam deserit. Præda igitur iam circa aquæ marginem euecta, in mare saltat piscatorum copia tanta, quanta ad prædam sufficiat sustinendam, donèc è naui comites eam appræhendãt. Præda in nauim tracta, funiculi tantum soluunt, quantum venator poßit ad locum suæ sedis intra aquam redire: ibiq; de præda ipsa per alium funiculum escas illi demittunt. Piscem incolæ guaicanum, nostri Reuersum appellant, quòd versus venetur. Quatuor testudines eo modo captas, quæ nauiculam illis ferè implebant, nostris dono dant: cibus est enim apud eos non illautus: nostri autem è conuerso gratis muneribus donatos, alacres eos reliquêre. Interrogati nautæ de terræ illius ambitu, non habere finem ab Occidente significârunt: institerúntque, vt Almirantus aut descenderet, aut suo nomine salutatum suum Cazicum, id est, regem, cum eis mitteret: Cazicum nostris multa munera daturum, si adirent, pollicentes. Præfectus autem, nè ab incepto deti-

 neretur,

neretur, morem illis gerere recuſauit: petiêre tamen nomē eius, ſuiq́ Cazici nomen noſtris dederunt. Vlteriùs indè procedens ad Occidētem ſemper, intra paucos dies monti adhæſit altiſsimo, habitatoribus ob vbertatem referto. Ad naues panem, goſsipium, cuniculos, & volucres ferentes incolæ confluebant. Ab interprete, an è cælo gens iſta deſcenderet, miro affectu ſciſcitabantur. Rex horum & alij plures, qui illi adſtabant viri graues, non eſſe inſulam terram illam innuebant. Aliam inſulam poſtmodùm, ex his quæ in læua huic terræ adhærebant, ingreſsis, cōpræhendere quenquam non licuit: fugêre enim omnes viri fœminæq́, noſtris adeuntibus: quatuor canes in ea, ſed non latrabiles, adſpectûs fœdiſſimi, quos comedunt vtì nos hœdos, compérêre. Anſeres, anates, ardeas hæc inſula gignit innumeras. Gurgites demùm inter inſulas & cōtinentem adeò anguſtos ingreſſus eſt, quòd vix vertere retrò nauigia fas eſſet: adeóque vadoſos, quòd arenam carina interdùm verreret. Horum gurgitum per quadraginta milliaria erat aqua lactea, ſpiſſaq́, àc ſi farinam toto illo pelago ſparſiſſent. In amplum æquor quum tandèm euaſiſſent, ad octogeſimum milliare mons alius altiſsimus ſeſe illi obtulit. Aquandi lignandiq́ gratia hunc adit. Inter palmeta pinetaq́ altiſsima, fontes natiuos dulcium aquarum duos reperit. Intereà dum ligna ſcinduntur, cadi implentur, ex noſtris ſagittarijs vnus venatum ſyluam ingreditur: ibì vir quidam alba tunica amictus, adeò improuiſus ſeſe illi offert, quòd prima facie eſſe quendam fratrem ordinis ſanctæ Mariæ Mercedis, quem ſecum Almirantus pro ſacerdote habebat, exiſtimauerit: ſed hunc ſtatìm

tìm ex nemore alij duo ſequũtur: deindè à longè vidit agmen veniens circiter triginta hominum veſtibus contectorum. Tunc verò terga vertens ac proclamans, ad naues quamcelerrimo poteſt curſu profugit. Tunicati autem illi applaudere, & nè vereretur, perſuadere omnibus modis nitebãtur. Sed nihilominùs noſter fugiebat. His Prę fecto renunciatis, alacer quòd gentem cultam inuenerit, ſtatìm armatos in terram miſit cũ mandatis, vt ſi opùs fuerit, quadraginta milliaria intra inſulam pergerent, donèc aut tunicatos eos, aut alios incolas omni ſtudio quæſitos inueniãt. Nemus tranſgreſsi, vaſtam planitiem herbidam, in qua nec ſemitæ veſtigium vſquàm apparuit, offenderunt: per herbas proficiſci conãtes, adeò ſeſe implicuerũt, quòd vix milliare proceſſerint: erat enim herba noſtris ſegetibus ſpicatis nihilo minor. Feſsi igitur reuertuntur, non reperta ſemita. Poſtero die quinq; & viginti armatos dimittit, quibus imperat, vt quæ gens terram incolat, diligenter explorent. Hi cùm non longè à littore magnorum animalium veſtigia quædam recẽtia comperiſſent, inter quę leones eſſe arbitrati ſunt, metu perculſi redeunt. Inter veniendum ſyluam reperiunt, ſerpentibus per altas arbores paſsìm vitibus ſuapte natura ꝓductis, arboribusq; alijs plurimis, aromaticos fructus parturiẽtibus, conſitam. Racemos tulêre põderoſos ac ſucci plenos in Hiſpaniam: de fructibus autem alijs quos ferebant, cùm in nauibus paſſari non cõmodè poſſent, nullus allatus eſt, putruerunt enim omnes, & corrupti, in mare proiecti ſunt. In pratis eorũ nemorũ, gruum agmina, noſtratibus duplo grandiorum, ſe vidiſſe retulerunt. Inter nauigandum cùm ad alios quoſdam montes vela dirigeret, in

duabus casulis in littore visis, vnum tantùm reperit hominem: hic ad naues ductus, terram quæ trans illos montes iacebat, esse populosissimam, capite, digitis, & quibus alijs poterat modis, significabat. Applicanti se ad ea littora Præfecto, multæ canóæ obuiàm prodeunt: inuicèm se placidissimè per signa compellârunt: neque Didacus ille, qui in Cubæ initio incolarum linguam intellexerat, hos intelligebat. Varia enim esse idiomata in varijs Cubæ prouincijs, perpẽderunt. Incolereq; regionis interna potentissimum regẽ, qui se indueret, ostendebant. Hunc tractum oẽm summersum & aquis coopertum, littoraq; cœnosa arboribus referta, vt nostras paludes, ait. Ibì tamen cùm aquandi gratia in terram descendisset, conchylia ex quibus vniones habentur, vidit. Nec eo magìs moram traxit: erat enim eius intentus non alius tunc ex præcepto regũ, quàm, quotquot posset, maria discurrere. Vlteriùs igitur procedentibus, omnia littorum culmina, vsque ad alium montem, qui se ad octoginta millia passuum ostendebat, fumigabant. Nulla erat specularis rupes, ex qua fumus non egrederetur. Nec, an incolarum essent ignes, benè constitit, ad necessitatem parati: an, vtì suspectis bellorũ temporibus fieri solet, per eos fumos signa vicinis darent, vt se in tutum reciperent, aut vt in vnum conuenirent, si quid nostri contra eos moliri tentarent: aut fortè, quod magìs consonum videtur, vt tanquàm ad rem mirandam, nostra nauigia inspecturi, cõcurrerent. Littora iam Præfecto modò ad Austrum, modò ad Africum siue Libym, curuabantur: mare verò vbiquè insulis implicitum. Hinc igitur carinæ, quæ terrã sæpiùs propter vadosa maria verrerant, quassatæ: rudentes, vela,

vela, & reliquum amplustre, iam putrida: alimentaq́ per rimas malè stipatarum nauium madefacta, sed præcipuè panis biscoctus, corrupta, vertere retrò proras Præfectum coëgerũt. Hanc vltimam existimati continentis oram, quam ipse attigit, vocauit Euangelistam. Retrò vela vertẽs, inter alias insulas continenti non ità finitimas, in pelagus incidit, testudinibus magnis adeò condensum, quòd naues aliquandò detardarent: gurgitemq́ posteà ingressus est albidarũ aquarum, vtì alium reperisse suprà scripsimus. Ad crediti continẽtis tandèm littora, quâ venerat, reuersus est, insularum vada pertimescens: ad eumq́ (cùm neminem veniens molestia affecisset.) hilari vultu, posito omni timore, vtriusque sexûs incolæ dona ferebant: psittacos alij, alij panem, aquam, cuniculos, sed præcipuè palumbes nostris grandiores, quos sapore & gustu perdicibus nostris meliores fuisse, Præfectus ait: quarè cùm sensisset inter comedendum spirare ex eis aromaticum quendam odorem, iussit de recenter interemptis quibusdam iugulos aperire. Plena illis odoratis floribus reperit guttura: indè gustum eum in palumbibus nouum, emanare arguerunt: nutrimenti enim naturam sorbere carnes animalium, æquum est credere. Dum in littore rem diuinam Præfectus audiret, eccè primarium quendam octogenarium, virum grauem, nec eo minùs nudum, multis illum comitantibus. Hic, donèc sacra peragerentur admiratus, ore oculisq́ intentus adsistit: dehinc Pręfecto canistrum, quem manu gerebat plenum patriæ fructibus, dono dedit: sedensq́ apud eum per interpretem Didacum Colonum, qui id idioma, cùm propiùs accessissent, intelligebat, orationẽ habuit huiuscemodi:

Terras

Ad mortalium mores formandos efficax oratio.

Terras omnes istas hactenùs tibi ignotas, manu potenti te percurrisse, renunciatũ nobis fuit, populisq́ incolis metum non mediocrem intulisse. Quarè te hortor moneoq́, vt itinera duo, cùm è corpore prosiliunt, animas habere scias: tenebrosum vnum ac tetrũ, his paratum, qui generi humano molesti infensiq́ sunt: iucundum aliud & delectabile, illis statutum, qui pacem & quietem gentiũ viuentes amârũt. Si igitur te mortalẽ esse, & vnicuiq́ pro prȩsentibus operibus futura merita obsignata memineris, neminem infestabis.

His & alijs pluribus per interpretẽ insularem Præfecto, admiranti tale hominis nudi iudiciũ, relatis, respondit: Compertissima sibi esse quæcunque dixerit de animarum è corpore exeuntiũ varijs itineribus ac p̃mijs: immò & existimâsse hactenùs illa ipsi, & reliquis earũ regionũ incolis, fuisse ignota, cùm ità viuant natura contenti. Ad cætera verò, se à rege & regina Hispaniarum, vt eas oẽs orbis oràs hactenùs incognitas pacaret, missũ respondit: vt scilicet Canibales & reliquos scelestos homines indigenas debellaret, debitisq́ supplicijs afficeret: innoxios autem, ob eorũ virtutes tutaretur & honoraret: quarè nè ipse, aut alius quisquã, cui non sit animus nocẽdi, vereantur: immò si quid fortè à vicinis iniusti sibi aut alijs bonis illatũ fuerit, aperiat. Seni Præfecti dicta adeò placuerunt, vt se iturum, quanuìs ætate iam grauescentẽ, cum Præfecto libẽtissimè prædicaret: cõfectũq́ id fuisset, nisi vxor & filij obstitissent. Attamẽ quòd alterius imperio hic subiaceret, summoperè admiratus est: sed tunc multo magìs, quãdò relatum illi fuit per interpretẽ, qualis & quanta esset regum pompa, potẽtia, ornatus, bellorum apparatus, quantæ vrbes, qualia oppida,

oppida, obstupuit. Subtristis igitur, prostratus ante pedes ei⁹, obortis lachrymis, vxore & filijs, honoratus senex permansit: iterùm atq; iterũ, an cælũ esset ea terra, quæ tales tantosq; viros gigneret, interrogãs. Compertũ est apud eos, velut solem & aquã, terram esse cõmunem, neq; Meũ aut Tuum, malorũ omniũ semina, cadere inter ipsos. Sunt enim adeò paruo cõtenti, q̃ in ea ampla tellure magìs agri supersint, q̃ quicq̃ desit. Aetas est illis aurea, neq; fossis, neque parietibus aut sepibus prædia sepiunt. Apertis viuũt hortis. Sine legibus, sine libris, sine iudicibus suapte natura rectum colunt. Malum ac scelestũ eum iudicãt, qui inferre cuiquã iniuriã delectatur. Maizium tamẽ & Iuccam Agesq; isti colũt, vtì diximus in Hispaniola fieri. Indè igitur rediturus discedens, in Lamaicã iterũ ab ipsius latere meridionali incidit, ab Occidenteq; ad Orientem totam percurrit. Ex cuius ab Oriente vltimo angulo, cùm à septentrione montes altos ad læuam sibi cõspiceret, nouit tandèm esse meridionale latus Hispaniolæ insulæ, quod nondùm percurrerat. Quarè portum eius insulæ in Calend. Septembris, qui sancti Nicolai dicitur, ingressus, nauigia reparabat hoc animo, vt iterùm Canibalium insulas deuastaret, canóasq; eorũ oẽs combureret, nè nocere vlteriùs lupi rapaces finitimis ouibus possint. Sed obstitit, nè id exequeretur, aduersa valetudo, quæ illũ præ nimia vigilia oppresserat. Semianimis igitur à nautis ad Isabellicam ciuitatẽ ductus, inter fratres quos ibì duos habebat & reliquos familiares, pristinam tandèm valetudinem recuperauit. Nec eo magìs Canibales infestare, ob exortas inter Hispanos, quos in Hispaniola reliquerat, seditiones licuit. De quibus infrà dicemus. Vale.

Admiranda vitæ innocẽtia.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, CONSILIARII'QVE

regij, Oceaneæ decadis primæ liber quartus, ad Cardinalem Ludouicum Aragonium, nostri regis nepotem.



X CONTINENTI, vt ipse arbitratur, Indico Colonus Præfectus marinus rediens, fratrem Boilum & Petrum Margaritem, veterem regis familiarem, virum nobilem, atque alios plures ex ijs, quos ad regionis gubernationem reliquerat, ad Hispaniam corrupto animo discessisse comperit. Quapropter vt apud reges, si quid horum relatu malè sentirent, se expurgaret: necnon vt viros peteret alios, eorum loco qui redierant, sufficiendos: tum etiam vt prouideret alimentorum penuriæ, vtputà tritici, vini, olei, & aliorum huiuscemodi, quibus Hispani vesci solent, cùm insularibus cibis non facilè assuefieri possent: redire ad curiam, quæ tunc Burgis, vrbe celebri in Castella Veteri, morabatur, constituit. Sed quæ priùs confecerit, breuiter enarrabo. Insulares reguli qui hactenùs suo paróque cõtenti, tranquillè quieteq́ vitam duxerant, cùm nostros in eorum solo natali pedem figere conspicerent, grauiter id ferebant: nihil magìs quàm funditùs eos indè detrudere, aut euertere penitùs, & omnem eorũ memoriã abolere, cupiebant. Nam ea gens, quæ Præfectum in

ea na-

ea nauigatione ſecuta fuerat, maiori ex parte indomita, vaga, cui nihil penſi eſſet, libertatem ſibi, quoquo modo poſſet, quæritans, ab iniurijs minimè ſe abſtinere poterat, Inſularium fœminas, ante parentum, fratrum, & virorum oculos rapiens, ſtupris rapinisq; intenta, animos omnium incolarum perturbârat. Quamobrèm pluribus in locis, quotquot imparatos è noſtris incolæ reperiebant, rabidè, & tanquàm ſacra offerentes Deo, trucidauerant. Pacandos igitur perturbatorum animos, eosq; qui noſtros interfecerant, puniendos eſſe priuſquàm indè diſcederet, ratus, eius cōuallis regem, quam eſſe in radicibus montium Ciguanorum, ſuperiore libro deſcripſimus, in colloquium adducit. Hic vocabatur Guarionexius: cui, vt Pręfecti amicitiam arctiùs ſibi conciliaret, placuit Didaco Colono, homini apud Præfectum à teneris educato, quo interprete in Cubæ diſcurſu vſus fuerat, ſororem dare in vxorē. Ad Caunabóam deindè, Cibauorū montium, id eſt, aureæ regionis, dominum, (cuius ditionarij Hoiedam cum quinquaginta armatis intra arcem ſancti Thomæ obſeſſum triginta dies tenuerant, nec obſidionem vnquàm ſoluerant, donèc aduentare Præfectum ipſum cum magna manu perſenſerint) Hoiedam ipſum oratorē mittit. Hoieda apud Caunabóam morā trahēte, à diuerſis regionis regulis legati mittuntur, qui Caunabóæ perſuadere nitantur, nè figere pedem in inſula Chriſtianos patiatur, ſeruire niſì mâlit, quàm imperare: fore enim, vt niſì Chriſticolæ ab inſula penitùs eliminētur, inſulares omnes ſerui ſint illorum futuri. Alia parte Hoieda cū Caunabóa agebat, vt ad Præfectum ipſemet proficiſceretur, cum eoq; fœdus & amicitiam iniret.

Impietate militum offenſi inſulares.

Regu-

Regulorum legati ad eam regioné capessendam sesuaq́ꝫ omnia offerebant. Hoieda cædem perniciemq́ꝫ suorum, si bella quàm pacem cum Christianis mâllet, minitabatur. Caunabóa igitur hinc atqꝫ indè, tanquàm scopulus diuersis fluctibus in medio mari conflictatus, etiam conscientia scelerum agitatus, quòd viginti ex nostris hominibus per dolum incautos obtrũcâsset, quanuìs pacem cupere videretur, adire tamen Præfectum verebatur. Tandèm fraude pensitata, Præfectũ & reliquos sub pacis specie, si sors offerret, peremptu-rus, cũ omni familia sua, pluribusq́ꝫ alijs suo more armatis, ad Præfectum mouet. Interrogatus, cur adeò magnas hominum cateruas secum duceret: respondit, tantum regem, quantus ipse sit, pergere iter domoq́ꝫ incomitatum exire, non decere. Sed aliter longè, quàm cogitauerat, euénit: décidit nanque in laqueos quos parauerat. Blanditijs enim & pollicitationibus, sui erroris inter eundũ quòd domo discesʃisset pertæsum, Hoieda tandèm ad Præfectum illum ducit: capitur, in vincula conijcitur. Nec nostrorum animæ diù inultæ sine corporibus quieuerũt. Caunabóa cum omni familia eius capto, insulã percurrere Præfectus instituit: sed significatũ ei fuit, tanta fame insulares vrgeri, vt quinquaginta millia hominũ ampliùs iam perierint, cadãtq́ꝫ quotidiè pasʃìm, tanquàm morbosi gregis pecudes. Quod illis sua peruicacia accidisse, scitum est. Cùm enim vide-bãt nostros in insula velle sibi sedẽ eligere, existimãtes posse eos indè propellere, si insulares commeatus deessent, non modò non seminare, plantareq́ꝫ vlteriùs statuerunt, sed etiam vtrunqꝫ panis genus, de quo primo libro mẽtioné fecimus, seminatum perdere euellereq́ꝫ in sua quisque regione

Magna ex neglecta cultura fames.

gione cœpit: ſed inter Cibauos ſiue Cipangos montes præcipuè, cùm aurū quo ea regio abundabat, cauſam eſſe potiſsimam, quę noſtros in inſula detineret, cognoſcerēt. Decurionem intereà cum armatorū turba, qui latus meridionale inſulæ exploraret, dimiſit. Tunc oēs regiones quas percurrerat, panis penuria adeò laborare faſſus eſt, quòd nihil vnquàm ſexdecim dierum ſpatio comederint aliud, quàm herbarū palmularumq́ radices, aut arborum natiuos montanos fructus. Guarionexius, cuius regnum non æquè àc reliqua premebatur, noſtris edenda quædam impartitus eſt. Intra paucos dies, vt breuiora eſſent itinerum ſpatia, vt've crebriores ac plures noſtri receptus haberent, ſi qua vis inſularium aliquandò ingrueret, ab Iſabella vrbe ad arcem ſancti Thomæ, in finibus regni huius Guarionexij intra Cibauæ terminos, ſuper cliuo ſalubrium aquarum ſcaturientium celebri, arcem aliam erexit, quam Conceptionem appellauit. Tum verò cùm noua indiès inſulares ædificia ſurgere, cùm in portu noſtras naues iam putridas ac ſemifractas conſpicerent, ab omni ſpe libertatis decidere cœperunt: ſubtriſtes, an eſſent ex inſulis Chriſtiani diſceſſuri, ſciſcitabantur. Ex arce demùm Conceptionis, Cibauorum montium interna veſtigantes, auri rudem maſſam in tophi natiui ſimilitudinē concauam, pugillo grandiorem, ponderis viginti vnciarum, à quodam regulo non in amnis illius ripa, ſed in ſicco tumulo repertam, habuerunt. Hanc egoipſe in emporio Caſtellæ Veteris Methymna Campi, vbì tunc curia hyemabat, vidi, manibusq́ captam admirans libraui, attrectauiq́. Vidi & electri puri, quo campanæ, pharmacopolarumq́ mortaria poſſunt, &

alia huiuſcemodi, veluti ex ære Corinthia conflari, fruſtum adeò magni ponderis, vt illud vix non modò non eleuare ambabus manibus è terra, ſed aut læuorſum, aut dextrorſum mouere ſufficerem: librarum octuncialium trecentarum pondus ſuperâſſe maſſam aiebant. Eam in cuiuſdam reguli atrio à Maioribus relictam repererant. Sciebant tamen ipſi, quanuis nullius inſularis viuentis ætate electri quicquam eductum fuiſſet, vbi electrifodina eſſet: ſed ab eis locus eius vix potuit extorqueri: adeò iam ſtomacho pleni in noſtros viuebant. Oſtenderunt tandem, ſed dirutam, & lapidibus ac terra ſuperiniecta obcæcatam: tametsi leuiùs, quàm in ferrifodinis ferrum, fodiatur. Eam electrifodinam ſi opifices foſſoresq́ ad id miniſterium apti adeant, reduci poſſe arbitrantur. Non longè ab eadem arce Conceptionis, in iiſdem montibus ſuccini copiam non paruam, alibiq́ ſtillare in ſpeluncis glaucum colorẽ, quo pictores vtuntur, non vulgarem inuenerunt. Nemora prætergradientes, ſyluas immenſas, quæ arbores nullas nutriebant alias, præterquàm coccineas, quarum lignum veſtri mercatores Itali verzinum, Hiſpani braſilium appellant, reperêre. Hîc fortè, princeps Illuſtriſsime, tecum ipſe anceps contemplaberis, dicesq́ tecum: Veluti ex coccineis arboribus naues quaſdam onuſtas Hiſpani aduexerunt: veluti ex auro parùm, ex goſsipio modicum, ex ſuccino aliquid, ex aromatibus pauca: cur non auri cæterarumq́ rerum eam copiam, quam, vtì tu prædicas, polliceri tellus illa videtur, attulerunt? Ad hæc, quæ dederunt, reſpondebo. Præfectus ipſe Colonus ſuper his interrogatus, Hiſpanos, quos ſecum duxit, ſomno ocioq́

ocioq́ magis fuisse, quàm laboribus, deditos, seditionumq́ ac nouarum rerũ studiosiores, quàm pacis aut quietis, aiebat. Ab eo enim pars maior defecit. Præterea nõ potuisse priùs insulares vinci aut domari refert, eorumq́ vires frangi, ad imperium insulæ liberè capessendum. Hispani, se imperia eius sæua iniustaq́ ferre nequiuisse, multaq́ in eum commenti sunt. Propter quos obices, hactenùs vix impensæ lucrum respondisse voluït. Hoc tamen anno primo & quingentesimo, quo hæc tuo iussu scribo, intra duorũ mensium spatiũ, circiter ducentas supra mille unciales libras auri collegerunt. Sed ad inceptũ redeamus: hæc enim quæ per digressionem leuiter tetigimus, suo loco diffusiùs aperientur. Quum anxios igitur perturbatisq́ animis incolas Pręfectus videret, nec à vi & rapinis, donèc inter eos versarentur, prohibere nostros posset: pluribus ex finitimarum regionum primoribus conuocatis, conuenerunt, vt Præfectus vagari per insulam suos non sinat: sub prætextu enim auri & aliarum insularium rerum quærendarum, nihil intactum aut impollutum relinquebant. Ipsi verò incolæ Præfecto se daturos viritìm à quartodecimo anno vsq́ ad septuagesimũ, de suæ quisq́ regionis prouentibus tributum quod vellet, seruaturosq́ quod ille statueret, omnes pollicētur. Id fœdus ità ictum est: Cibauorum montium incolæ, vt singulis tribus mensibus, quos illi à luna lunas denominant, mensuram quandam illis obsignatam, plenam auro ad ciuitatem mittant. Qui verò terras incolunt, vbì aromata aut gossipium suapte natura oriuntur, quantitatem quandam per capita tribuant. Placuit fœdus: confectumq́ esset, vt pars vtraque promissa ser-

Hispani desidiæ notati.

uâſſet: ſed fames improba hęc omnia reſcidit: vix enim illis ſatìs corpora ad victũ per nemora quęritandum ſufficiebant, herbarum radicibus & ſylueſtrium arborum fructibus longo tempore contenti. Pleriq; tamẽ cum ditionarijs ſuis reguli inter eas egeſtatis anguſtias promiſsi vectigalis partem attulerunt: petentes à Præfecto ſupplices, vt ęrumnæ eorum miſereretur, ignoſceretq́;, donèc inſula ad ſtatum priſtinum reſtitueretur: fore vt quæ nunc deficerent, reintegrentur in duplum. Ex Cibauenſibus pauci fœdera ſeruârunt: laborabant enim acriore fame quàm cæteri. Hos moribus & lingua non aliter ab incolentibus plana differre aiunt, àc in cæteris regionibus ruricolæ montani, ſunt à curialibus diuerſi: licèt eodem genio viuant omnes, rudi ſcilicet ac ſimplici agreſtíque, aliquod tamen eſt inter eos diſcrimen. Ad Caunabóam captũ redeamus. Ille cùm ſe cõiectum in vincula videret, tanq̃ leo Libycus dentibus frendens, die noctuq́;, quo modo ſe indè liberaret, animo verſans, ſuadere Præfecto cœpit, vt, quandoquidem Cipangi regionem ſibi aſſumpſit in ditionẽ, præſidia Chriſtiana, quę ab incurſibus veterum hoſtium ſuorũ finitimorum eam tueantur, mitteret. Significatum enim ſibi fuiſſe ferebat, eam quotidiè graſſatione infeſtari, in prædamq́; bona ſuorum cuncta trahi. Sed hoc excogitato dolo, exiſtimauit fore, vt frater eius qui erat in regione cum cæteris propinquis, aut per vim, aut per inſidias tot ex noſtris caperent, quot ad ſe redimendum permutatione ſuppeterent. Præfectus autẽ intellecta fraude, Hoiedam mittit, ſed cum ea armatorũ copia, quæ Cibauenſium arma, ſi arma mouerint, ſuperare poſſet. Vix intra regionẽ noſtri venerant, cùm Cau-
nabóæ

nabóæ frater, conuocatis circiter quinque millibus suo more armatorum: nudi enim, sagittis sine ferreis cuspidibus, sudibusq́ꝫ & clauîs quibusdam bella gerunt: intra quandam domunculam eos circunsepsit obseditq́ꝫ. Hic Cibauus, tanquã vir disciplinæ bellicæ non ignarus, ad vnius stadij distantiam exercitum in quinque acies diuidit, cuique in gyrum per æquos tractus locum statuens: suam autem aciem eregionè nostris opponit. Indè cùm diligẽter omnia instituisset, ex acie sua, vt omnes æquis passibus vnà gradiantur, paulatìm signa dari iubet, pedetentimq́ꝫ vt vnà omnes vocibus sublatis pugnam vndiquè ineãt, manusq́ꝫ conferant, imperatum omnibus ordinibus reliquerat: nè nostrorum quisquam ità circunuallatus posset euadere. Sed nostri cum vna acie confligere satiùs esse rati, quàm eum impetum expectare, in aciem grandiorem per apertos agros venientem irruunt, eô quòd equestri prælio committendo ea pars commodior esset. In eos igitur sese equites præcipitant, equorum pectoribus eos prosternebant: leuiter profligantur, perimuntur quicunque expectârunt. Cæteri metu perculsi, in fugam conuertuntur, ad montanasq́ꝫ rupes asperas, relictis domibus, se recipiunt, indeq́ꝫ, vt eis ignosceretur, precabantur, se quodcunque imperatum libenter subituros, si intra natales suos eos viuere patiantur, attestantes. Caunabóæ fratre tandèm capto, popularium quenque in sua remiserunt. His actis, regio illa pacata est. Inter eos montes vallis, quam Caunabóa incolebat, Magóna vocatur, amnibus auriferis & fontibus fortunatissima, fertilisq́ꝫ maiorem in modum. Eo anno mense Iunio inauditum ab Euro turbinem, eleuatis vsque ad sidera rapi- *Turbo violentus.*

dis vorticibus,exortũ fuisse prædicant, qui quascunque maximas arbores offendebat, radicitùs euerteret. Is typho quum ad ciuitatis portũ iam peruenisset, tres naues, quæ solæ in ancoris stabant,ruptis rudentibus, sine vlla maris procella aut fluctu circumactas ter aut quater, in profundum mersit. Creuisseq; eo anno præter solitum intra terram,& extendisse se mare plusquàm cubiti mensuram,ferunt. Gentem hanc perturbâsse elementa,atq; portenta hæc tulisse, immurmurabant insulares. Has aëris procellas, vtì Græci typhones, furacanes isti appellant: crebrò nanq; surgere in ea insula inquiunt: sed furacanes nunquàm ęquè violentos aut furibundos: neq; enim viuentis vllius ætate aut memoria Maiorum extabat,similem vnquàm turbinem, qui & grandiores arbores euelleret, ad eam insulam ruisse: neq; mare ibì tempestatem vllam fuisse vnquàm perpessum cõstat: immò neq; maris æstuaria pati: vbicunquè enim littora planitiem aliquã attingunt,prata florida littoribus proxima reperiuntur. Caunabóam repetamus. Caunabóa rex & frater eius, cùm ad reges in Hispaniam ducebantur,dolore animi confecti, in itinere moriuntur. Præfectus autẽ,summersis fero turbine nauigijs, se interceptum videns, duas statìm Carauelas iussit fabrefieri: omnium enim artiũ magistros secum habebat. Intereà dum hæc fierent, fratrẽ suũ Bartholomæũ Colonum,ipsius insulæ more Hispano Adelantatum, cum metallarijs quibusdam armata manu ad aurifodinas, quas ad lequas ab Isabella sexaginta ante Cipangas, ductu insulariũ repertas, ire tentatum iubet. In eis effossos veterum tempestate profundos puteos inueniunt. Præfectus indè ingentes thesauros sibi illos, de

Inundatio aquarum magna.

quibus

quibus veteri testamento agitur, Salomonem Solymorum regem per sinum Persicũ comparâsse contendit. Sit, an non, non est meum dijudicare: sed longè abest meo iudicio. Metallarij diuersis in locis superficialem terram aurifodinarum circiter sex millia passuum durantium cribrantes in sicco, tantam ibi auri copiã iacére demersam censuerunt, vt mercenarius quisq; fossor ad id conductus, tres auri drachmas singulis diebus facilè queat effodere. His ità indagatis, Adelantatus simul & metallarij Pręfecto rem per literas significãt: quibus habitis quinto idus Martij anni quinti & nonagesimi, naues, quæ iam peractæ erant, statìm ad reges venturus alacer conscendit: prouinciæ gubernandæ fratri Bartholomæo Colono Adelantato, omni potestate relicta.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, REGII'QVE CONSIliarij, *Oceaneæ decadis primæ liber quintus, ad Cardinalem Ludouicum Aragonium, nostri regis nepotem.*



ADELANTATVS autem ipse Bartholomæus, ex sui fratris discedentis consilio, arcem in aurifodinis erigit. Hanc arcẽ Aureã appellat: quoniã ex terra quæ ad muros cõstruẽdos ferebatur, calones & muratores inter pinsendũ, aurũ deligebãt. Tres menses ad instrumenta, quibus aurũ lauari & colligi posset, con-

ficienda consumpsit: sed rem imperfectam, fame compulsus, reliquit. Ad sexagesimum indè milliare, quò ipse cum armatis pluribus concessit, panis insularis portionem quandam à prouincialibus habuit, permutatione rerum nostrarũ. Attamen morari diutiùs illic nequiuit. Relictis igitur ad eius arcis præsidium decẽ hominibus, cum ea panis insularis portiuncula quæ supererat: relictoq́ illis venatorio cane ad capiendum genus id animalis, quod apud eos esse suprà diximus cuniculo nostro simile, nomine Vtias, ad Conceptionem reuertitur. Erat prætereà is mensis, quo Guarionéxius rex, & alius illi finitimus, Manicauéxius nomine, tributa erant ei laturi. Ibì totum Iunium immoratus, vectigalia in integrum ab his duobus regibus, & victui necessaria sibi & ijs quos ductabat, qui erant fortè quadringenti, exegit. Circiter calend. Iulij, tres cum escarijs rebus, tritico, oleo, vino, suillis, vaccinisq́ carnibus salsis, Carauelæ aduenerunt: ea viritìm pro constitutione ex Hispania lata diuiduntur: quanuìs ex his aliqua madida corruptaq́ vecta esse conquererentur. Per has naues à regibus & fratre Præfecto, qui iam multa anteà de hac re apud reges egerat, vt ad meridionale insulæ latus habitationem traducat, in mandatis Bartholomæus gubernator habuit: erat enim ea pars aurifodinis propinquior. Imperatũq́ etiam illi est, vt regulos eos qui Christianos peremisse reperirentur, cum suis ditionarijs errati participibus, vinctos in Hispaniã mitteret. Tercentũ insulares cũ suis regulis captos mittit. Post explorata diligẽtiùs meridionalia littora, transportat habitationẽ, arcemq́ ibì super edito colle apud portum benè tutum cõdidit: quam arcem sancti
Dominici,

Dominici, quoniam die Dominico eô appulſus eſt, vocitauit. Amnis ſalubrium aquarum & varijs piſcium generibus optimis refertiſſimus, in portum amœnis vtrinquè ripis defluit. Miras eſſe fluminis naturæ dotes referũt: quacunq; enim fluat, omnia iucunda, vtilia omnia, palmeta, frutetaq; inſularia omnis generis, nauigantibus ramos floribus, fructibusq; onuſtos in caput interdùm declinabant, æquamq; ſoli eius, vel beatiorem Iſabellica, vbertatem prædicant. In Iſabella valetudinarios tantùm, nauiumq; magiſtros quoſdam, qui duas, quas inceperant, Carauelas perficerent, reliquit. Cæteros ad ſanctum Dominicum ad meridiem traducit. Poſt arcem conditam, relicto in ea viginti hominum præſidio, cum reliquis ipſe, occidentales inſulæ partes internas, hactenùs nomine tantùm notas, exploraturus, ſeſe accingit. Ad triginta indè lequas, id eſt, milliaria nongenta, in fluuium Naibam, quem à Cibauis montibus ad meridiem rectà per inſulæ medium deſcendere memorauimus, incidit. Hoc amne ſuperato, cum ſingulis armatorum hominum quinque & viginti turmis, decuriones duos ad regulorum terras, quorum nemora ex coccineis arboribus conſtant, per diuerſa dimittit. Læuorsùm iſti tendunt, ſyluas inueniunt, ingrediuntur, ſcindunt, cadunt altæ intactæq; hactenùs precioſæ arbores: ſingulas inſulares caſas decuriones ſinguli coccineis implent truncis: vbì, donèc nauigia ducantur, quæ illos abducant, ſeruẽtur. Adelantatus autem dextrorsùm iter capiens, non longè à ripa fluminis Naibæ potentem quendam, nomine Beuchium Anacauchóam, regem caſtris poſitis, contra Naibenſes incolas in armis eſſe, reperit, vt illos ſuæ

Fluuius amœnitate & fructuũ vbertate felix.

Syluæ coccineæ.

ditioni, velutì plures alios insulares regulos, subijceret. Huius potentis regia, occidentalem versùs insulæ calcem sita Xaragua, à flumine Naiba triginta lequas distans, montosa, aspera: sed quicunque reguli medium tenent, huius imperio pârent. Omnis ea regio, à Naiba ad vltimam Occidentis oram, auri expers est. Nostros, depositis armis, datoq; pacis signo, placidissimè, incertum, metu an humanitate, suscipiens, quidnam sibi vellent, interrogauit. Adelantatus inquit: Vt, quéadmodùm & reliqui huius insulę principes, Præfecto marino fratri meo, Hispanorum regum nomine, vectigalia præstes. Cui ille: Quomodò id à me potestis exigere, cuius nulla regio de multis, quæ mihi imperanti auscultant, aurũ gignit? audierat enim gentem exteram, quæ aurum auidè quæritaret, ad insulam aduentâsse: sed quòd aliud, quàm aurum cuperet, minimè arbitrabatur. Tunc Adelantatus: Absit vt cuiquam tributa iniungamus, quæ persolui facilè nõ possint, quibus've regiones careant. Gossampij, canabi, & aliarum huiuscemodi rerum copiam, regionem producere compertũ habemus: ex quibus prouentibus vt nobis aliquid impartiaris, petimus. At ille, his auditis, hilari fronte, sereno vultu, se, quantum voluērint accipere, de his daturum pollicetur. Dimissoq; exercitu, ipsemet præmissis nuncijs, Adelantatum vsq; ad locũ vbì ipse regiam habebat, ad lequas, vtì diximus, XXX comitatus est, totóque eo tractu per regulorũ ei subditorum diœceses iter semper fecerunt: alijs canabi, quod non peius nostro ligno ad nauium amplustre contexendum esse dicunt: panis alijs, alijs gossampij, pro telluris variæ natura, tributa imperantes. Ad regiam tandèm Xaraguensem ve-

veniunt. Hanc priusquàm ingrediantur, incolæ omnes regem suum Beuchium Anacauchóam ac nostros honorificè suo more recepturi occurrunt. Inter cætera spectacula, audi duo inter nudas & incultas gentes memoratu digna. Appropinquantibus primùm triginta fœminæ, regis vxores omnes, ramos palmarũ manibus ferentes, tripudijs, cantibusq; ac sonis, ex regis præcepto, nudæ toto corpore præter pudibunda, quæ femoralibus quibusdam gossampinis corruptæ contegunt, obuiàm prodeunt. Virgines enim, capillis per humeros sparsis, frontibus tamen vittâ ligatis, nullam sui corporis partem cooperiunt. Faciem, pectora, mammas, manus, cæteraq; subalbido colore prædicãt fuisse pulcherrima. Dryades formosissimas, aut natiuas fontium nymphas, de quibus fabulatur antiquitas, se vidisse arbitrati sunt. Palmarum manipulos, quos dextris gestabant chorizãtes, psallentesq; inuicèm, poplitibus flexis, Adelantato omnes dono dant. Domum deindè regis ingressi, eorum more lautè paratam cœnam inueniunt: vires reficiunt: noćte verò superueniente, pro cuiusq; statu, ad hospitia obsignata per regis ministros ducũtur, vbì in paratis pro eorum consuetudine lectis pensilibus, quos aliâs descripsimus, quieuerunt. Altero die ad eam domum quam sibi loco theatri construunt, nostri ducuntur. Ibì post multas variasq; choreas & saltationes, in latam planitiem duæ ex insperato ingentes armatorum acies descendunt, quas ludi & delectationis gratia (vt apud Hispanos ludus Troicus, id est, arundineus, sæpiùs instruitur) rex apparari iusserat. Cominùs accedentes, àc si hostes collatis signis, pro opibus, ꝓ focis, pro natis, pro imperio, ꝓ vita deniquè

Quo genere pompæ hic rex domũ reuersus, sit exceptus à sim.

niquè ipſa certaturi, concurrerent: ità duæ illæ acies vtrinque manus conſerunt miſsilibus telis & ſagittis. Intra breue horæ momentum quatuor cecidêre, pluresque vulnerati fuerunt. Acriùs pugnatum fuiſſet, nisì rogatu noſtrorum, rex dato ſigno pugnam diremiſſet. In tertium indè diē, conſilio regi præbito, vt goſſampij plus deincèps in ripis aquarum, quô impoſitum per focos tributum faciliùs perſolueretur, ſererent, ad Iſabellam, valetudinarios & nauigia, quæ incepta reliquerat, viſurus, tendit. Varijs morbis circiter trecentos reperit cecidiſſe: quarè anxius, & quid conſilij caperet, erat ignarus: cùm non modò ad valetudinem reſarciendam, ſed victui neceſſaria ferè cuncta deeſſent: neque enim ex Hiſpania nauis vlla aduentabat. Sic hæſitans, valetudinarios per regiones & caſtella in ipſis erecta, diſpartiri conſtituit. Caſtella enim, ab Iſabella recto itinere ad ſanctum Dominicum, id eſt, à ſeptentrione ad meridiem, per inſulam hæc erexerunt. Ab Iſabella ad lapidem ſextum & trigeſimum, Speranciam arcem condidit. A Sperancia verò ad lapidem quartum & vigeſimum, diuam Catharinā. A Catharina ad vigeſimum, ſanctum Iacobū arcem. A diuo Iacobo ad alia viginti milliaria, Turritam condidit munitiorem, quam Conceptionem appellauit: quòd in radice Cibauorū montium, quodque in planitie vaſtiſsima vbere & populoſa. Aliam deindè mediam inter Conceptionem & ſanctum Dominicum condidit, Conceptione munitiorem: quoniam intra terminos reguli, cui ſupra quinque incolarum millia parebant: Bonauum nomine vocant inſulares eius regionis vicum, qui caput eſt regni: propreteà Bonauum etiam voluit arcem Præfectus appellari,

Arces quas ædificârunt in inſulis.

lari. Per hæc igitur castella castellorumque vicina, in insulariũ domibus infirmis dispartitis, ad sanctum ipse Dominicum proficiscitur, à Regulis qui medium tenebant, imposita exigẽs inter eundum vectigalia. Vbì cùm aliquot dies morarentur, rumor exoritur, regulos omnes finium Conceptionis, desperatis in nostros animis viuere, studereque defectioni. Ad eos igitur, vbì hæc nunciata sunt, longis mouet itineribus. Cùm propiùs accederet, Guarionexiũ regionis huius capessendæ imperatorem ab omnibus fuisse delectum, fama increbuit: seductumque & solicitatũ, semiinuitum tamen, ab alijs fuisse, cùm nostrorum astus & arma iam aliâs expertus pertimesceret. Conuenerant certo die cum quindecim millibus hominum suo more armatorum, fortunã belli iterùm tentare. Ibì Adelantatus, consilio habito cum arcis præfecto, reliquisque militibus quos ductitabat, adoriendos esse incautos & palantes regulos in proprijs laribus, priusquàm exercitum comparent, constituunt. Ad singulos igitur regulos singuli cẽturiones mittuntur, qui ex insperato dormientes, priusquàm sparsis populis liceat conuenire, vicos eorũ ingreßi, quos non mœnibus, non foßis, non aggeribus circunseptos habent, impetunt, captant, vinciunt, ducunt quisque suum, vtì fuerat imperatũ. Ad Guarionexium Adelantatus ipse tanquàm ad potentiorem perrexerat, cepitque, sicut & alij eadem hora constituta suos. Quatuordecim ea nocte ex eis ad Conceptionem tracti sunt. Paulò pòst duobus ex ijs qui Guarionexium, reliquosque rerum nouarum studiosiores seduxerant ac subornauerant, supplicio affectis: nè suorum regum dolore confecti incolę agros desererent, quod summũ in-

incommodum propter ſementes, noſtris afferre potuiſſet, Guarionexium & reliquos dimiſit. Ditionarij ad quinque millium numerum confluxerunt, pro ſuorum regum liberatione inermes: intonuit aër, contremuit terra, præ clamore illorum vſque ad ſidera eleuato. Adelantatus Guarionexium atque alios, pollicendo, donando, minando, vt in poſterum cauerent, nè quid molirentur, admonet. Guarionexius apud populum orationem habuit de noſtrorum potentia, indulgentia in delinquentes, liberalitate in fidos: vt ſedent animos, nec quicquam vlteriùs adſtruant, cogitentq́ cõtra Chriſtianos, ſed vt illis obtemperent, obſequantur, ſeruiant: niſì ſe in maiores indiès calamitates trudi cupiant. Oratione habita, penſilem illum humeris captant, penſilemq́ vſq́ ad ſuæ regiæ pagum humeris portant. Ità per aliquot dies regio pacata eſt. Soliciti tamẽ & triſtes noſtri, in exteris regionibus deſerti, quòd quintuſdecimus iam menſis à Præfecti diſceſſu ageretur: quia cuncta, quibus indui veſciq́ ſolebant, deficerent, demiſſo vultu incedebant. Adelantatus eos, quàm meliùs poterat, inani ſpe depaſcendo ſolabatur. Dum hæc agerentur, Beuchius Anacauchóa (ſic enim Xaraguæ occidentalis partis, quam ſuprà memorauimus, rex vocabatur) ad Adelãtatum nuncios mittit, qui goſſampium cæteraq́ vectigalia, quæ ſibi ſuiſq́ incolis imperauerat, parata eſſe ſignificârent. Ad iter ſe accingit Adelantatus, pergit, honorificè à rege recipitur & eius ſorore, quæ quondàm Caunaboæ regis Cibaui vxor, non minoris erat in fraterni regni gubernatione momenti & conſilij, quàm frater. Aiunt enim eam eſſe vrbanã, facetam, ac prudentiſsimam: fratriq́, vt Chri-
ſtianis

ſtianis aſſentetur, blandiatur, obtemperet, exemplo mariti eius edoctus, perſuaſerat. Hæc fœmina, Anacaóna nuncupatur. Duos & triginta ibì regulos in Beuchij Anacauchóæ regia congregatos, cum tributis expectantes, reperit: qui omnes præter imperata vectigalia, ad beneuolentiam cum noſtris captandam, munera tulerunt ingentia ex vtroque pane, radicali ſcilicet ac paniceo: vtias, id eſt, cuniculos inſulares innumeros, piſcesq́ꝫ: ſed nè putreſcerent aut corrumperentur, aſſos tulerunt: & de ſerpentibus, quos inter edulia principatum obtinere, crocodilisq́ꝫ ſimilimos eſſe, ſuprà deſcripſimus: iuannas, ſerpentes vocant. Has in inſula naſci ſerò didicerunt: neque ex eis noſtri ob fœditatem, quæ horrorem, non modò nauſeam, inducere videbantur, guſtare hactenùs auſi fuerant: prœmordere paulatìm Adelantatus iuannam, regis ſororis pellectus facetijs, ſtatuit: ſed vbì demulcere carniū earum ſapor palatum & guttur cœpit, plenis deindè faucibus eas expetere videbatur: non mordicùs deindè, neque vix vncto labello illas delibabant, ſed heluones omnes effecti, de re nulla iam præterquàm de ſerpentium ſuauitate ſermocinabantur, lautiorésq́ꝫ eſſe dapes illarum, quàm aut pauonis, aut phaſiani, vel perdicis apud nos. Sed ſi aliter quàm vno condiantur modo, vtì pauones & phaſiani, nisì lardo inuoluti, verubus aſſentur, ſaporē perdūt. Euiſceratas à iugulo ad inguina, lotasq́ꝫ ac deterſas diligenter, & in gyrum poſteà, in modum anguis dormientis in ſe recepti, inſinuatas, in ollam ſuî tantùm capacem, pauliſpèr aquæ cum pipere inſulari ſuperiniecto, comprimunt, tenuiter igne ex quodā ligno odorato minimè fumoſo ſuppoſito.

Vtiæ.

Iuannæ.

ſito. Ex abdomine ſic ſtillato ius efficitur, vt aiunt, nectareum, nullumq́ eſſe epularum genus ouîs ipſarum ſerpentium par ferunt, quæ per ſe & leniùs coquuntur. Sic coctæ & recentes, ſuauiſsimæ: & ſeruatæ per aliquot dies, iucundiſsimæ ſunt. De edulijs ſatìs, ad alia veniamus. Quum vectigali goſsipio inſularem quãdam caſam Adelantatus impleuiſſet, panis ſui quantumcunque vellet ſe libenter imparticuros reguli pollicentur. Is oblata eorum acceptans, gratias agit. Intereà igitur dum per regiones panis conficeretur, ad regiamq́ Beuchij Anacauchóæ Xaraguenſis regis portaretur, ad Iſabellam nuncios mittit, qui adduci peractam carauelã de duabus, quas inceptas reliquerat, ſuo nomine imperent. Pane nanque ſe onuſtam ad eos illam remiſſurũ renunciauit. Læti nautæ, nauim ad Xaraguenſe littus, inſulam circumeuntes, plenis velis tendunt. Beuchij Anacauchóæ regis ſoror, illa faceta, prudens & magni ingenij mulier Anacaóna, vxor quondàm Caunabóæ, vbì nauim noſtram ad patrium littus ſuum applicatã cognouit, fratri perſuadet, vt ambo ad illam videndam proficiſcantur: ſex tantùm paſſuum millia littus à regia diſtabat. Itinere autẽ medio, in vico quod eſt ipſius regiæ ſororis gazophylacium, pernoctatum eſt. Illius verò theſauri, non aurum, non argentum, non gemmæ, ſed vtenſilia tantùm, resq́ ad humanum vſum attinentes, vtputà ſedilia, paropſides, lances, pelues, patellæ ex ligno nigerrimo, lubrico, lucido (quod hebenum eximius artium & medicinæ doctor tuus Ioannes Baptiſta Elyſius eſſe contendit) confectæ, & arte mira laboratæ. In his enim quicquid eſt incolis ingenij à natura tributum, exercent. Sed hæc illi

fœminæ

fœminæ in insula sua Guanabba (quam in faucibus occidentalibus Hispaniolæ insulæ, si pictam videris, iacére conspicies) fabrefiunt: in eis lemurum, quos noctù videre se prædicant, serpentũ, hominum, & aliarum rerum quascunque semèl intuentur, viuos vultus cælant. Quid facturos illos, illustrissime Princeps, putares, si ferrum & chalybem assequerentur? illa enim omnia igne priùs interiùs mollefacta, lapillis postmodùm fluuialibus quibusdam cauant & diducunt. De sedilibus Adelantato quatuordecim, de vtensilibus autem mensarijs & coquinarijs fictilibus sexaginta, dono dedit. Quatuor prætereà neti gossampij glomos ponderis immensi tribuit. Ad litus igitur postero die cùm peruenissent, vbì pagus erat alter regius, seruitoriam iussit Adelantatus cymbam instructam aduehi. Rex autem canóas, suo more depictas, duas: vnam, qua ipse cum familiaribus suis: alteram, qua soror Anacaóna & eius ancillæ veherentur, apparat. Sed in seruitoriam cymbam voluit Anacaóna cum Adelantato vehi. Cùm naui iam appropinquarent, ex composito ignem tormentis suffigunt: mare tonitruis, aër puluereo fumo, implentùr: tremunt, terrentur, mundi machinam laborare ea concussione arbitrati sunt. Verùm enim vbì Adelantatum ridere, in faciem eorum versum, vident, sedant animos. Cùm autem propiùs irent, fistulæ, tibiæ, tympanáque instructis choreis pulsantur. Illi sonitûs dulcore allecti, stupent, admirantur. Ingressi nauim, vbì proram, puppim, castella, tabulata, carinam, cubicula diligenter percurrerunt, frater in sororem, soror in fratrem oculos vertentes, obmutescebant: neque quid præ nimia admiratione inuicèm lo-

querentur, inueniebant. Dum his intenti per nauim vagarentur, eleuari ancoras, ex temporeq́ vela ex antennis deuolui & protendi, in altumq́ dirigi iubet. Tum verò stupidiores, cùm sine remis, sine hominum robore, molem ità grandē adeò celeriter, per æquor volitare conspicerent: flabat enim è terra optatus ad id ventus: sed tunc multo magìs, cùm eodem vento duce, ire modò, modò redire, modò in dextrā, in læuam modò, vtì libebat, vertere nauim cernerēt, admirabantur. His ità peractis, naui pane radicali cæterisq́ muneribus repleta, nostris etiam muneribus donatis, non modò Beuchium Anacauchóam regē sororemq́ eius, sed ministros ancillasq́ vtriusq́ alacres stuporeq́ plenos dimisit. Ipse verò terrestre iter aggressus, cum militibus ad Isabellam concesit. Ibì Rodalnum quendam Ximenū facinorosum, quem fossorum & calonum ductorē ex famulo suo, deindè iustitiæ præsidem, Præfectus erexerat, malo viuere in Adelantatum animo significatum est. Comperit insupèr Guarionexium regem, huius Rodalni & aliorū relictorum insolētias & rapinas pati vlteriùs nequiuisse, cum familiaribusq́ suis & ditionarijs pluribus, desperato animo, ad montes quosdam, qui ab Isabella decem tantùm lequas, Occidentem versùs, in littore septentrionali, distant, secessisse. Montes, montiúmque incolas, vno nomine Ciguáios vocant. Regem regulorum monticularum principem, Maiobanexium appellant: eius regia, Capronus dicitur. Montes asperi, alti, inaccesi, in arcum à natura dispositi, ad mare cornua porrigunt. Inter vtrunque montis eius cornu pulchra planities, per quam in mare plura flumina à montibus ipsis delabuntur.

Seruilis ingenij euecti intemperies & malitia.

tur.

tur. Gens fera, bellicosa, q̃ à Canibalibus originẽ traxisse creditur: cùm enim è montibus ad planitiem, bellum finitimis illaturi, descendunt, si quos perimant, comedunt. Guarionexius igitur ad hunc regem monticolam confugiens, dona illi regia multa suo more, quibus monticolæ carent, impartitus est: retulitq; sese nefariè, fœdè, violenter à nostris tractatum: nec humilitatem, nec superbiam quicquam sibi apud nostros profuisse conqueritur. Proptereà se supplicem ad eum venire, vt illum tutetur, defendatq; ab iniurijs facinorosorum hominũ, precatur. Maiobanexius autem omnem illi opem, tutelam, pręsidium contra Christianos pollicetur. Ad Conceptionem igitur Adelãtatus proficiscitur. Roldanum Ximenum, qui in insularum pagis ad milliare duodecimum, cum ijs qui eum sequebantur, hospitabatur, accersiri facit: quid sibi vellent hi motus, interrogat. Ille perfricata fronte respondet: Almirantum fratrem tuum interîsse, regibúsque nostris paruæ curæ res nostras esse videmus: fame, dum te sequimur, perimus: cogimur infelicem victum per insulam quæritare. Prætereà me vnà tecum insulæ gubernatorem, Præfectus reliquit: quarè mens nobis est, nolle vlteriùs tuo imperio parére. Hęc & alia Roldanus. Adelantatus autem manum in eum inijcere cupiens, nequiuit: euasit enim, secutíque illum sunt septuaginta homines, quibus comitatus, ad Occidentem in Xaraguam regionem se contulit: ibíque, vtì Almirantus nùnc & frater eius testantur, solutis habenis, stuprari, prædari, trucidare cœperunt. Intereà dum hæc fierent in insula, à regibus tandèm nauigia Almiranto obsignantur octo: de qui-

bus primùm duo ex Gadibus Herculeis rectà cum alimentis mittit ad Adelantatum fratrem. Hæc duo nauigia ad eam insulæ partem occidentalem, in qua Roldanus Ximenus cum consortibus agebat, casu primùm appulsa sunt. Seducit illos Roldanus, pro ligone puellarum papillas tractandas, pro labore voluptatem, pro fame affluentiam, pro lassitudine & vigilijs, quietem promittẽs. Guarionexius intereà, comparata manu amicorum, ad plana sæpenumerò descendens, insulares nostrorum amicos, Christianosq́ quoscunque assequebatur, trucidabat, agros hostiliter vastabat, sementes diripiebat, pagos depopulabatur. Roldanus comitésque, quanuìs Almirantum propediè̀m vẽturum sensissent, quãdoquidem nouos homines cum duobus nauigijs præmissis vectos subornauerant, minimè perterrebantur. Dum inter hos fluctus miser Adelantatus fratrem indiès expectans versaretur, Præfectus frater ex Hispanis littoribus cum reliquis nauigijs discedit. Sed non itinere recto ad Hispaniolam: vertit enim se ad meridiem. Qua nauigatione quid sit operatus, quas maris ac terrarum oras peragrauerit, quid, nouos tractus detegens, inuenerit, priùs enarremus. Harum enim seditionum & tumultuum euentum, in sequentis libri calce latè referemus.

Vale.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, CONSILIARII'QVE *regij, Oceaneæ decadis primæ liber ſextus, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.*



EX oppido Barrameda, Bętis oſtio, à Gadibus parũ diſtanti, cum octo nauibus onuſtis, tertio Cal. Iunij, anni octaui & nonageſimi, Colonus dat vela: aſſuetum'que iter ſuum per Fortunatas, ob piratas quoſdã Gallos, qui, vt illum adorirentur, in itinere recto opperiebantur, detorſit. Ad Fortunatas ituris, ad milliare vigeſimum & ſeptingenteſimum lęuorſum, Madera incurrit inſula, quæ auſtralior Hiſpali eſt quatuor gradibus. Eleuatur enim Hiſpali polus arcticus gradus ſex & triginta: huic autẽ inſulæ, vtì nautæ referunt, duo & triginta. Maderam igitur primùm adnauigauit: indè miſsis ad Hiſpaniolam itinere recto nauibus reliquis commeatus vehentibus, cum vna naui caueata, & duabus mercatorijs carauelis, auſtralis plagæ iter aggreſſus eſt, lineam petiturus æquinoctialẽ: deindè vt eius Occidentem ſequẽs, locorum quę reperirent, naturam, Hiſpaniola ad ſeptentrionem dextrorſum relicta, veſtigaret. Iacent in eo diſcurſu mediæ Heſperides Portugallenſium inſulæ tredecim, præter vnã, inhabitatæ, quæ Caput Viride appellantur. Hæ ſunt interiori Aethiopiæ eregionè ad Occidentem, duorum tantùm dierum nauigatione, vicinæ. Ex his vocant Portugallẽſes vnam Bonauiſtam, cuius teſtudinibus

Testudinũ genere quodam medetur lepræ. multi quotannis leprosi sua labe mundãtur. Indè, cùm esset ibi aër contagiosus, subitò discedens, ad aphricum, qui medius est inter austrũ & fauonium, millia passuum CCCCLXXX nauigauit. Ibì malacijs & ardoribus, nam erat is Iunius mensis, adeò (vt ait) oppressus fuit, vt ferè nauigia illi incenderentur: cadorum circuli crepabant & rumpebãtur, aqua dispergebatur. Homines eos æstus sufferre nequibant: eleuabatur enim eis, vt ipse retulit, ab horizonte polus gradus quinque tantùm. Octo dierum, quibus ea *Miri quiddam.* perpessus est, primus fuit serenus: reliqui, nubili ac pluuiosi, nec eo minùs feruidi. Quarè sæpiùs, adîsse, non mediocriter pœnituit. Actis in eo discrimine & angustia his octo diebus, vulturnus illis flatu secundo exoritur: quem ventũ secutus, rectà ad Occidentem, eius paralleli aliam stellarum faciem, aliámque aëris gratiam, ait se Præfectus reperisse. Nam in tertium indè diem, temperiem se amœnissimam sensisse, inquiunt omnes. Asseuérat enim Pręfectus, se à malacijs & ardoribus semper ascendisse per maris dorsum, velutì per altum montem cælum versùs ascenditur: nec tamen adhuc in omni prospectu terram vllam viderat. E cauea tandèm grandioris nauis, pridiè calendas Iulij, nauta quidam speculator tres montes altissimos, sublatis præ lætitia ad cælum vocibus, se conspicere proclamat: nè frãgantur animo, hortatur: mœsti enim erant, tum adusti Solis ardoribus, tum quoniam aqua illis deficiębat, cùm cadi, qui præ nimio calore concrepuerant, aquam per scissuras euomuissent. Læti ergò adeunt: attamẽ vbì primùm terram attigerunt, eò quòd ibì esset mare vadosum, quãuis portum à longè viderint, aliâs

satìs

ſatis commodũ, non potuerũt terrã capere. Habitatam eſſe regionem & benè cultam, perpenderunt è nauib⁹: nanq; cultiſsimos hortos, & amœna viridaria vident: ex quorum herbis & arboribus matutini rores ad eos ſuaues efflabant odores. Ad vigeſimum indè lapidem, in portum íncidit recipiendis nauibus ſatìs aptum, ſed nullus in eum amnis decurrebat. Procedens igitur, reperit tandèm portum reparandis nauibus aptũ, & aqua & lignis ſumendis accommodatũ: Arenalis, Putam, hanc terram vocat. Vicina portui domicilia nulla reperêre, ſed innumera quorundam animalium veſtigia, velutì caprina, inuenerunt: de quorũ genere vnũ vidêre mortuum, vt aiunt, quaſi capreæ ſimile. Altero die canóam à longè venientem proſpiciunt, qua vigintiquatuor homines vehebantur, iuuenes omnes elegantes & proceræ ſtaturæ: ſcutis, præter arcus & ſagittas, vltra morem aliorum, armati: capillis oblongis, planis, & quaſi more Hiſpano ſciſsis in fronte. Pudibunda, vittâ goſſampinâ varijs coloribus intextâ, tegebant, cæterum nudi. Tunc verò terram illam reliquis eius paralleli regionibus cælo proximiorem eſſe, & à craſsis conuallium ac paludum vaporibus remotiorem credidit, quanto aliorum montium à profundis vallibus ſuprema culmina recedunt. Quoniam ſe ab Aethiopiæ parallelis nunquàm exijſſe in tota ea nauigatione pertinaciter Almirantus affirmat, tantáque ſit in vtriuſque terræ incolis, continentis ſcilicet Aethiopiæ & inſularum, naturæ varietas: Aethiopes enim nigri, criſpi, lanati, non autẽ capillati: hi verò albi, capillis oblongis, protentis, flauis. Vndè diſcrimẽ hoc tãtum oriri poſſit aliâs, nõ video. Terræ igitur diſpoſitio, nõ cæ-
 lorum

lorum flatus, eam causatur varietatem. Scimus in torridæ zonæ mõtibus niues cadere, durareq́; : scimus & in valdè distantibus ab ea ad septentrionem vrgeri magno calore habitatores. Iuuenes obuios vt alliceret Præfectus, specula, vasa ęnea, tersa, lucida, tintinnabula, aliaq́; eiuscemodi ignota illis ostendi iussit. Illi autem quo magìs vocabantur, tanto magìs fraudem inesse & strui timentes, retrocedebant: cum summa tamen admiratione nostros, & eorum res ac nauigia, fixis oculis intuentes, at remis semper innixi. Videns Præfectus muneribus illos adduci non posse, iussit è cauea grandioris nauis, tympana, tibiasq́; pulsari, cantariq́; inferiùs, ac instrui choreas: cantûs & insoliti sonitûs dulcedine illos posse vinci existimans. Iuuenes autem, ad certamen canere nostros è caueis, arbitrati, citiùs ictu oculi, relictis remis, sagittas arcubus, scuta brachijs aptârunt, cuspidibusq́; in nostros directis, quid sibi vellent hi sonitus, parati opperiebantur. Nostri ecõuersò, paratis sagittis, ad illos paulatìm mouent. Illi verò à naui prætoria discedentes, dexteritate remorum freti, vnam ex minoribus adeunt: adeoq́; illi adhęserunt, vt nauis gubernatori sagulum, pileumq́; cuidam primario alteri è puppi porrigere licuerit. Per signa, vt eius nauis gubernator in littus descendat, ibì inuicèm collocuturi, vt aptiùs poterant, data fide, conueniunt. Sed cùm ipsum nauis gubernatoré ad prætoriam nauim, veniam colloquij petítum, accedere conspexerunt, insidias veriti, statìm in canóam prosiliunt, auraq́; velociùs auolârunt. Non longo ab ea insula spatio semper ad Occidentem, Præfectus se fluxum aquæ rabidum ab Oriente in Occidenté, atque adeò impetuosum, reperisse ait, vt nihilo torrenti

torrenti vasto ex altis montibus decidenti cederet. Ibì se, ex quo nauigare à teneris cœpit, nusquàm tantum formidâsse fatetur. Vlteriùs aliquantulùm per id discrimẽ procedens, fauces reperit quasdam octo milliarium, velutì alicuius maximi portûs introitum: ad quas aquarum ille defluxus ruebat. Os Draconis, fauces appellauit: & insulam Ori Draconis oppositam, Margaritã. Ex faucibus autem non minor impetus aquarum dulcium, venientibus salsis occurrens, egredi conabatur: ità quòd ibì esset inter vtrasq; vndas nõ leue certamẽ. Sinum ingressus tandèm, potabiles ac suaues aquas esse cognoscit. Atq; aliud maius ipse Præfectus, & reliqui nauigationis eius comites fide digni, mihi diligentiùs omnia percontãti retulerunt: se videlicet lequas sex & viginti, hoc est, millia passuum quatuor supra centũ, per semper dulces aquas adnauigâsse: quantoq; vlteriùs, ad Occidentem præcipuè, procederet, tanto asseuérat dulciores. Occurrit deindè monti altissimo, quem cercopithecorum ab ea parte oriẽtali multitudo tantùm incolebat. Id latus asperum, propterea hominibus inhabitatum: apud littus tamen in terram exploratũ missi, cultos plerosq; satosq; agros reperisse retulerunt: gentem autem aut casas nullas: vt ruricolæ nostri sæpiùs etiam à villis aut stationibus, quas incolũt, seminatum longiùs fortè proficiscuntur. In montis eius occidentali latere latam agnoscunt iacére planitiem, hanc læti adeunt, iaciunt ancoras in lato flumine. Cùm primùm indigenæ gentem ad eorum littora nouam appulsam esse cognoscũt, certatìm visendi studio sine vllo metu ad nostros festinant: à quibus per signa, Pariam vocari terrã illam, quæ maxima esset, & quãto vlteriùs ad Occidentem,

tanto populosiorem, collegerũt. Quatuor igitur hominibus ex eius terræ incolis in nauem suam sumptis, occidentale latus prosequitur. Ex aëris temperie, ex amœnitate terræ, ex populorũ amplitudine, quibus indiès magìs ac magìs inter nauigandum occurrebãt, quòd regio illa magni aliquid portenderet, omnes recensent: neq; illos sua fefellit opinio, vtì suo loco videbimus. Sole nõdùm exorto, surgere tamen iam volẽte, quodam die, locorum suauitate allecti, sentiebant enim ex terræ viretis gratissimos odores afflari, terrã captãt. Ibì numerosiorem, quàm alibì vsquàm, incolarum multitudinem esse perpenderunt. Statimq́; nostris propiùs se applicantibus, eius terræ Cacici nomine nuncij ad Præfectũ mittuntur, se suaq́; omnia hilari fronte per signa & nutus offerendo: à Præfecto, vt in terram descẽderet, nec quicquam vereretur, petunt. Renuẽte Præfecto, eccè visendi studio, cum eorum cymbis innumeri ad naues confluunt: colla lacertosq́; maiori ex parte auro & vnionibus Indicîs torquati armillatiq́;, atq; id adeò populariter gestabant, vt ex vitro non maiora calculorum serta fœminæ nostrates ferant. Vbinàm illa quæ gerebant, legerentur, interrogati: proprium littus digito monstrabant: manuumq́; ac labiorum torsione & motu, vniones apud se non magnifieri, significare videbantur. Immò & canistris manu captis, posse ibì, si apud eos versari vellent, canistratìm colligi, insinuare videbantur. Sed quoniam frumenta quæ vehebat ad Hispaniolã, ferè iam salo corrumperentur, differre id cõmercium in accommodatius tempus statuit. Duas tamen ex seruitorijs cymbis, ad terram hominibus onustas misit, qui de vnionibus aliqua serta, per rerum nostrarum

Vnionum vilitas & copia.

rum

rum permutationem, referrent: & de locorum ac hominum natura, quæcunque possent, scrutarentur. Illi nostros adeuntes, hilares & animo læto suscipiunt. Mirus ad nostros, tanquàm ad portentū aliquod, erat numerus confluentiū. Duoq́ꝫ viri graues nostris primùm obuij, quos reliqua turba sequebatur, prodeunt, grandæuus alter, alter iunior. Patrem & filium successurum, autumant fuisse. Salutationibus vtrinquè peractis, in domum quandam sphæricam, cui magna platea adiacet, nostros adducunt. Ex ligno nigerrimo, arte mira laborato, sedilia feruntur multa. Postquàm nostri & eorum primates assederunt, eccè veniunt ministri dapibus alij, alij vino onusti: sed eorum cibi fructus tantùm, varij tamen generis, nostris penitùs ignoti. Vina verò tam alba quàm rubētia, nō ex vuis, sed ex diuersis fructibus com pressa, nō iniucunda tamen. Sumptis apud seniorem cibis, iunior illos ducit in tabernaculum suum. Viri fœminæq́ꝫ adstabant plures: sed vbiquè viri semper à fœminis separati. Vtriusq́ꝫ sexûs indigenæ albi, velutì nostrates, præter eos qui sub sole versantur: mites, hospitales, pudenda gossampino velamine, varijs coloribus intexto, contegunt: cætera nudi. Nemo aderat qui non esset vnionibus & auro aut torquatus aut armillatus: multi vtrunque: sed vtì vitreos nostri rurales calculos ferūt. Interrogati, vbinàm aurum illud quod gestabāt, gigneretur: digito signabāt, e regionè in quibusdam montibus: sed nostris, tanq̄ minitantes, accessum dissuadere videbantur: cómedi enim illic homines, gestu manibusq́ꝫ innuebant. Sed an à Canibalibus dicerent, an à feris syluestribus, non benè perceperunt. Quòd nostros intelligere, à nostrisq́ꝫ intelligi nequirēt, ingenti

ingenti molestia afficiebantur. His qui misi fuerant, hora tertia post meridiem cum quibusdam vnionum sertis ad naues redeũtibus, ancoras eleuant: neque propter frumenta, vti ipse ait, quæ vehebat, diutiùs moratus est: animo tamẽ, compositis rebus Hispaniolæ, intra paucos dies redeundi: sed tanti præmium inuenti surripuit alter. Institit & eius pelagi profunditas modica, aquarúmve cursus præcipites, qui assiduis conflictibus grãdiorem nauẽ, si vis ventorum aliqua surgebat, conquassabat. Ad euitãda vadorum discrimina, leuiorẽ ex carauelis, quæ breui fundo contenta erat, tãquàm exploratricẽ, plumbatis fundi altitudinem tentantem, semper præmittebat, sequebantur aliæ. Cumana & Manacapana, in vasta Pariæ prouincia, dicebantur ab incolis illę regiunculæ, in spatio milliarium ducentorum triginta: à quibus altera regio distat lequas sexaginta, nomine Curiana. Cùm autẽ longum ità maris tractum percurrisset, putãs assiduè insulam esse, dubitansq; posse per Occidentẽ se ad septentrionem, vt ad Hispaniolam iter caperet, exóluere, in fluuium íncidit profunditatis triginta cubitorũ, latitudinis verò inauditę: ait enim octo & viginti lequarum fuisse. Paulò autem vlteriùs, ad Occidentem tamẽ semper, sed meridionaliùs aliquantispèr, cùm ità littorum se flectentium ratio exigeret, mare herbidum ingressus est: supernatans herbarum semen, lentisci baccas æmulabatur. Quarè herbarum densitas, nè benè fluerent nauigia, impediebat. Ibì, Præfectus refert, diẽ esse nullum toto anno multò longiorem aut breuiorem altero. Arcticum polum in ea regione quinq; tantùm gradus, sicutì Parię, disputat eleuari: in cuius tractu hæc omnia littora iacent. De poli etiã va-

Mare herbidum.

rietate

rietate quędam refert, quę, quoniã contra omnium Astronomorum sententiam prolata mihi videntur, sicco pertingam pede. Compertum est, illustrissime Princeps, polaré illam stellã, quam nautæ nostri Tramontanam vocant, non esse arctici poli punctum, super quo cælorum axis vertatur: quod facilè dignoscitur, si stellis primùm apparentibus, per angustũ aliquod foramen stellam ipsam conspexeris, eandemq; si vltima vigilia, aurora illas fugante, per idem foramen cõspicies, locum mutâsse cõperies. Sed quo modo fieri poßit, vt primo noctis crepusculo in ea regione quinq; tantùm gradus tẽpore Iunij eleuetur, stellis autem discedentibus, obuenientes solares radios sumpto eodem quadrante quindecim, non intelligo: nec ratiões quas ipse adducit, mihi planè nec vlla ex parte satisfaciunt. Inquit enim se orbem terrarũ non esse sphæricũ coniectâsse, sed in suî rotunditate tumulum quendam eductum, cùm crearetur, fuisse: ità quòd nõ pilæ aut pomi, vt alij sentiunt, sed piri arbori appensi, formam sumpserit, Pariamq; esse regionẽ, quæ superemînentiam illam cælo viciniorẽ poßideat. Vndè in triũ illorũ culmine mõtium, quos è cauea speculatorẽ nautam à longè vidisse memorauimus, paradisum esse terrestrẽ asseueranter contendit, rabiemq; illam aquarum dulcium, de sinu & faucibus prædictis exire obuiàm maris fluxui veniẽti conantẽ, esse aquarũ ex ipsis montiũ culminibus in præceps descẽdentium. De his satìs, cùm fabulosa mihi videantur. Ad historiam, à qua digreßi sumus, reuertamur. Cùm se, præter optatũ, tam vasto sinu implicitũ cerneret, nec iam reperiendi ad septentrionem exitum, quo ad Hispaniolam vertere proras posset, spem vllã haberet, eádem

qua

qua profectus fuerat, regreditur, iterq́; suum per ſeptentrionem eius terræ ab Oriēte ad Hiſpaniolam capit. Hanc qui poſtmodùm accuratiùs vtilitatis cauſa inueſtigârunt, continentem eſſe Indicum volunt, non autem Cubam, vtì præfectus: neque enim deſunt qui ſe circuîſſe Cubam audeant dicere. An hæc ità ſint, an inuidia tanti inuenti, occaſiones quærant in hunc virum, non dijudico: tempus loquetur, in quo verus iudex inuigilat. Sed quòd Paria ſit vel non ſit continens, Præfectus non contendit: continentem ipſe arbitratur. Pariam autem eſſe Hiſpaniola octingentis octogintaduobus millibus paſſuū auſtraliorem, Præfectus refert. Ad Hiſpaniolam tandèm viſendorum militum, quos ibì cum fratribus reliquerat, tertio calend. Septembris octaui & nonageſimi anni, cupidiſsimus tetendit. Sed, vtì pleraque mortalium ſolent, inter tot ſecunda, dulcia, læta, abſinthij ſemen fortuna in medium proiecit, zizaniaq́; omnibus eius ſuauia commaculauit.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, CONSILIARIIQVE

regij, Oceaneæ decadis primæ liber ſeptimus, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.



ENIENS ad inſulam Pręfectus, vltra ſpem omnē perturbata oīa, in præcepsq́; iam labentia cuncta inuenit. Roldanus enim, qui eo abſente à fratre diſceſſerat, multitudine

tudine quæ eum sequebatur, fretus, ad Præfectũ quondàm dominum, qui eum euexerat, non modò non venire instituit, sed conuicijs illum lacerare, scribereq́; ad reges de vtroque fratre nefanda incepit. Præfectus autem ad reges nuncios mittit, qui de eorum defectione certiores faciãt: instatq́; simul, vt militares homines ad se mittantur, quibus vires eorum infringere, punireq́; pro commisis quenq; valeat. Illi de vtroq; fratre grauiter conquesti, iniustos, impios, Hispani sanguinis hostes & profusores, vocabant: quòd leuibus de causis torquere, iugulare, obtrũcare, quoquo modo perimere delectarentur. ambitiosos, superbos, inuidos, intolerabiles tyrãnos esse, ꝓclamabãt: propterea se ab eis tanq̃ à feris sanguine gaudẽtibus, & regum inimicis, discessisse: perspexisse enim se, aiebãt, nil aliud ipsos moliri aut animo versare, quàm de vsurpando insularum imperio: idq́; mille coniecturis perpendisse argumentabantur: sed præcipuè, quòd adire aurifodinas aurum collectum, neminem præter familiares suos patiebantur. Præfectus autẽ econtrariò, cùm à regibus auxilia, quibus debitis illos pœnis posset afficere, poscebat: homines eos esse, qui talia in se commentarentur, omnes flagitiosos, facinorosos, lenones, fures, stupratores, raptores, vagos, quibus nihil pensi, nulla ratio inesset, periuros, falsos, cõuictos in prætorijs, aut pro commisis minas iudicum timentes: sese de medio sustulisse, ibiq́; violando, rapiendo, ocio, ventri, somno, libidinibus deditos, nemini parcere: & qui vt foderent, officioq́; calonũ fungerentur, adducti fuerant, nunc neq; stadium domo egrediuntur pedibus: ab insularibus nanque miseris pensiles per totam insulam, tanquàm

Partium apud regem excusationes.

ædiles

ædiles curules, ferũtur. loci etiam gratia, nè manus ab effundendo sanguine desuescat, vt lacertorum vires experiantur, eductis ensibus, inter se certant super obtruncandis innocentum capitibus vno ictu: & qui agiliùs ictu suo caput miseri deijciebat in terram, ille fortior honoratiorq́ꝫ inter ipsos censebatur. Illi in Præfectum ea, Præfectus in eos hæc & alia multa. Dum hæc ità geruntur, vt Ciguauis populis, de quibus suprà, Guarionexio duce, multa damna inferẽtibus obuiaretur, Adelantatũ fratrẽ cum nonaginta tantùm peditibus, equitibus verò paucis, mittit: tribus tamen millibus insularium, qui à Ciguauis aliâs acriter stimulati, inimicitias cum eis capitales exercebant, sequentibus illum. Cùm igitur Adelantatus ad cuiusdam magni fluminis ripam, per eam planitiem, quam suprà inter Ciguauorum montium cornua & mare iacére memorauimus, defluentis, exercitum duxisset, exploratores hostium in dumis quibusdam latentes comperit duos: quorum alter in mare se præcipitans, per fluminis fauces trans fluuium ad suos euasit: alter autem captus, in nemore trans fluuium delitescere dicebat sex Ciguauorum armatorum millia, vt nostros transeuntes incautos adoriãtur. Quãobrèm Adelantatus aduersa ripa, vadum quo traijceret, quæritans, ascendit. Vado tandèm reperto in lata planitie, in traijcere volentes nostros, emissis vno spiritu horrendis clamoribus, è syluis Ciguaui, facto agmine, adspectu fœdo ac formidoloso, prosiliunt: prodeunt ità Maroniani Agathyrsi: picti omnes & adspersi maculis: nigro enim coccineoq́ꝫ coloribus, quos ex quibusdam fructibus, piro similibus, ex hortis ad id summo studio enutritis, legũt, sese à fronte ad genua vsqꝫ depin-

Ciguaui picti, & maculis adspersi.

depingunt: crinibus mille modis cōpactis, quos nigros longosq́ue arte, si natura negat, nutriunt. Lemures è tartareis speluncis prosilire videbantur. Nostris fluuium superare adnitentibus, sagittarum ac missilium sudium iactu transitum prohibentes, obuiàm prodeunt. Tanta erat telorum multitudo, quòd solem ferè illis demeret, & nisì scutati in se ictus recepissent, malè actum fuisset. Adelātatus, vulneratis vtrinquè in eo certamine non paucis, traiecit tandèm: fugiunt hostes, insequuntur nostri, perimūt, paucos tamen, valent enim pedibus maiorē in modum: ad syluas se ilicò recipiūt, ex quibus tutò nostros accedentes arcubus conficiebant: ipsi enim nudi per vepres & dumos & arbusta, vtì apri, sine vllo obice, syluis assueti, prolabūtur: nostris autē scuta, vestes, longæ hastæ, locorum imperitia intra dumos, officiunt. Quarè cùm frustrà ibì pernoctâsset, posteroq́ue die neminem in syluis moueri sentiret, insularium, qui Ciguauos veteri odio prosequebantur, consilio & ductu, ad montes, in quibus Maiobanexius rex, Capronum vicū regiam habebat, proficiscitur: ad milliareq́ue duodecimū in alterius reguli vico, incolis omnibus præ metu vicum deserentibus, castrametatus est. Duos assequuntur, à quibus esse apud Maiobanexiū decem regulos in Caprono eius regia, cū octo millibus Ciguauorum congregatos, cognouerunt. Leuibus incursionibus sese inuicèm duabus lacessunt: nec procedere Adelantatus ausus est, donèc regionem diligentiùs exploraret. Nocte sequenti intempesta exploratores mittuntur, ductu insularium qui terram nouerant. Ciguaui è montibus nostros senserunt: ad pugnam se, vtì solent, sublatis clamoribus accingunt, neque ta-

 men

men è ſyluis egredi audẽt, Adelantatũ cum omni exercitu adeſſe exiſtimantes. Altero die Adelantato exercitum ad eos ducente, bìs fortunam belli è ſyluis pugnando proſilientes, tentârunt: impetu maximo in noſtros ruunt, vulnerant pleroſque, priuſquàm ſcutis ſe tegere licuerit. Profligant noſtri illos, inſequuntur, perimunt, capiũt multos: ad ſyluas, non vlteriùs egreſſuri, reuertuntur. Ex captis vnũ cum altero inſulari ex amicis, ad Maiobanexium cum mandatis huiuſcemodi mittit: Nõ vt tibi, ô Maiobanexi, aut incolis tuis bellum inferret, exercitum duxit Adelantatus: amicitiam enim tuã exoptat: ſed efflagitat vt Guarionexius qui ad te confugit, tibique vt arma, in maximum tuorum incommodum, ſumeres perſuaſit, commiſſorũ pœnas deprænhenſus luat: propterea hortatur, monetque vt Guarionexium tradas: id ſi feceris, te Præfectus marinus frater eius in amicitiam admittet, & tuorum regnorum amplitudinem integram ſeruabit ac tutabitur: ſin facere recuſaueris, dabitur opera vt te facti pœniteat. Regni enim quicquid tibi eſt, ferro ignique vaſtabitur, omnia diripientur. Maiobanexius autẽ, propoſitione intellecta, illis reſpondit: Guarionexiũ virum bonum eſſe, omnique virtute præditũ, neminem latet: propterea auxilio pręſidioque dignũ illum eſſe iudico: ipſos autem violentos & malos homines, qui aliena tantoperè expetant, qui ſanguinem innocentum ſemper exoptent, nolle ſe cum ſceleratis hominibus commercia aut amicitiam inire. His auditis, Adelantatus vicum vbi caſtra metabatur, alioſque vicinos complures cremari iuſsit. Maiobanexioque propior factus, iterùm nuncios mittit, qui cum eo agãt, vt ex familiaribus intimis aliquem ad ſe venire iubeat, quo

cum

eum poſsit de pace tractare. Chariſsimum quendam ex primoribus, duobus alijs illum comitantibus, rex ire imperat. Huic Adelantatus proponit, ſuadetq́ ac monet, nè floridum eius regnum Maiobanexius diripi pro Guarionexio patiatur: vt tradat illum, hortatur, nisì perditū iri ſe ſuaq́ omnia, ſimul & incolas in prædā abduci mâllet. Nuncio redeunte, populum Maiobanexius conuocat, quæ acta ſint, proponit. Populus autē tradi debere Guarionexium proclamat, deteſtariq́ & execrari diem, quo Guarionexius turbatū eorum quietem venerat, incipiunt. Maiobanexius autem Guarionexium virum eſſe bonum & de ſe benè meritum, quòd regia illi dona, cùm ad eum veniret, multa præbuiſſet, vxoremq́ ſuam & ipſum chorizare tripudiareq́ docuiſſet, quod non paruifaciebat, ſibiq́ curæ eſſe reſpondit: propterea ſe nullo pacto eum, quandoquidem ad ſe confugerat, & ipſe tutandi fidem dederat, deſerturum: mâlleq́ ſe extrema omnia cum eo perpeti, quàm obloquendi cauſam, quòd hoſpitem tradiderit, detractoribus præbere. Ità populo ſuſpirijs anhelante dimiſſo, Guarionexium ad ſe vocat, omnem opem denuò pollicetur, velle ſe fortunam omnem, quoàd vixerit, cum eo expectare: neque ad Adelantatum quicquam referendum cenſet: immò & eum qui primus ab eo miſſus fuerat in itinere, quo Adelātati nuncij venire ad ſe ſoliti erant, cum fida cuſtodia locat, imperans vt veniētes interimat, nec cuiuſquam ſermones admittat. Mittuntur ab Adelantato duo, vnus ex captiuis Ciguaienſibus, ex amicis inſularibus alter: obtruncantur ambo. Sequitur illos Adelantatus cum decem tantùm peditibus, equitibus quatuor: mortuos reperit in itinere nūcios.

Quarè iratus, sæuire acriùs in Maiobanexiũ constituit. Vadit instructo exercitu ad Capronum regiam. Fugiunt reguli per diuersa, imperatorem Maiobanexium deserunt. Ad montes asperos Maiobanexius cum omni familia profugit. Alij verò Guarionexium, quòd tanti mali causa fuisset, Ciguaui, vt eum perimerent, quæsiêrunt. Sed pedibus vitam seruauit, intra rupesq́; desertorum montiũ ferè solus delituit. Cùm iam lõgo bello, vigilijsq́; ac laboribus & fame Adelantati milites fatigarẽtur, (agebatur enim iam tertius mensis, quo inceptum fuerat) veniam multi petunt, & vt redire ad Conceptionem liceat, vbì plurimi ex eis prædia insulari more habebant cultissima: datur commeatus, recedunt multi. Triginta tantùm cum Adelantato comites permanent. Id trimestre bellum satìs ærumnosè egérunt, neque enim trimestri toto cibos vllos sunt assecuti, præter cazabi, id est, radicalem eorum panem, atq; ex eo raro ad saturitatem: & de vtijs, id est, eorum cuniculis, si quos ipsimet cum suis canibus venando capiebãt: potusq́; eorum suaues interdùm, interdũ cœnosæ & palustres aquæ. Inter has delicias sub dio ferè semper, ac in perpetuo motu: sic enim belli natura exigebat. Cũ his igitur paucis Adelantatus montana scrutari, & latibula quęritare, si qua Maiobanexij aut Guarionexij vestigia reperiat, constituit. Fortefortuna venatores quidã ipsius Adelantati, quos fames, vbinàm vtias venãdo captare possent, indagare coẽgerat, cùm cætera deessent, in duos Maiobanexij familiares incidunt, qui ad pagos quosdã ipsius missi, panẽ ferebãt ab incolis datum. Hi, vbinàm dominus delitesceret, propalare cogũtur: quibus ducibus, Ciguaio more, duodecim ex nostris depictis,

pictis, per dolum Maiobanexius cum vxore & filijs capitur: ad Conceptionem ad Præfectum ducuntur. Paucos post dies Guarionexium de speluncis exire fames cōpulit, quem insulares, Præfectum veriti, venatoribus quibusdam prodiderunt. Præfectus, vbinàm versetur, certior fit. Peditum turmam mittit, qui ex insidijs de plano ad montana redire volentem adoriantur. Eunt, capiunt, ducunt. Ità illius regionis conuicina pacata, sedataq; sunt omnia. Maiobanexium cognata quædam alterius reguli, cuius regnum intactum adhuc erat, vxor in his aduersis comitabatur. Eā fœminarū omniū, quas natura in ea insula creauit, formosissimam omnes prædicant. Hanc cùm vir ipsius, vt eius forma merebatur, arderet, insanus & mētis inops, vxore capta, per deserta, quid consilij caperet ignarus, vagabatur. Ad præfectū tandèm, se suaq; omnia ditioni eius, sine vllo obice, subditurum, si vxorem redderet, promittens, venit. Vxor redditur, & ex incolis primarij plures. Iureiurando adstringuntur, se imperata facturos. Sponte suā regulus hic idem, incolarum quinque millia inermium cum agricultorijs instrumentis secum ducens, adijt, maximamq; Prȩfecto sementem in cōuallis eius amplissimæ fundis sua impensa cultam reliquit. A Præfecto donatus, lȩtus reuertitur. Hȩc fama ad Ciguaios delata, regulorum animos ad clementiæ spem mouit. Vltrò igitur veniunt, se deincèps imperata facturos, fidem præstant: pro rege suo & omni familia supplicant. Vxor & tota domus eius, regulorum rogatu liberantur: rex vinctus detinetur. Hæc in insula à Præfecto, quid contra se apud reges aduersarij molirentur inscio, gerebantur. Cùm reges tot querelis vndiquè conflictati, &

Strata-gema.

maximè quòd ex tanta auri & aliarũ rerum amplitudine parùm, ob eorum diſcordias & ſeditiones, afferretur, gubernatorem inſtituũt nouum, qui diligenter inquirat hæc omnia, ſonteſq; deprẹhenſos corrigat, aut ad ſe mittat. Quid in Prẹfectum & eius fratrẽ, quídve in illos qui eis aduerſati ſunt, fuerit perquiſitum, non benè percipio. Hoc vnum ſcio: capitur vterque frater, in vincula, omnibus bonis ſpoliatus, coniectus ducitur, vtì vides illuſtriſsime Princeps. Cùm primùm tamen reges Gades vinctos adductos eſſe didıcerunt, vtrunq; ſtatìm per celeres tabellarios ſolui iubent, vtq; liberı adeant, permittunt, moleſtè ſe tuliſſe eam ipſorum iniuriam oſtendẽtes. Nouus ille gubernator ad reges Præfecti dextera exaratas, ignotis characteribus ſcriptas literas miſiſſe dicitur, quibus Adelantatum fratrem abſentem armata manu, vt ſe, ſi vim gubernator inferre pararet, ab eius iniuria tutaretur, venire properè hortabatur, monebatq;. Propterea cùm Adelantatus præceſsiſset armatos, incautos ambos, priuſquàm multitudo cõueniret, gubernator appræhendit. Quid futurum ſit, tempus, rerum omnium iudex prudentiſsimus, aperiet.

Pro tot laboribus exhauſtis indigna præmia.

Vale.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, CONSILIARII'QVE

regij, Oceaneæ decadis primæ liber octauus, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.



PIMVM oceanum hactenùs latitantem, à Christophoro Præfecto marino, nostrorum regum auspicijs, repertum, tanquàm aureum torquem, etsi malè ob ineptas artificis manus fabrefactum, tuo splendori, illustrisime Princeps, condonaui. Nunc autem gemmatum accipito monile, quod torqui appēsum, perpendiculi vicem gerat. Ex ipsius Præfecti nauium gubernatoribus, qui ventorum ductus diligenter annotauerant, pleriq; à regibus impetrata venia scrutandi vlteriùs proprijs impensis, regibus tamen partem daturi illis contingentē, quę est quinta, prouinciā aggresi sunt. Sed quoniam secundiore fortuna Petrus Alfonsus quidam, cognomento Nignus, ad meridiem nauigauit, ab eo incipiēdum meritò existimaui. Hic, vt reliquum iter omittamus, vna tantùm naui suamet impensa instructa, (licèt non desint qui aliena dicant) edicto regio sumpto, nè ancoras deijceret ad leuquas quinquaginta ab vllo loco quem Præfectus tetigerit: Pariam, vbi vnionibus torquatos armillatosq; tam viros quàm fœminas Præfectū reperisse suprà memorauimus, pficiscitur. Procedensq; ex regio edicto per idem littus, tamen Cumana & Manacapana regionibus postergatis,

 in re-

in regionem incidit, quam Curianam vocari ab incolis ipse refert. In qua portum se reperisse ait, Gaditano portui simillimum: quem ingrediens, casas quasdam in littore videt: adiuit, octo tantùm domorum pagum reperit: attamen ex populoso quodam alio vico, tria tantùm milliaria distanti, nudi homines quinquaginta, duce primario, properè cucurrerunt, petuntq́ ab Alfonso Nigno, vt ad eorũ littus proficiscatur. Nignus ipse descendens, tintinnabula, aciculas, spinteres, armillas, vitrea calculorũ serta, anulosq́, & alias huiuscemodi institorum merces secum portauerat, quibus cum eis in horæ momento vnionum, quos collo & brachijs appensos gestabãt, vncias quindecim permutat. Tum magìs ac magìs illi, vt ad suos nauigaret, Nignum amicè amplectentes, institerũt: habituros se ibì de vnionibus copiam quamcunq́ optarent, innuũt. Altero die aurora surgente, ad eos mouent: adeunt, ancoras iaciunt, vt ad se descenderet, omnis populus cõcurrẽs supplex orabat. Nignus autem cùm innumeram eorum esse multitudinem cerneret, ipse verò tres & triginta tantùm homines secum haberet, non est ausus sese illis credere, sed per nutus & signa, vt cum suis lintribus ad se nauigarẽt, significauit. Eorum lintres, vniligneæ, sicutì aliorum, sunt: sed rudiores ineptioresq́, quàm Canibalicæ, aut insulares Hispanicæ: has Gallitas vocant. Certatìm igitur vnionum serta, nostrarum mercium cupidissimi, cuncti ferebãt. Vniones appellant Tenóras. Mites, simplices, innocentes, & hospitales esse, viginti dierũ cõmercio cognouerũt. Cum eis intra eorũ domos versari incipiunt. Domus eorum ligneæ, palmarum folijs tectæ. Cibi maiori ex parte conchylium, ex quibus vniones adipiscun-

adipiſcuntur, quibus habent plena littora: & ſylueſtribus animalibus veſcuntur. Ceruos, apros, cuniculos villo & colore ac magnitudine leporibus ſimiles: palumbes, turtures, vulgò tellus illa parit. Anſeres, anatesq́ in domibus fœminæ, ſicutì noſtrates, nutriunt. Pauonesq́ per nemora (ſed non picti aut verſicolores: diſcrepat enim à fœmina parùm maſculus) & per paludum arbuſta phaſiani, paſsìm volitabant. Sunt Curianenſes callidi venatores: certisq́ ictibus ſagittarum quodcunq́ quadrupes ſiue volucrem, facilè interficiunt. Lautos ibì dies aliquot noſtri egérũt. Pauonem enim ferenti quatuor dabantur aciculæ aut ſpinteres: Si phaſianum quis ferret, duas præbebant: Si palumbem aut turturem, vnam: ſi anſerem, totidem, vel vitreum calculum tribuebant. Haud aliter inter eos replicando, arguendo, differendo agebatur in ea permutatione, q̃ noſtratibus accidit mulieribus, cùm ſeſe cum inſtitoribus implicant. Cùm nudi ipſi eſſent, quid illis aciculæ prodeſſe poſſent, ſciſcitabantur. Noſtri autem callido illis reſponſo ſatisfecerũt: per ſigna enim ad ſpinas, quæ ſæpenumerò eorũ carnibus figuntur, euellendas, dentesq́ purgandos, eſſe accommodatiſsimas ſignificârunt: tunc illas magnifacere cœperunt. Sed tintinnabuli colore ac ſonitu allecti, magna tribuebant, vt tintinnabulum aſſequerentur. In ſyluis, quas ex varijs altiſsimisq́ arboribus denſiſsimas eſſe aiunt, animalium grandiorum horrendos mugitus ex incolarum domibus noctù ſentiebant, ſed minimè noxiorum. Liberè enim incolæ nudi cum arcubus & ſagittis per illas venatum continuè vagantur, nec peremptum vnquàm ab vlla fera quenquã meminerunt. Quotquot ceruos, quot-

quot apros nostri illos capere iubebāt, tot, sagittis peremptos, ad eos afferebāt. Bouibus, capris, ouibus carent. Pane radicali paniceoq́, vtì insulares Hispanici, vtūtur. Capillos habet hæc gens nigros, crassos, semicrispos, longos tamen: dentes albidos reddunt: herbam quandā ad id aptam toto ferè die inter labia ferunt: cùm autem illam eijciunt, os lauant. Mulieres rebus familiaribus & agriculturæ magìs intendunt, quàm viri: viri autem venatu magìs, ac rebus bellicis & ducendis choreis & ludis, inuigilant. Hydrias, cantharos, ollas, cæteraq́ vtensilia varij generis fictilia habent, aliundè comparata. Nundinas enim inter se cèlebrant, ad quas vicinus quisque incola, vt peregrinum aliquid assequatur, de suæ regionis prouentibus portant, sed è proximo. Nullus enim est qui parare sibi noui aliquid, quo sua tellus careat, non delectetur: cùm hominibus cunctis sit à natura tributum, vt nouis rebus studeant & alliciantur. Auiculas aliaq́ animalia multa pulchrè formata ex auro, non puro tamē, vnionibus annectebant: sed ad eos aliundè per permutationem feruntur: est enim aurum illud velutì Germanicum, quo floreni cuduntur. Ibì homines cucurbitula quadam, in anterioris braculæ caligarum nostrarum similitudinem scissa, vel testa marina, mentulam & genitalia includunt: funiculo ad lumbos alligato cucurbitula sustinetur: decæterò nudi. Alibì in eo tractu intra vaginam mentularem neruum reducūt, funiculóque præputium alligant. Animalia, de quibus suprà mentionem fecimus, & multa alia quæ in nulla insularum reperiuntur, continentem terram esse testantur. Sed præcipua id ità esse coniectura arguunt, quòd per eius telluris littora

tora

tora à Paria ad Occidentem, circiter tria millia milliarium adnauigauerint, neque vllum finis signum repererint. Curianenses, vndè aurum illud assequerentur, interrogati: ex quadam regione, nomine Cauchieta, quæ à se ad Occidētem recto littore sex soles, id est, sex dierum iter distabat, afferri, in easq; formas ab ipsius terræ opificibus conflari innuebant. Eò tendunt nostri: regionem reperiunt: in calendis Nouembris anni millesimi quingentesimi ancoras in Cauchieto iaciunt littore. Incolæ adueniunt intrepidi, ferunt de auro, quod natiuum illis erat. Vniones & isti collo gestabant: sed ex Curiana per auri mutationem ad eos ferebantur. Nullus ex eis voluit quicquam, quod aliundè assequeretur, permutare: vtputà neque Curianenses aurum, neque Cauchietenses vniones: auri tamē parùm apud Cauchietenses lectum reperêre. Cercopithecos tulerunt indè pulcherrimos, variorumq; colorum psittacos plures. Mēse Nouembri temperies illic suauissima, frigus nullum. Custodes arctici poli vtrisq; populis occidebant, adeò proximi erāt æquinoctio. De gradibus polaribus nesciunt aliā reddere rationē. Bonæ mētis homines, & minimè suspiciosi: tota ferè nocte cū suis cymbis, vtì Curianenses, ad nostros proficiscebantur, nauimq; securi intrabant. Vniones isti vocāt corixas. Sunt zelotypi: nam si quis illos peregrinus adiērit, mulieres semper à tergo locant, vt & ipsę noua hæc tanquàm prodigia inspectent. Gossipium apud Cauchietenses vulgò & suapte natura nascitur, vt apud nos arbusta syluestria producūtur: propterea fiunt apud eos femoralia, quibus in plerisque regionibus pudenda contegunt. Cùm vlteriùs postmodùm per idem littus proces-

Nouēbri mense tēperatum cælum.

cessissent, eccè circiter duo millia hominum, suo more armatorum, ad littus nè descendant, prohibituri. Qui adeò agrestes, adeò efferos sese ostẽdunt, vt nullum vnquàm cõmercium aut consuetudinem cum nostris inire passi sint. Quâ venerant igitur nostri, suis vnionibus contenti, reuertuntur: apud Curianenses, ventres lautis cibis replendo, viginti dies alios demorati sunt. Haud absurdum alienumq́ue ab historia fore mihi videtur, si quid illis acciderit, cùm Pariæ littus venientes iam cernerent, immiscuero. In Canibalium, qui venatum homines proficiscebãtur, octodecim canoárum classem apud Os Draconis & fauces sinûs Pariensis, de quo suprà mẽtionem fecimus, inciderunt. Canibales nostris visis intrepidi, nauim nostram adoriuntur, & circunsepiunt, vndiquè sagittis & missilibus nostros infestant. Nostri autem tormentis illos adeò deterruerunt, quod in fugam statìm versi sint. Insequentes illos seruitoria cymba, vnam ex eorum canóis assecuti, vnum tantùm Canibalem, cæteris natando fugientibus, alterumq́ue hominem vinctũ depræhenderunt. Ille quem vinctum seruabant, obortis lachrymis, manuum, oculorum & capitis gestibus, sex eius comites miserè euisceratos & in frusta crudeliter sectos, gentem illam nefandam comedisse: identidémque de se sequenti die futurum significauit. De Canibale igitur homini potestatem fecêre. Ille autem in Canibalem fustibus, manibus, pedibus, frendẽs sæuire cœpit: nec adhuc satìs vltam suorum comitum necem existimabat, cùm exanimem totumq́ue fustibus & calcibus commaculatum cerneret. De natura & moribus Canibalium, cùm eo modo per terras peregrinas grassentur, interrogatus, dixit: Cani-

Pugna cũ Canibalibus, humana carne vescẽtibus.

Canibales ex fustibus aggerẽ secum, quocunq; eant, ferre, quos, descendentes è nauibus, terræ infigunt, seq; positis castris intra illos sæpiunt, vt tuti possint pernoctari. In Curiana caput Canibalis, cuiusdam primarij foribus affixum, quod tanquàm vexillum aut galeam ab hostibus ereptam, pro summa laude seruatum, repererũt. In ea Pariæ ora, regio est nouo genere salinarum insignis, nomine Haraia: vi nanque ventorum agitatum ibì mare, aquas impellit in adiacentem latam planitiem, quæ, sole superueniente, pacato æquore, congelantur in candidissimum sal optimum, quò si, priusquàm pluat, properè adierint, onerari quirent quotquot nauigia mare sustinet. Ilicò nanq; cadentibus imbribus, liquefit, & sorbetur arena liquor, reditq; per terræ meatus ad suam originem, vndè fuerat impulsus. Dicunt alij, non è mari planitiem repleri, sed è quibusdam fontibus salientibus aqua marina amarioribus, qui remouent illas aquas tempestate vigente. Salinas eas magnifaciunt incolæ, qui sale non ad vsum modò patrium fruuntur, sed in laterum formam redactum, peregrinis permutatione rerum alienarum venundant. Primatum ibì cadauera super cratibus, igni lento supposito, distendunt, vt paulatìm consumptis carnibus, ossa pelle inclusa desiccata detineãtur: quæ postmodùm in honore habent, seruántque tanquàm penates. Virum se vidisse ibì, atque alibì fœminam, hoc pacto impositos & seruatos, memorant. Cùm verò ex Curiana octauo Idus Februarij, ad Reges redituri, discederent, sex & nonaginta se libras vnionum octũciales precio fortè quinq; solidorum comparâsse cognouerunt. Discedentes igitur, vnum & sexaginta dies in itinere,

Salis copia.

Qua industria primatũ cadauera exiccentur conseruentúrque.

nere, licèt breuius quàm ex Hispaniola, consumpserunt, propter maris decurrentis ad Occidentem fluctus continuos, qui nauim non modò remorabantur, verumetiam interdùm retrahebāt. Accedunt tandèm nautæ vnionibus, vtì paleis, onusti. Ast magister ipse nauis Petrus Alfonsus, cognomento Nignus, quòd preciosorum vnionum copiam non mediocrem suffuratus fuisset, regiosq́ redditus, qui sunt pars quinta, defraudâsset, à comitibus accusatus, à Fernando de Vega, viro literis & rerum experientia pollenti, gubernatore Galleciæ, quò appulsi erant, capitur: in vinclisq́ diù detentus, soluitur tandèm. Sed habuisse partem vnionum sibi contingenté adhuc negat. Vnionum auellanas multi æquant, orientalibus similes: sed quoniam malè perforati, non tanti precij sunt. Me præsente, cùm apud illustrem Methynæ Sidoniæ ducem inuitatus pranderem Hispali, vnam supra centum vncias venum ad eum tulerunt. Sua profectò pulchritudine ac nitore me delectârunt. Sunt qui Nignum ferant non in Curiana, quæ centum viginti ampliùs lequas distat ab Ore Draconis, sed in Cumana & Manacapana regiunculis, Ori & Margaritæ insulæ vicinis, vniones habuisse: negantq́ Curianam feracem margaritis. Adhuc sub iudice lis est: nos ad alia tendamus. En habes, quid ex his nupèr inuentis terris, ex his occidentalibus orîs, posit vtilitatis expectari per annorum circula: quandoquidem hac prima fronte talia de se argumenta opulentiæ ostendant.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, CONSILIARII'QVE

regij, Oceaneæ decadis primæ liber nonus, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.



VINCENTIVS Agnes, cognomento Pinzonus, Ariesq́ꝫ Pinzonus, illius ex fratre nepos, qui Colonum Præfectum marinum prima nauigatione fuerant comitati, duarumq́ꝫ minorum nauium illarum, quas suprà diximus carauelas vocitari, domini à Præfecto conducti, nouorum tractuum nouarumq́ꝫ terrarum amplitudine pellecti, quatuor impensa propria carauelas in portu ipsorũ natali solo, qui dicitur ab Hispanis Pálos, in occiduo Oceano sito, cõstruunt: & à regibus habita venia, circiter caléd. Decẽbris anni noni & nonagesimi à quadringẽtesimo supra millesimũ, è portu soluũt. Est aũt is portus Palẽsis à Gadibus millia passuum duo & septuaginta: ab Hispali verò Bæticæ emporio, milliaria quatuor & sexaginta. Sũt oppidani oẽs, nullo excepto, rebus marinis dediti, cõtinuisq́ꝫ nauigationibus intẽti. Ad Fortunatas & ipsi primùm tendunt per Hesperides, id est, per insulas Caput Viride dictas, quas alij dicunt* Gorgodes Medusæas. Ad meridiem rectà proficiscuntur. Ab ea Hesperidum, quæ sancti Iacobi, à Portugallensibus possessoribus appellatur, idibus Ianuarij discedentes, Africum, quem Sudueſtum appellant, qui medius inter Austrum est ac Zephyrum, capiunt in proram. Cùm lequas se terçentum nauigâsse, ventum illum

illum ſecuti, arbitrarentur, poli arctici, aiunt, ſe adſpectum amiſiſſe: quo illis occidente, ventorum vorticumq́ atque æſtuum fera tempeſtas continuò oborta eſt. Vlteriùs tamen, licèt cum ſummo diſcrimine, quadraginta ſuper ducentas leguas, ventum ſemper eundem per polum iam amiſſum ſequentes, proceſſerunt. Vndè, an habitabilis ſit, an inacceſſa linea æquinoctialis, iſti & priſci tam philoſophi, quàm poëtæ & coſmographi, diſcutiant. Hi nanq́ frequentibus habitatã populis contendunt, illi verò inhabitabilem, ob ſolis perpendiculum, ſcribunt. Nõ defuêre tamẽ apud antiquos, qui habitabilem eſſe probare niterentur. Interrogati à me nautæ hi, an antarcticum viderint polum: ſtellam ſe nullam huic arcticæ ſimilem, quæ diſcerni circa punctum poſſit, cognouiſſe inquiunt. Stellarum tamen aliam, aiunt, ſe proſpexiſſe faciem, denſamq́ quandã ab horizonte vaporoſam caliginem, quæ oculos ferè obtenebraret. Tumulum attolli in terræ medio contendunt, qui, nè antarcticus videatur, obſtet, donèc illum penitùs traiecerint. At ſtellarũ imagines, ab hemiſphærij noſtri ſtellis valdè diuerſas, ſe vidiſſe credunt. Hæc dederunt, hæc accipito. Daui ſunt, non Oedipi. Septimo calend. Februarij tandèm à longè terram proſpiciunt: & cùm turbidam eſſe maris aquam viderent, iacto funiculo plumbato, ſexdecim vlnarũ, aiũt vulgò brazatas, altitudinem reperiunt. Adeunt, deſcendunt, biduo ibidèm commorati, quia nullũ ibì hominem eo tempore viderint, licèt veſtigia in littore humana cõpererint: ſculptis arboribus & ſaxis littori vicinis, regijs ſuisq́ nominibus de aduentu ſuo, diſceſſerunt. Non longè ab ea ſtatione nocturnos ignes ſecuti, caſtrenſi more gentẽ repe-

Stellæ à noſtris variãtes.

reperiunt pernoctantẽ ſub dio. Hanc, donèc eluceſcat, nolle perturbare fuit conſilium. Sole autem exorto, armati è noſtris quadraginta tendũt ad illos. Ad noſtros duo & triginta veniunt obuiàm, arcubus ac miſsilibus telis onuſti, parati ad certamen: cæteri ſequebantur, eodem modo inſtructi. Germanis aut Pãnonibus proceriores, aiunt eos eſſe incolas. Vultu toruo ac minitantibus ſimiles, noſtros inſpectabant. Non armis eſſe agendum noſtri cenſuerunt, ſiue id metu, ſiue nè aufugerent illi, non habeo compertum. Blanditijs atque oblatione munerum illos allicere noſtri conantur. Illi autem, vt qui commerciũ inire cum noſtris nullum ſtatuerãt, omnem ſermonem reijciunt, parati ſemper ad pugnam: colloquia & nutus ſuſcipiebant: ità quiſq; regreditur. Nocte autem intempeſta illi aufugiũt, vacua relinquunt, quæ occupauerant, loca. Gentem eſſe vagam, velutì Scythas eos, qui terræ fructus ſine certis domibus cum vxoribus & filijs ſequantur, exiſtimant. Iureiurando aſſerũt, qui pedum illorum in arena dimenſi ſunt veſtigia, noſtrorũ pedum mediocris hominis ferè quantitatem in duplum æquare. Vlteriùs adnauigantes, flumen aliud reperiunt, ſed non ità profundum, vt carauelis percurri quiret. Seruitorios igitur lembos quatuor, armatis onuſtos, ad terram veſtigatum mittunt. Super eminenti colle littori vicino, incolarum cateruam conſpiciunt. Noſtri ad commercium per vnum peditem præmiſſum inuitant. Illi ex noſtris appræhendere aliquem, abducereq; velle viſi ſunt. Ad noſtrum nanq;, paxillum cubitalem auratum à longè proijciunt, quia noſter priùs adiecerat tintinnabulum, vt eos alliceret. Cùm pronus iactum paxillum auratũ vel-

let noster sumere, dicto citiùs illum incolæ circumeunt, vt appræhendant. Is scuto enseq́ue tectus, quibus armatus veniebat, se ab eis tuetur, donèc cymbis auxilium socij attulerunt. Vt breuibus absoluam, (quandoquidem discessum tuũ ante oculos mihi tam anxiè proponis) sagittis & missilibus sudibus è nostris octo peremerũt, plerosq́ue vulnerârunt. Intra fluuium lembos sepiũt, ad manus vsq́ue temerè veniunt, appræhenduntq́ue ex ripa cymbarum spondas: lanceis ensibúsque velutì oues, quia nudi, trucidantur. Nec eo magìs cedunt. Vnam è cymbis è nostrorum potéstate rapuerunt, vacuam tamen hominibus: & illius præfecto sagitta trãsuerberato ac perempto, reliquæ euaserunt. Ità bellaces illos deseruêre. Ad occidentem septentrionalem, per idem littus, mœsti ob interfectos, tendunt. Lequas circiter XL percurrerant, quandò in pelagus incidunt aquarum adeò dulcium, vt implere ibì cados aqua recenti licuerit. Vestigãtes eius rei causam, defluere magno impetu è vastis montibus rapidos fluminum cõcursus reperiũt. Intra id ęquor iacére plures insulas, & fortunatas soli vbertate, & populis refertas, aiunt. Huius tractũs incolas mites sociabilesq́ue esse referunt, ast ipsis parùm vtiles, quia nullos optabiles nostris prouẽtus assequantur, auri vtpotè aut lapillorum. Sex propterea ac triginta indè captiuos abduxerunt. Regionem appellant indigenæ Mariatambál. Regio autem, ab eius fluminis Oriente, Camomórus dicitur: ab Occidente, Paricóra. In huius oræ internis non negligendam auri copiam iacére innuebant incolæ: huius nanq́ue fluminis septentrionẽ rectà captãtes, sic exigente littorũ inflexu, arcticũ recuperârũt polũ. Id littus vniuersum, Pariæ est: quam

quā Colonū ipſum, huius tāti inuēti authorē, reperiſſe diximus, vnionibus ornatā. Contiguū eſſe aiūt littus id, idemq; cū Ore Draconis, de quo alibì, & reliquis orîs, vt Cumana, Manacapana, Curiana, Cauchieto, Cuchibachóa: ꝓptereà Gangetidis Indiæ cōtinentem putāt. Nec enim is vaſtus ambitus, vt inſula ſit, pati videtur: licèt vniuerſum terræ orbē, largè ſumptum, inſulā dicere fas ſit. Ab ea terræ cuſpide, q̄ polū amittit arcticū, lequas circiter tercentū cōtinuo tractu veniētes ad Occidentē Pariā versùs, ſpatio ferè medio in fluuium ſe, inquiunt, incidiſſe, nomine Maragnonū, adeò latū, vt fabulatos ſuſpicer. Interrogati à me poſtmodū, mare'ne eſſet terras dirimēs: reſponderunt, eſſe dulces eius gurgitis hauſtus, quóque altiùs tēditur aduerſo flumine, eo dulciores ferūt eſſe: inſulisq; refertum & piſcibus. Lequas dicere audēt triginta ampliùs latū: rapaciq; curſu deflu-ere in pelagus, cedēs eius furori. Si tn̄ penſitauerimus, quanta eſſe ferantur borioſtoméa, ſpireoſtomeaq; Iſtri ora, quantoq; ſpatio violent maris aquas, & nauigātibus p̄beant dulces potus, mirari deſinemus, licèt hoc flumē maius eſſe prædicetur. Quis naturę auferet, quin hoc illo grandius, atq; illo hoc flumē potìs ſit generare? Flumen, de quo Almirātus Colonus, eas oras percurrēs, mentionem fecit, hoc eſſe arbitror. Apertiùs iſta intelligemus aliquandò: nunc ad terræ prouentum redeamus. Coccineas in pleriſq; de Pariēſibus inſulis ſyluas reperêre: librarum millia allata ſunt tria. Verzinum mercatores Itali, Hiſpani braſilū appellāt. Aiunt coccineas Hiſpaniolę arbores, eſſe his longè meliores ad colorem lanis præbendum. Aquilonem deindè, quem Hiſpani nautę Nordueſtum, Itali Græcum appellant, ſecuti,

multas intertexunt Canibalium sæuitia desertas insulas, ast feraces. Descenderunt nanque pluribus in locis, & vicorum dirutorum multa vestigia ingressi sunt. Viderunt tamen alicubì homines, sed trepidos, adspectu peregrinæ cuiusque nauis aufugientes ad montanas rupes & abstrusa nemora, sine certis iam domibus vagãtes ob Canibaliũ insidias. Arbores inuenêre maximas, quæ casiam fistulam, vt vulgò dicitur, passìm & suapte natura producunt. Nõ ineptiorẽ esse aiunt hanc illa, quam à pharmacopolis febri laborantes petunt: at nondùm maturuerat, cùm iam iter facerẽt. Mâlo illis alijsque hæc referentibus credere, quàm ea laboriosiùs scrutari. Arbores ibì esse adeò proceras balbutiunt, vt plerque sexdecim hominum manu iunctorũ in gyrũ vix lacertis concludi quirent. Inter eas arbores monstrosum illud animal vulpino rostro, cercopithecea cauda, vespertilioneis auribus, manibus humanis, pedibus simiã æmulans: quod natos iam filios alio gestat, quocunquè proficiscatur, vtero exteriore in modũ magnę crumenæ, repertũ est. Id animal licèt mortuum, tu ipse mecũ vidisti, cõuoluisti, crumenamque illam nouũ vterũ, nouum naturæ remediũ, quo à venatoribus aut aliâs à cæteris violentis & rapacibus animalibus natos liberet, illos secum absportando, admiratus es. Experimento esse compertum aiunt, eo semper vtero crumenali animal filios secum portare, nec illos indè vnquã emittere, nisì aut recreandi aut lactandi gratia, donèc sibi victũ per se quæritare didicerint. Cum filijs animal ipsum depræhenderãt, ast in nauibus catuli propedièm periêrũt, mater autẽ filijs per aliquot menses superstitit: sed & ipsa tandèm tantã aëris & ciborum mutationem ferre nequiuit. De hoc ani-

animali iam ſatis multa: redeamus ad rei authores. Hi duo Pinzoni, patruus & nepos, horrenda per nauigationem hanc paſsi ſunt: per Parienſe littus ſexcentas iam lequas, atque, vt ipſi putãt, vltra vrbem Cataij & littus Indicum, vltra Gangen percurrerant, quandò in eis orîs menſe Iulio inſperata illis exorta eſt tempeſtas adeò fera, vt è quatuor, quas ducebant carauelas, duas ante illorum oculos ſummerſerit: ilicò tertiam vi ex ancoris raptam, ab eorum adſpectu abſportauerit: quartam in ancoris cõcuſſerit, vt omnis compago iam ſolueretur. Vndè ad terram tamen ipſi ex hac vltima deſcenderunt: de naui penitùs omni ſpe amiſſa. Quarè inito conſilio, cùm de parandis iam ſibi domicilijs in regionibus illis, tum de perimendis oĩbus incolis vicinis, cogitabant: nè finitimis reliquis aliquandò conuocatis, ad ſe trucidandũ conueniant. Aſt melius. Ceſsit tẽpeſtas: redijt, quã raptauerat hyems, carauela: ea octodecim viri vehebantur: & quæ in ancoris in eorum proſpectu ſteterat, ſeruata eſt. His igitur duabus ad Hiſpaniam iter capiunt. Palos natale ſolum ad vxores & filios, concuſsi fluctibus, & hominibus amicis non paucis amiſsis, pridiè cal. Octobris reuertuntur. Hi ex arboribus pleraq; fruſta tulerunt, quæ cinamomi & zingiberis eſſe putant: aſt non vtilis, quia non condíti, vt aiunt, in ſuî excuſationem, ꝙ nihil precioſum aliâs repererint. Lapillos tamen ſe vidiſſe in eorum manibus indè allatos, ex maritimis illarum orarum littoribus collectos, Baptiſta tuus Elyſius philoſophus eximius, & medicus non inferior, quos veros eſſe topazios prædicat, mihi tibíque, vt arbitror, enarrauit. Poſt hos & alij vicinorum æmulatione ad meridiem lõgiſsimos tractus per-

currêre: sed per aliorum inuenta, Colonique Præfecti marini vestigia, per littus, vtputà, Pariensé. Casiam & hi fistulã, preciosumque illud ad capitis grauedinem suo suffumigio tollẽdam, quod Hispani animen album vocant, reperêre. De his nil noui aliud, quod tuo sit dignũ ingenio, percepi: finem propterea libello huic, quia me iterùm de tuo discessu fatigas, imponam. Ast qui decadem impleat, de vanis insulæ Hispaniolæ superstitionibus aliùm libellum accipito. Si non fuerit Liuiana decas, id esse causæ cognoscito, quòd tuus hic Martyr Liuiano haudquaquàm fuerit pro Pythagoræ intellectu, afflatus spiritu. Si quid vltrà montes isti prægnantes pariẽt, habebis. Nunc insulares illusiones accipito, veris Luciani narrationibus tanto superiores, quanto hæc in vsu hominum sunt, licèt infantilia: illa verò conficta ioci tantùm gratia, vel ea credẽtium irrisui condonata. In Hispaniola insula nostri, priusquàm indigenas quicquam aliud quàm cæli lumina colere, aut religionem vllam exercere didicissent, diù versati sunt. Sæpiùs enim suprà memorauimus, nihil eos colere præter visibilia cæli lumina. Cùm tandèm familiarius apud eos contubernium, permixtis vtrinque linguis, plerique ex nostris agerent, varias apud eos cæremonias variosque ritus obseruari comperer ũt. Ex cuiusdam eremitarũ studio fratris Ramoni scriptis, qui ex Coloni mandato apud insulares regulos, vt eos Christianè erudiret, diù versatus, de insularium ritibus libellum composuit Hispano idiomate, pauca hæc, leuioribus omissis, colligere fuit animus: illa igitur accipito. Nocturna insularibus apparére phantasmata, quæ in fatuos errores eos indu-

Cæremoniarũ ritus cul-

inducant, ex ſimulacris q̃ palàm colũt, apertè cognoſcitur. Ex goſſampio nanq; intexto ſtipato interiùs, ſedentes imagines formant, quæ nocturnos, quo pacto parietibus illos noſtri pictores infigunt, æmulantur lemures. Cùm ex ſimulacris opera mea ad te miſsis quatuor tu ipſe videris, qualia ſint, quam've depictis lemuribus ſimilia, poteris regi ſereniſsimo tibi patruo, meliùs corã ſignificare, quàm ego illa ſcribere. Hæc ſimulacra, zemes appellant indigenæ: quorum minora infantulos dæmones referentia, cum hoſtibus manus collaturi, frontibus alligant: propterea funiculis quos vidiſti, cõplexa ſunt. Ab his pluuias, ſi pluuiæ deſint: ſoles, ſi ſole indigeant, ſe impetrare arbitrantur. Eius enim quem vnicũ, fine carentem, omnipotentem, inuiſibilemq; eſſe fatentur, internuncios eſſe zemes putant. Quiſq; regulus ſuum habet zemen, quem colat. Cæleſti numini æterno, duo hæc nomina, Iocaúna, Guamaónocon, maiores eorũ indiderũt. Numen ipſum habere genitricem, quinq; his nominibus appellatã ferunt, Attabéiram ſcilicet, Mamónã, Guacarapítam, Iiéllam, Guimazóam. In terris autem quid pueraſcant de hominis origine, aduertito. Eſt in inſula regio, nomine Caunaná, vbi ex duobus montis cuiuſdam ſpecubus prodijſſe genus hominum garriunt: maiorem hominum partem, ex amplioribus faucibus antri, minorẽ, ex arctioribus exilijſſe prædicant. Rupem ex qua ſpecus aperiuntur, Cautam appellant. Maius antrum, Cazibaxaguá: minus, Amaiáuna nominãt. Priuſquàm hominibus indè egredi licuerit, ſimpliciter inquiũt, per hominẽ nomine Machócha-ël ſingulis noctibus antri fauces cuſtodiri ſolitas.

tusq; deorum Hiſpaniolæ inſulæ.

Zemes angelorũ loco colunt: aliàs vnũ deum, à quo oĩa, credunt.

Is Machóchaël cùm longiùs ab antro visendi studio perrexisset, à sole deprænhensus, cuius adspectum minimè pati posse dabatur, in lapidem mutatus dicitur. De pluribus item alijs blaterant, quòd cùm piscandi cupiditate noctù ab antro tantum processerint, vt redire ante solis ortum nequiuerint, quem non licebat intueri, in arbores myrobalanos, quarum sua sponte copiam terra illa producit, fuisse transformatos. Aiunt præthereà, Vaguoniónam primarium quendam ex antro, clausis familiaribus, piscatũ emisisse vnum, quẽ indè in philomenam eádem causa, quòd sol superuenerit, priusquàm se reciperet, mutatum, inquiunt, quotannìs quo tempore versus est in auiculam, noctù suo cantu & sortem conqueri, & domini Vaguoniónę auxilium implorare: hinc noctù cantare lusciniam putãt. Vaguonióna verò, familiaris sui desiderio, quem ardenter amabat, viris in antro relictis, fœminas tantùm cum paruulis, quos lactabant, eduxit: è quibus fœminas in vna insularum eius tractûs, quam appellant Mathininô, reliquisse fertur, infantulos autem secum absportâsse: qui miselli fame oppressi, in cuiusdam fluminis ripa, toa toa, id est, mama mama clamitantes, in ranas conuersi feruntur: indè vocem illam ranis verno tempore dicunt insedisse. Ità in antris illis, è quibus per Hispaniolam sparsi sunt homines, viros tantùm sine fœminis permansisse balbutiunt. Referunt insupèr Vaguonióna ipsum per diuersa vagantem, nec vnquàm ex speciali gratia mutatum, ad mulierem, quam in fundo maris formosam viderit, descendisse, ab eaq; marmoreos calculos, & quos cibas vocãt, & * tebellas quasdã flauas ex aurichalco, quas guaninos appellant, habuisse dicunt.

dicũt. Hæc monilia pro ſacris apud reges habentur in hunc vſq; diem. Viros autẽ illos, quos ſine fœminis in antris relictos diximus, lotũ ſe ad pluuiarũ aquarũ receptacula noctù referunt exijſſe: atque vna noctium, animalia quædam fœminas æmulantia, veluti formicarum agmina, reptare per arbores myrobalanos à longè vidiſſe. Ad fœminea illa animalia procurrunt, capiunt: veluti anguillæ de manibus eorum labuntur. Cõſilium ineunt. Ex ſenioris conſilio, ſcabioſos leproſoſq;, ſi qui ſint inter eos, conquirunt, qui manus aſperas calloſaſq; habeant, vt appræhẽſa faciliùs queant retinere. Hos homines ipſi caracaracóles appellant. Venatum proficiſcuntur: ex multis quas capiebant, quatuor tantùm retinent: pro fœminis, illis vti adnituntur: carere fœminea natura comperiunt. Iterùm accitis ſenioribus, quid faciendum, cõſulunt. Vt picus auis admittatur, qui acuto roſtro intra ipſorum inguina foramen effodiat, cõſtituerunt: ipſiſmet caracaracólibus hominibus calloſis, fœminas apertis cruribus tenẽtibus. Quàm pulchrè picus adducitur: picus fœminis ſexum aperit. Hinc belliſsimè habuit inſula quas cupiebat fœminas: hinc procreata ſoboles. Eià mirari iam deſinito, quod de Myrmidonibus Græcia verax tot voluminib⁹ deſcripſerit, è formicis vtpotè Myrmidones procreatos. Hæc & alia huiuſmodi multa pacato ſerenoq; vultu ſapientiores è podijs ſuggeſtioliſq; turbæ ſimplici mirabundæ ſuadent, recitantq; pro ſacro. Aſt de maris origine ſeueriùs: qua in re fuiſſe quondàm in inſula potẽtem virum nomine Iaiam, qui filium vnicum hominẽ exuentẽ, intra cucurbitã ſepulcri loco cõdiderit. Is Iaia paucis exactis mẽſibus, impatiẽs morte filij, redijt ad cucurbitam:

eam cùm aperuiſſet, balenæ ingentes & grandia cete prodierunt: quarè incluſum in ea cucurbita mare, conuicinis quibuſdam prædicauit. Ea permoti fama quatuor fratres iuuenes, eodem partu geniti, aſt partu matre perempta, cucurbitam ſpe habendorum piſcium adeunt, manu capiunt. Iaia ſuperueniente, qui crebrò nati oſſa incluſa reuiſebat, perterriti ſunt iuuenes. Sacrilegio furtiq́ꝫ ſuſpicione depræhenſi, velutì qui Iaiam obſeruabant, vt celeriùs fugerent, cucurbitã è manu ſoluerunt: ea pondere nimio preſſa frangitur, per eius rimas effunditur mare, valles implentur: ea vaſta planities, quæ vniuerſum illum inſularem orbem ſicca occupabat, ſummergitur, monteſq́ꝫ tantùm ob altitudinem ab ea inundatione euaſerũt, qui nunc eas cõtinẽt inſulas, quas licet adſpicere. En, illuſtriſsime Princeps, omni præconio dignam maris originẽ. Nec ab eis parui eum fieri putes, qui hæc recitare didicerit. Aiũt deindè fratres hos Iaiæ, metu tandiù per diuerſa fuiſſe vagatos, vt ferè iam fame perirent, quia nullibì ſiſtere pedem audebant. Hinc quoniam acriùs vrgerentur, piſtoris domum pulſare cœperunt, cazabi, id eſt, panem petẽtes. Piſtor autem in primò ingredientem conſpuiſſe ità acriter fertur, vt illi ex ictu ſputi exortũ ſit turgidiſsimum intercus, quo ferè interierit. Aſt fratrum conſilio, accepto lapide acuto apertum eſt: ex cuius vlcere natam aiunt fœminam, qua mutuò fratres illi omnes vſi ſunt: atq́ꝫ ab ea ferunt filios filiaſq́ꝫ genuiſſe. Iucundius aliud aduertito, Princeps illuſtriſsime. Antrum extat, Iouanabóina nomine, in cuiuſdã reguli diœceſi, qui Machinnéch vocatur. Id religiosiùs, quàm Corinthum quondã aut Cyrrham Nyſamq́ꝫ Græci, colunt ac venerãtur: millefarijs orna-

De maris origine, fabula.

ornatum picturis. In huius antri foribus duos habent ſculptos zemes, quorum vnum Binthaitéllem, Maróhum alterũ vocant. Cur tanta ſpecum colerent pietate, interrogati: quia ſol indè lunaq́ lumen orbi præbituri prodiërunt, grauiter ſenſateq́ reſpondent. Cõcurſationibus antra, velutì nos Vrbem & Vaticanum noſtræ religionis caput, aut Cõpoſtellam & Hieruſalem Domini ſepulcrum, frequentant. Subiacent & alteri ſuperſtitionum generi. Mortuos putant noctù vagari, ac veſci guannába fructu nobis incognito, cotono ſimili: lectisq́ inter viuos verſari aiunt, ac decipere mulieres: ſumpta nanq́ virili forma, coire velle videntur: aſt cùm ad opus peruenitur, euaneſcunt. Si quis autem apud ſe iacére mortuum aliquandò ſuſpicatur, cùm quid noui ſenſerit in lecto, vteri attrectatione ſe dubio ſolui balbutit. Cuncta nanque aiunt mortuos poſſe humana membra ſuſcipere, præter vmbilicum: ſi vmbilico igitur mortuum eſſe dignoſcit, tactus ilicò reſoluitur. Noctù & ſæpiſsimè in itineribus præcipuè vijsq́ publicis mortuos occurrere viuis, credunt: contra quos ſi viator intrepidus ſteterit, diſſoluitur phantaſma: ſi verò pertimeſcat, illum ità adoriendo perterret, vt ſæpiùs ea formidine multi debilitentur ac ſtupeant. Interrogati à noſtris inſulares, vndè ſibi eos ritus inanes, tanquàm contagionem, comparauerint: à Maioribus hæreditarios reſpondent: rhythmisq́, aiũt, vltra hominum memoriam iſta contexta, quæ neminem licet præter regulorum filios edoceri. Memoriæ illa commendant: neque enim literas vnquàm habuêre. Diebusq́ feſtis populo canentes, velutì ſolennia ſacra proponunt. Inſtrumentum habent vnicum ligneum, concauum,
reboans

reboans tantùm, quod concutitur tympani more. His illos imbuũt superstitionibus eorum augures, quos Boitios vocant: sunt & ijdem medici, qui plebeculæ rerum insciæ, mille adstruunt fraudes. Credere cogũt plebem hi augures, quia sunt apud eam authoritatis egregiæ, quòd zemes ipsos alloquantur, futuraq; prædicent. Et si quis aduersa laborans valetudine conualuërit, se dono zemis id assecutum persuadẽt. Ieiunio & purgationi se obligant boitij, quandò curam de primario sumunt aliquo: herbamq; vorant inebriantem: quam cùm pulueream sorpserint, veluti Męnades in furorẽ versi, multa se à zemibus audîsse immurmurãt. Valetudinarium adeunt, osse vel lapillo in os sumpto aut frustulo carnis: ex hemicyclo eijciunt omnes, præter vnũ aut duos, quos ipsemet inualidus elegerit. Circuit primarium boitius ter aut quater, faciẽ, labia, naresq; extorquens fœdis gestibus: in frontem, in tempora, in collum sufflat, ægroti absorbens aërem: post hæc se morbum ex laborantis venis exhaurire dicit. Per humeros deindè ac femora & crura ægrotum fricans, connexas à pedibus manus deducit, atque sic manibus complexis, ad ostium procurrit apertum, ac manus excutit patentes, seq; morbum effugâsse, futurumq; propediè̀m incolumem persuadet. Ast à tergo illum adoriẽs, carnis frustulum, vtì præstigiator, ex ore attollit, ęgrotoq; inclamitat, dicens: En quod vltra necessitatem comederas: valebis, quoniam illud tibi detraxerim. Si verò ægrotum fallere grauiùs intendit, zemen esse suum iratum suadet, quòd vel ei domum non construxerit, aut minùs illum religiosè coluërit, quòd prædium non dicauerit. Si ægrotum perire contigerit, affines eius veneficijs

cogũt mortuum fateri, fato 'ne an boitij incuria, quòd non integrè ieiunauerit, aut consonũ ægroto pharmacum non præbuerit. Si medici boitij culpa diem obiẽrit, de boitio vindictam sumunt. De lapillis aut ossibus quos ore gestâsse boitius aliquis putatur, si fœminæ aliquem assequuntur, panniculis religiosissimè inuolutũ seruant. Puerperijs enim prodesse plurimùm posse credunt: habentq; fœminæ lapillos eos loco zemium. Zemes autem varios, varij colũt insulares. Ligneos quidam construunt, nocturnis inter arbores vmbris moniti. Alij, si responsa intra rupes habuerint, marmoreos insculpunt. In radicibus alij coluntur, reperti inter ages, id est genus edulij, de quo suprà. Hos zemes curam habere, vt panis ille coalescat, arbitrãtur. Velutì antiquitas Dryades, Hamadryades ac Satyros & Panes aut Nereides, fontium, syluarum & pelagi curam habere putabat: suosq; rei cuique deos assignauit, vt suum quisq; genus tueretur: ità & insulares hi, suos zemes inuocatos eorũ optatis auscultare autumant. Quarè cùm de belli euentu, de annona, de incolumitate, zemes reguli consulunt, domum zemi dicatam ingrediũtur: ibiq; absorpta per nares cohóbba, sic herbam vocant inebriantem, qua & boitij in furorem statìm vertuntur: domum ilicò tectis ad fundamẽta versis moueri, homines versis vestigijs ambulare, se videre garriunt. Tãta est pulueris illius cõtusi vis ex cohóbba, vt sensum oẽm ilicò, sumenti eum, tollat. Vt primùm cessit insania, brachijs, demisso capite, genua cõplectitur: quo in statu attonitus paulispèr immoratus, caput velutì somnolentus eleuat, atque oculos in cælum attollens, intra se primùm confusa quędã obloquitur. Cui tunc primarij aulici adstantes,

(neq;

(neq; enim de populo quisquam ad ea sacra admittitur) sublatis vocibus, gratias agunt, quòd iam à zemis colloquio ad eos redierit: & quid viderit, percontantur. Ille autem os aperiés, zemen eo tempore se allocutum fuisse delirat: ipsiq; aut victoriam, aut perniciem, si cum hostibus manus conseruërint: aut famem vel vbertatem, pestem aut incolumitaté, & quicquid venit in buccam, prædixisse illi zemen, veluti lymphaticus prædicat. Eià, illustrissime Princeps, quid miraberis post hæc de Apollineo spiritu, suas ingenti rabie Sibyllas cõcutienti? Putabas superstitiosam illam antiquitatem deperîsse. Quandoquidem generalia de zemibus tot enarrauimus, quid de particularibus quibusdam referatur, silentio prætereundum minimè censeo. Regulus quidam Guamarétus habuisse zemen dicitur, nomine Corochótũ. Hunc è supremo domûs culmine, vbi vinctum Guamarétus adseruabat, sæpenumerò, aiunt, vel coitûs aut cibi gratia, vel vt sese absconderet, ruptis vinculis, descédisse: per aliquotq; interdùm dies latuisse iratum, eò quòd in ipsius cultu & sacris Guamarétus rex defecerit. In Guamaréti regio vico nasci aliquãdò infantes, coronas habentes duas, referunt, hos Corochoti zemi filios esse opinantur. Ferunt & ab hostibus victum fuisse in acie Guamarétum, vicumq; ipsius ac regiam ferro igniq; vniuersam vastatam: Corochotum autem, incensa domo, exilijsse vinculis ad stadium vsq;, fuisse deindè repertũ. Zemen habet alium, Epileguanítam nomine, ligneũ, quadrupedem: qui sæpè ad syluas è loco vbì colebatur, fertur ꝓfugisse. Hunc quotiès discessisse sentiebãt, pijs facto agmine supplicationibus, solicitè queritabãt: inuentum, religiosè ad dicatũ ei sacellũ humeris

repor-

reportabant. Aſt Chriſtianis ad inſulam euntibus aufugiſſe illum, nuſquamq́ fuiſſe vltrà repertũ, patriæ perniciẽ ob id augurantes, conqueruntur. Hæc à ſenioribus audita ſunt. Marmoreum colebant zemen, aliũ ſub fœmineo ſexu, cui duo maſculi pro miniſtris adſtabant. Horũ alter fœminæ iuſſu, præconis officio fungebatur, ad reliquos zemes, qui auxilio adſint fœminæ imperio, ad vẽtos pluuiasq́ ac nubes concitandas. Alius autẽ dicitur ex fœminæ mandato, aquas in vallibus ex altis montibus collabentes cõgregare, vt indè, facto impetu more torrentis, ſolutæ, vaſtẽt agros, ſi ſimulacro debitos optatosq́ honores indigenæ non præſtiterint. Dignũ memoratu hoc vnũ accipito, Princeps illuſtriſsime, quod opus iã claudat. Tritiſsimum apud inſulares noſtri reperêre, duos fuiſſe quõdàm regulos, è quibus vnus Guarionexij, de quo ſuprà mentionem ſæpè fecimus, fuit genitor, qui à cibo potuq́ dies quinq́ continuos abſtinuerint, vt de futuris aliquid à zemibus acciperent. Eo ieiunio grati zemibus, ſe habuiſſe in reſponſis retulerunt, venturam nõ multos poſt annos ad eam inſulam gentẽ coopertam veſtibus, quæ ritus ac cæremonias oẽs inſulares eſſet vaſtatura, filiosq́ oẽs ipſorũ aut peremptura, aut priuatura libertate. De Canibalib' iuniores cõiecturam faciẽtes, vbì aduentare Canibales ſentiebãt, fuga ſibi cõſulere ſtatutũ erat: neq́ vnquàm manus vltrà cum Canibalibus conſeruẽrunt. Cùm verò Hiſpanos inſulã ingreſſos viderunt, collectis de hac re coniecturis inter ſe, hanc eſſe gentem illam augurati ſunt. Nec illos fefellit opinio: ſubmiſsi Chriſtianis iam ſunt oẽs, peruicacibus omnibus interfectis: nec vltrà de zemibus extat memoria: ad Hiſpaniam nanque ſunt

omnes

omnes abſportati, vt eorũ ludibria & dæmonum fallacias noſceremus: è quibus tu plures, me tractante, Princeps illuſtriſsime, conſpexiſti. Multa prętereo, quia te cràs proculdubiò in patriã diſceſſurum, vt reginam tibi maiorẽ amitã, quam huc es comitatus, ex Frederici regis patrui tui mãdato, reducas, monuiſti. Tu petaſatus, ego autem laſſus: ergò vale, memor tui Martyris, quem de grandi rerum aceruo pauca hæc, ſub nomine Frederici patrui tui, deligere coëgiſti.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE DECADIS PRIMAE PERPENDICVLARIS *epilogus, ad Inacum Iopez Mendocium Tendillæ comitem, Granatæ proregem, liber decimus.*



AB ORIGINE prima & recenti conſilio ſumendæ à Colono huius prouinciæ Oceaneæ, ab vrbe Roma literis amicorũ & principum ſtimulabar, vt ea conſcriberẽ quæ acciderant. Admiratione quippe ſumma muſsitabãt, cùm repertas eſſe nouas terras nouasq́; gentes, quæ nudæ, natura contentæ, vitam agerent: deſiderioq́; ardenti cognoſcendi hæc tenebantur. Detruſit in præceps Aſcanium fortuna, fratre Ludouico à Gallis Mediolano eiecto, cuius authoritas torpeſcere me non ſinebat, quin aſsiduè calamum in dextra haberẽ. Ad eum, pręter alia multa quæ ex meis latentibus adhuc commentarijs aliquãdò videbis, libellos huius decadis præeuntes direxe-

direxeram duos. Haud secùs mihi fortuna detorsit ingenium à scribendo, atquè Ascaniũ deturbauit à potentia. Cessit à suadẽdo ille procellis agitatus, cessit & mihi feruor ista perquirẽdi, donèc anno quingentesimo supra millesimũ, cùm Granatæ curia moraretur, vbì tu prorex, Ludouicus Aragonius Cardinalis, Frederici regis ex fratre nepos, qui Granatæ erat cũ regina Parthenopæa, nostri regis Catholici sorore: Frederici regis ipsius literas ad me directas porrexit, quibus me hortabatur, vt cætera colligerẽ, quæ Ascanianos epistolares duos libellos sequebãtur. Ambo nanque fatebantur se ad manus habuisse, quę ad Cardinalem Ascanium scriptitauerã. Laborabã tunc ego, vtì nôsti, aduersa valetudine: sumpsi tamen onus, & animum impuli ad scribendum. Pauca hæc ex magno cumulo rerum, quæ relatu authorum illas cõquirentiũ accepi, memoratu dignarũ delegi. Nunc verò (quandoquidem tu exemplar integrum meorũ operũ extorquere à me fueris conatus, quô tuæ bibliothecæ voluminibus, quæ habes innumera, nostra cõmisceres) fuit cõsilium addere paucis, quę post eum annum quingentesimum à millesimo, ad hunc vsq;, qui est decimus ab illo, patefacta sunt. Latè aliquandò scribẽtur, si vixerimus. De superstitionibus insulariũ * solutum per se libellum scripseram, vt decadẽ impleret: nunc placuit perpendiculum ad te directum decimi libelli titulo munire, tãquàm huius turmæ substitem & tergiductorẽ: prioremq; decimum nono connectere: non sublata de ducatu decimi prępositione, nè totiès cogerer totũ opus transcribere, aut mittere lituratũ. Propterea non miraberis, si nonum legens, promissum reperies irritum; non semper oportet stare pollicitis.

Ad rem veniamus. Varia diuersi nautæ hoc decennio littora percurrerunt, secuti tamen Coloni inuenta. Pariæ nanque littus tractu cõtinuo lambentes, quod Indicum esse continentem credunt, in plures orientales ij, occidentales illi regiones nouas inciderũt, auriferas thuriferasque: inde nanque aurea plerique monilia, thurisque copiam, ab incolis partim nostrarum rerũ permutatione, partìm acri bello stratis, tulerunt. Alibì nostros, licèt nudi sint, incolæ strauerunt tamen, & acies integras trucidauerũt. Feroces quidem sunt, sagittis certant venenatis, & adustis præacutis sudibus. Animalia reptilia, insecta, quadrupedia etiã, à nostris dissimilia reperêre, multiformia, varia, innumeraque: noxia tamen minimè, præter leones, tigrides, crocodilos. In varijs magnæ illius telluris Pariensis regionibus dico: in insulis haudquaquàm, neque vnum quidem: mitia sunt omnia insularia, præter homines in plerisque, vtì iam diximus, qui humanarũ sunt carnium heluones, Caribes siue Canibales dictos. Diuersi quoquè generis volucres. Plerisque in locis vespertiliones, turturibus non minores: ad eos acri furore, primo noctis crepusculo, volitabant, & venenato morsu ad rabiem vsque læsos trahebant, ità vt aufugere indè, velutì ab harpyijs, fuerint coacti. Alibì cùm in terra noctù quidam in arena dormirent, è mari monstrum exiens, furtìm vnũ arripuit medium, absportauitque in conspectu sociorum, nec misero clamãti opẽ ferre potuerũt, donèc in mare bellua cum præda prosilierit. In his terris figere pedem, arcesque ibì condere est animus regis, nec desunt qui terræ illius subdendæ pacandæque onus sumere desiderent, & regi supplicãt, vt ipsis prouincia demandetur. Magni sunt tractus, vasta terrarum

A monstro marino rapitur homo.

rarum amplitudo. Europam, aiunt, vniuersam suî magnitudine has regiones, tum continentes, tum insulares, triplo superare: præter eas quas Portugalléses ad meridiem repererunt, quę maximæ sunt. Magna laude digna est hac nostra tẽpestate Hispania, quę latẽtes hactenùs tot antipodum myriadas, nostris gẽtibus cognitas effecerit, ingenioq́ pollentibus amplam adeò scribẽdi materiã præbuerit: quibus ego iter aperui, cùm ista nudè, vtì vides, collegerim: tum quia elegantioribus nequeo vestibus quicquã ornare, tum etiã quoniã calamũ, vt historicè scriberẽ, nunq̃ sumpsi: sed vt ꝑ epistolas raptìm scriptas, his, à quorum mãdatis referre pedẽ nõ licebat, satisfacerẽ. Iam satis digressus sum. ad Hispaniolã redeamus.

Panem agnoscunt insularem parui esse roboris, nostro triticeo pani assuetis, hebetãtur ob eã causam vires hominum. Propterea nupèr rex imperauit, vt diuersis in locis varioq́ anni tempore seratur. In arũdineas nanq; paleas inanes cum raris, sed illis crassis & prægnantibus, spicis prodibãt. Sentiunt eandem esse in herbis mollitiẽ, crescunt ad segetum mensuram: armenta mirum in modũ impinguant: sed carnes reddunt insipidas, immò & aiunt sine medullis, aut, si insint, aquosis. De porcis econuersò: salubres sapidosq́, ob insulares quosdam syluestres fructus, quibus auidè vescuntur, esse ferunt. In macellis nil secant aliud. Creuit porcorum multitudo, & syluestres effecti sunt, qui è subulcorum cura euaserunt. Nõ egent vltrà, vt aliundè genus vllum quadrupedum aut altilium ad eos inuehatur. Animalium omnium pulli, propter herbæ luxuriem, patribus grandiores euadunt, licèt solo gramine, sine hordeo aut vllo grano, nutriantur. De Hispaniola satìs.

Cubæ insulæ descriptio. Nunc eius viciniam complectamur. Cubam, tellurem illam quam diù, ob eius lõgitudinem, continentem putauerunt, insulam esse reperiũt. Neq; mirum videatur, quòd ipsius incolæ, dum percurreretur à nostris, fine carere dicerent: quia gẽs hęc nuda, paruo & finibus suis natalibus contenta, quid vicini facerent, minimè erat solicita. Esset'ne aliud quicquã sub cælo, néc ne, præter id quod pedibus terebant, haudquaquàm sciebant. Est verò Cuba, ab Oriente in Occidẽtem, multo longior Hispaniola: lata verò, à septentrione in meridiem, cõtra eorum priorem opinionem, multo minùs. Est angustissima, si longitudinẽ respexeris. Terra ferax maiori ex parte atq; amœna.

Ioanna, siue S. Ioãnis insula. Ab Oriente nõ longè ab Hispaniola iacet insula, dimidio ampliùs minor Hispaniola, sancti Ioãnis nomine à nostris dicta, quadrata ferè. In hac aurifodinas esse ditissimas reperiũt. Sed intenti nunc aurifodinis Hispaniolæ, nondùm opifices in eam insulam miserunt: parare tamen paulatìm sese ad id incipiunt. Hispaniolæ verò prouentus reliqui posthabentur oẽs, omnisq; ad aurum legendum cura est directa, cui opificio ordo est datus huiuscemodi. Cuique viro industrio, qui alicuius momenti sit, vnus aut plures cacici, id est, reguli, cũ suis quisq; subditis assignãtur. Cacicus certis anni tẽporibus ex fœdere cum incolarũ turma venit ad eius, cui addictus est, aurifodinam. Ibì instrumenta illis fossoria assignantur. Statutũq; est cacico & incolis præmium laboris certũ, propter alimoniam. Discedentibus nanq; ex aurifodinis ad sementes, quibus suis temporibus inuigilant, nè desint alimoniæ, reportant thoracẽ vnus, interiorem textam alius, alius sagulum aut pileum. His nanq; iam delectãtur, nec vltrà nudi incedũt.

Ità

Ità & auro & agriculturæ incolarum, haud aliter àc seruorum, opera intēdunt. Ferunt iniquo animo iugum, ast ferunt. Anaborías vocāt hos mercenarios, insulares: non tamen rex patitur vt pro seruis habeātur. Dantur & tolluntur ad regis arbitrium. Tempore quo accersuntur à Cacicis eorum regulis, veluti à centurionibus milites, aut calones, incolę, si queunt, ad syluas & mōtes euadunt multi: contenti eo tempore syluestribus cibis latitantes, nè laborem illum subeant. Dociles verò sunt, priscorum rituum penitùs oblíti: piè credunt, & recitāt quæ de nostra fide edocentur. Regulorum filios erudiunt domi primarij ex nostris, literasq́; ast vulgares: & vrbanos mores facilè ebibunt. Grandæuos ad natales mittūt, si præcipuè patres interierint, gubernatū auitos incolas. Hi iam fide valent in Christū & nostros, incolasq́; suos in amore retinēt, ac blandis suasionibus hilares ducūt ad aurifodinas: quæ duabus in regionibus insulæ iacent, ad milliare circiter trigesimum ab vrbe Dominica, sancti Christophori dicta, vna: ad milliare verò circiter nonagesimum altera, quæ dicitur Cibaua: vbì portus regalis. Magni tractûs sunt hæ regiones: vbì passìm superficialiter interdùm, alicubì inter saxa, globi aut laminæ reperiuntur aureæ, minutæ interdùm, plerisq; in locis magni pōderis. Trecentorum pondo globi, interdùm ampliùs. Ast vnus repertus fuit trium millium trecētorum decem auri pondo: qui, vt aliquandò audîsti, integer ad reges ferebatur in ea naui, qua Boádilla gubernator in Hispaniā redibat: & præ nimio gentium & auri pondere summersa interijt, cum his qui inerant, omnibus. Globum eum mille ampliùs homines viderunt, atq; attrectauerunt. Pondus autē

Auri globus maximi ponderis.

hoc à me sic appellatũ, non libram intelligi volo æquare, ſed ducati aurei & trientis ſummam: vocant ipſi peſum: ſummamq́ ponderis eius, Caſtellanum aureum appellant Hiſpani. Quicquid auri effoditur in montibus Cibauis & portu regali, ad Cõceptionem, oppidum ità appellatum, fertur: ibì officinæ paratæ aurum ſuſcipiunt, & conflant in vectes: dantq́ accepta parte regia, quę eſt quinta, cuiq; portionem quam attulit ex ſuo labore. Id verò auri, quod in regione ſancti Chriſtophori legitur, ad officinas oppidi Bonauenturæ affertur. Supra tercentum millia auri pondo, quotannìs in duabus officinis conflatur. Si quis fraudâſſe detinendo depræhenditur, vt non magiſtratibus regijs adſignetur, quicquid auri reperitur, lege mulctatur auri dominus. Incidũt inter eos ſæpè contentiones, quas nisì potis ſit inſularis magiſtratus ſedare, per appellationem ad curiæ ſenatum lis defertur: à cuius ſententia nõ licet in omnibus Caſtellæ regnis retrocedere aut diuertere. Sunt autem noſtra tempeſtate ſenatores inſignes, viri nobiles omnes ex ſanguine nitido: quos eſt conſilium eo ordine hîc nominatìm inſerere, quo, de rebus dubijs iudicaturi, ſedent in ſenatu. Primam ſibi ſedem legit Antonius Roies archiepiſcopus Granatẽſis, tibi affinis: ingenio primâs vir Catoniano, qui neq; ſibijpſi aut affinibus, ſi delinquerent, didicit ignoſcere: vita integerrimus, literarum & ipſe cultor. Princeps hic ſenatûs eſt: vos Præſidentẽ dicitis. Cæteri huic adſtãt ordine, quem tẽpus inſtituit: qui nanq; prior ad ſenatũ accitus fuit, hic prior ſedet. Doctores oẽs, aut deſignati, aut inſignibus decorati. Deſignatos autem vocat Hiſpanum idioma Licentiatos: ex iureconſultis regnorum delecti omnes. Præſidẽti

aſsidet

aſsidet veteranus, nomine Petrus, cognomento Oropeſa. Sequitur hunc Ludouicus cognomine Zapata. Ab hoc habet locum Fernandus cognomẽto Tellus. Quartam ſibi ſedem habet Garſias, cognomento Moxica. Quinto ſedet loco Laurentius cognomento Carauaial. Adſtat huius lateri Toribius, cognomento Santiago. Sequitur Ioannes Lopez Palacios Ruuios. Dehinc Ludouicus cognomento Polanco. Ab hoc ſedem tenet Franciſcus cognomento Vargas, qui vnà eſt & regius theſaurarius. Vltimas occupant ſtationes duo ſacris initiati Soſa & Cabrero, iuris põtificij periti: his nõ licet in criminali vlla cauſa ſuffragari. Horum omnium humeris, quicquid litis aut cõtentionis exoritur, incumbit. Ad nouas iam terras, à quibus digreſsi ſumus, redeamus. Innumeræ ſunt, variæ, fortunatæ. Non Saturno, nõ Herculi, non cuiquam veterum, qui nouas oras quæritârunt, ad cultumq́ redegerunt, noſtri iuniores cedent Hiſpani. Prò quàm latè diſtentam poſteri Chriſtianam videbũt religionem? quàm latè iam peruagari hominibus licebit? Quid de hiſce rebus ſentiã, nequeo lingua vel calamo vllo pacto promere. Claudo igitur decadis perpendicularẽ epilogum: animo tamen explorandi colligendiq́ cũcta particulatìm, vt mãdare literis illa queam, quandò per ocium licuerit. Colonus nanq; idem Almirantus, cum quatuor nauigijs & hominibus centum ſeptuaginta à regibus præbitis, percurrit anno M D II terram, quæ occidentem Cubæ vltimum ſpectat angulum, ad leuquas centum triginta circiter: quo medio ſpatio iacet inſula frugibus & fructib⁹ arboreis fortunatiſsima, nomine Guanaſſa: vertitq́ ſe indè ad Oriẽtem per eius littoris oras, verſis veſtigijs putãs ſe littus Pariæ

reperturum: sed minimè cessit. Percurrisse quoquè feruntur ea littora occidentalia Vincentius Agnes, de quo suprà, & Ioannes quidam Diaz Solisius Nebrissensis, multiq; alij: quorum res nondùm benè didici: modò viuam, aliquandò illa videre licebit. Nunc vale.

OCEANEAE DECADIS PRIMAE LIBRI DECIMI FINIS.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, REGII'QVE CONSILIARII, DE NOVO *orbe Decas secunda, ad Leonem decimum pontificem maximũ, Crediti continentis liber primus.*



EX QVO, beatissime pater, Galeacius Butrigarius Bononiensis, & Ioannes Cursius Florentinus, ad catholicum regẽ, pro tua sanctitate ille, hic verò pro clarissima Repub. sua, in Hispaniam se contulerũt, viris adstiti semper, & ob eorum virtutes & sapientiam obseruaui vtrunq;. Ij cùm assidua variorum authorum lectione delecten-

lectentur, in libellos quosdam ex nostra officina decussos, de vastis hactenùs latentibus orbis terrarum regionibus, deq; occiduis ferè Antipodibus ab Hispanis iampridèm repertis, inciderunt. Nouæ narrationis, licèt malè comptæ, amore pellecti, rem cõmendârunt: petiêruntq; à me, cùm suo, tum sanctitatis tuæ nomine, vt, quæ post ea tempora reperta sunt, scriptis superadderẽ, eisq; exemplar ad beatitudinem tuam mittendum traderem, quô intelligat, quãtùm nostra tempestate, felicibus Hispanorum regum auspicijs, & humano generi decoris, & militãti ecclesiæ augmenti accesserit. Gentes nanq; illæ nudæ, veluti rasæ tabellæ, religionis nostræ ritus facilè induunt, nostrorumq; commercio efferam natiuamq; rusticitatem excutiunt. Placuit virorum sapientũ, & de tua sanctitate benè meritorum, obtemperare mandatis: quippe qui, audito beatitudinis tuæ nomine, nefas inexpiabile fore putâssem, nisì ilicò paruissem. Quæ igitur ordine suo littora latentia Hispani discurrerint, quibúsve authoribus res actæ sint, vbì pedem fixerint, quid etiam spei afferatur, quid illi terrarũ tractus polliceantur, breuibus recensebo. In decadis nostræ Oceaneæ narratione, quæ, me inconsulto, per Christianum orbem impressa vagatur, Christophorum Colonum Ligurem eas insulas, quarũ meminimus, reperisse, in læuámque dehinc versum ad meridiem, in vastas terrarum pelagíque regiones, ab æquinoctiali linea à quinto ad decimum gradum tantùm discedentes, incidisse, descripsimus: vbì lata flumina, niuales altissimosq; montes littoribus imminentes, & placidissimos portus, inuenerat. Colono iam vita functo, regi cura ingens exorta est, vt terræ illæ nouæ à Chri-

ſtianis habitandæ, in religionis noſtræ augmentum occuparentur. Propterea facultatem per chirographa regia id aggredi volentibus præbuit honoratam. Sed duobus præcipuè viris, Diego Nicueſæ Baëcenſi Vandalo, & Alphonſo Fogedæ Conchenſi. Quarè ex Hiſpaniola, in qua vrbem & colonias conſtruxiſſe Hiſpanos diximus, quámque ipſi incolebant, circiter idus Decembris Alphonſus Fogeda prior cum militibus circiter tercentum diſceſsit: tendensq́ ferè rectà ad meridiem, è portubus iam anteà repertis, vnum adijt, cui nomen erat à Colono inditum Carthagini: quoniam & inſula venientibus fluctibus oppoſita, locíque amplitudine, & falcatis lateribus, Carthaginenſem Hiſpaniæ portum æmulatur. Inſulam vocant incolæ Codego, vtì Carthaginenſes Hiſpani ſuam appellant Scombriam. Regio ab incolis Caramáiri dicitur: in qua viros ſimul & fœminas aiunt ſtâtura pulcherrimos eſſe, nudos tamen, capillis aure tenus ſciſsis mares, fœminas oblongis: quorum vterque ſexus ſagittis plurimùm valet. Arbores in hac prouincia noſtri reperêre dulcium pomorum feraces, ſed maximè noxiorum: in vermes nanque comeſa conuertuntur. Sed arboris vmbra præcipuè lethalis: nam qui ſub ea aliquandò dormiêrunt, turgido capite, & amiſſo penitùs lumine, excitati ſunt. At ſi breui tempore ſomno indulſerint, poſt aliquot dies cæcitate liberantur. Diſtat is portus ab ea parte Hiſpaniolæ, quam vocant Hiſpani Beatã, in qua, ad nouas terras traiecturi, ſeſe apparant, millia paſſuum ſex & quinquaginta ſupra quadringenta. Portum ingreſſus Fogeda, incolis vim intulit, quos palantes & nudos adortus eſt. Dati erant in

Arbor mirè noxia.

præ-

prædam ex diplomate regio: quia fuerāt in Christianos olim crudelissimi, nec adduci vnquàm potuerant, vt pacatò Christianos suscipere intra ditionis suæ terminos vellent. Auri copiam, sed exiguam, apud eos reperêre, neque id quidem purum erat. Eo sibi laminas & bullas, pectori affigendas ad decorem, conflant. Ea tamen grassatione spolijsq́ non contentus Fogeda, captiuis, quos paulò antè ceperat, ducibus, pagum in internis à littore distantem millia passuum duodecim, in quo fugientes ex vico maritimo suscepti fuerant, adortus, gentem reperit, licèt nudam, bello tamen aptam. Scutis quippe, ancilibus & ensibus etiam ligneis oblongis & arcubus certant ac sagittis, cuspidibus aut præustis, aut osseis. Desperatis animis in nostros cum hospitibus impetum fecerunt: animaduersa præsertim eorundem, qui ad eos aufugerant, calamitate, ex paruulorum & fœminarum raptu & spolijs, strageq́ in ipsos illata. Strati fuerunt nostri. Proximum à Fogeda præfecto Ioannem de la Cossa, qui primus aurum in Vrabensi arena collegit, cum septuaginta militibus interemêre. Sagittas nanq́ liniunt herbæ cuiusdam succo lethali. Cæteri in fugam versi, ad naues, regente Fogeda duce, qui & ipse terga dedit, rediêrunt. Dum ea strage perculsi, mœsti viuerent in portu Carthaginis, eccè ducem alium Diegum de Nicuesa, cum quinque nauigijs. In portu nanque Beatæ in Hispaniola & hunc parantem se reliquerant Fogeda & Cossa. Is quinq́ & octoginta supra septingentos adducebat. Plures nanque hunc Nicuesam milites secuti fuerant, cùm esset cuique liberum ex ducibus alterutrum eligere, propterea quòd maioris esset ob ætatē authoritatis, & q̄a ferebatur vulgò,

Nudorum de Hispanis armatis victoria.

Beragu-

Beraguam ex regia concessione à Nicuesa colendam, auro ditiorem esse, quàm Vrabam Alphonso Fogedæ destinatam. Appulso igitur Nicuesa, consilium iniêre quid facto opùs esset. Suffragijs vniuersorum statutum est, vt sociorum vltioni primùm studeretur. Noctù agmine composito iter cepêre ad eos, qui Cossam & septuaginta socios interfecerant. Vltima noctis vigilia imparatos adorti, vicum qui domorum constabat centũ ampliùs, sed vicinorum triplo refertum, (incolunt nanq; gregatìm, vniuersum in gyrum circunseptum, nè quisquã euaderet, supposito igne, deleuerunt. Sunt domus eorum ligneæ, palmarum folijs contegulatæ. Sex tantùm paruulis, ex ingenti virorum ac mulierum multitudine, pepercerunt, cæteris, qui non aufugerint, ferro aut igne consumptis cum supellectilibus. A seruatis pueris, Cossam & cæteros interemptos, ab interfectoribus in frusta secatos fuisse, & demùm comesos intellexerunt. A Caribibus nanque siue Canibalibus, carnium humanarũ edacibus, originem traxisse Caramairenses, existimant. Auri aliquid inter cineres repertum est. Auri nanq; sitis non minùs, quàm terrarum, ad hos labores & discrimina subeunda nostros concitat. His actis, & Cossæ ac sociorum nece pensitata, ad portum regrediuntur. Post hæc Fogeda qui prior venerat, prior cum sua caterua discedens, Vrabã suæ gubernationi addictam quæsiturus, iter fecit per insulam, quæ Fortis dicitur. Ea est media inter Vrabam & Carthaginensem portum: in qua descendens, truciũ esse patriam Canibalium didicit. Ex incolis mares duos, fœminas septem, captiuos abduxit: cæteri euaserunt. Cẽtum & nonaginta drachmas auri, in varia monilia conflati,
con-

confecutus eſt. Indè Vrabam ab orientali præhendit ora, quam appellant indigenæ Caribanã, vndè Caribes inſulares originem habere, nomenq́ retinere dicuntur. Ibì arcem & arci vicinũ vicum cœpit condere, in quod ſe reciperent. Dehinc à captiuis edoctus, eſſe in internis ad milliaria duodecim pagum nomine Tiruſi, aurifodina dite nobilem. Conſilium ſumpſit de pago debellando. It, paratos ad ſui iuris defenſionem paganos offendit: repulſus fuit non ſine cõtumelia & damno: ſagittis nanq́ venenatis & iſti bellum gerunt. Non multos poſt dies in alterius pagi oppugnationem cùm egeſtate preſſus veniſſet, fuit & ipſi ſagitta femur tranſuerberatum. Aiuntè ſocijs nonnulli, ab indigena percuſſum, cuius vxorem captiuam ducebat. Amicè priùs de vxore redimenda, inquiunt, egiſſe maritum cum Fogeda, ad certumq́ diẽ fuiſſe pactũ id auri pondus, quod Fogeda pro vxore petebat. Statuto autem die rediјſſe, ſed ſagittis & telis armatum, nõ auro onuſtum, cum octo ſocijs ad mortem paratis animis, illatæ iniuriæ Carthaginenſibus & pagi poſteà combuſti participibus. Trucidatur incola ab Fogedæ ſocijs, nec datur vltrà amata coniuge frui. Fogeda atrocitate veneni paulatìm deſiccatur.

Dum hęc ità ſuccederent, eccè Nicueſam ducem alterum, cui Beragua regio Vrabæ occidentalis aſsignata eſt habitanda. Is poſtridiè à Fogedæ digreſſu, è portu Carthaginis vela dedit, Beraguam aditurus. Littora ſemper lambens cum copijs, quas adduxerat, ſinum cepit indigenarum, appellatione Cóibam, cuius rex erat nomine Caréta. Linguam reperit ab Hiſpanioléſi & Carthaginenſi longè aliam. Diuerſa etiam in his tractibus à ſuiſmet vicinis ſunt idiomata. Regem nan-

que

que Hiſpaniola Cacicum vocat: Coiba verò prouincia, Chebin, alibì Tiba. Nobilem appellat Hiſpaniola Taino: Coiba, ſaccum, alibì Iurá. Ex Coiba ad Vrabam, Fogedæ ſocij ſui præfecturã, tetendit Nicueſa. Poſt aliquot indè dies ingreſſus ipſe nauigij genus mercatorium, quod carauelam vocat Hiſpanus, onerariæ naues ab alto vt ſequantur, imperat. Secum verò ducit biremes duas, vulgò bergantinos: quos eſt animus, ſimul & cætera nauigiorum genera, multa etiam alia, vulgaribus eorum nominibus in diſcurſu noſtrę narrationis nuncupare, vt apertiùs, quid velim, intelligatur: neglectis tetricorum, mordẽdi cauſas in ſcriptores quærentium, genuinis. Emergunt nanque non pauca quotidiè, quibus vera nomina relinquere non potuit vetuſtatis veneranda maieſtas. Poſt Nicueſæ diſceſſum, ad Fogedam ex Hiſpaniola venit vna nauis, duce Bernardino de Calauera, qui eam fuerat ex Hiſpaniola ſuffuratus, cum hominibus ſexaginta: Archithalaſſo, quem ipſi Almirantum appellant, & gubernatoribus alijs inconſultis. Ex alimentis quæ ferebat, perditas egeſtate vires aliquantulũ recreârunt. In Fogedam indiès magìs ac magìs exoriebantur ſociorum murmura, quòd eos inani ſpe depaſceret. Dicebat enim ſe in Hiſpaniola reliquiſſe Baccalarium Anciſum, iuſtitiæ prætorem à ſe electum anthoritate regia, quia ſit peritus legibus, vt ad ſe duceret nauim vnam commeatibus onuſtam: ſeq; mirari, quòd multis antè diebus non venerit. Neq; id falsò aiebat. Diſcedens nanque, Anciſum iam ſemiparatũ reliquerat. Socij verò ſe deludi arbitrantes, inania eſſe quæ de Anciſo narraret, ſuſpicati ſunt. Taciti ſecum ſtatuunt pleriq;, bergantinos duos furari Foge-

Fogedæ, ac ad Hiſpaniolam reuerti. Re intellecta, Fogeda præoccupare ſociorum cogitata conſtituit: relicto Franciſco Pizarro nobili viro, præfecto ad arcis, quã condiderat, cuſtodiam. Cum paucis ità ſaucius nauim, de qua antè diximus, conſcendit: ad Hiſpaniolam, tum curatũ femur, ſi quod remedium inuenerit: tum etiam vt veſtiget, quid rei Anciſum moretur, profecturus: de reditu ſuo intra quinquageſimum diem ſpem ſocijs relinquens, qui ex circiter tercentum ad numerum ſexaginta, cæteris tum fame, tum incolarum telis conſumptis, redacti erant: lege Pizarro & ſocijs conſcripta, nè proditione taxarentur, ſi intra quinquageſimum diem non reuerteretur, commeatuum & recentium ſociorũ auxilia ducens. Pactis igitur diebus exactis, cùm fame iam acri vrgerentur, duos conſcendunt relictos bergantinos, & eam terram deſerunt. Hiſpaniolam versùs altum iam adnauigantibus, exorta tempeſtas, è bergantinis vnum cum vniuerſis qui inerant, abſorpſit. E ſocijs alij referunt, ſe apertè vidiſſe immanem piſcem circumeuntem bergantinum, (Ingentia enim monſtra maria illa nutriunt) & caudæ ictu bergantini temonem confregiſſe in fruſta. Quo deficiente, circumactus tempeſtate bergantinus, obrutus eſt, circa littus inſulæ, quam Fortem appellant, inter Carthaginenſem & Vrabanam oras ſitam. A qua arcubus & ſagittis, bergantinus ſuperſtes accedens, ab incolis feroci congreſſu barbarorum reiecta eſt. Iter ergò ſuum proſequens, fortè incidit in Baccalarium Anciſum, inter Carthaginenſem portum & Cuchibacóam regionem, in oſtio fluminis, quem noſtri Boíum gatti appellant: quia ibi catum primò viderint. Boius autem, Hiſpaniolenſi

lenſi

lensi lingua domus dicitur. Veniebat Ancisus vna naui, onusta commeatibus omnis generis, tam ad victum quàm ad vestitum faciẽtibus, & bergantino comite. Is erat, cuius aduentum Fogeda dux auidè opperiebatur. Ex Hispaniola idibus Septẽbris soluerat, & quarto die à discessu, montes altos quosdam recognouit, quos à perpetuis niuibus Serram Neuatam Hispani appellârunt, prætereunte Colono, primo repertore illarum regionum. Quinto autem die per Os Draconis iter fecit. Anciso referunt, qui bergantino vehebantur, Fogedam ad Hispaniolam redijsse. Falsò locutos Ancisus existimans, authoritate prætoria, vt reuertãtur, imperat. Dicto párent bergantinei, Ancisum sequuntur, licèt ab eo supplices petierint, vt alterutrum illis indulgeret, aut vt bona eius venia liceat ad Hispaniolam regredi, vel eos ipse ducat ad Nicuesam: in gratiæ præmium, sese donaturos ei duo millia drachmarum auri offerunt. Auro nanq; dites erant, sed pane egentes. Neutrum Ancisus annuit, seq; aliò proficisci nullo modo posse testatus est, præterquàm in Vrabã Fogedæ prouinciam. Illis ergò ducibus, Ancisus prætor Vrabam versùs tetendit. Sed vnum priùs memoratu dignum, non sit molestum, beatissime pater, audire, quod huic prætori accidit venienti. Iecit & iste ancoras in ora Caramairiana, quam diximus Carthaginensi portu, & maritali fœminarum casta venustate, atq; vtriusq; sexûs animi fortitudine, esse illustrem. Aquandi gratia, & scaphæ naualis, quæ confracta erat, reficiendæ causa, nonnullos in littus mittit. Attentos operi nostros, indigenarum multitudo suo more armata circunsepsit, triduoq; obsessos tenuit: quo tempore neq; illi manus conserere, neq; nostri

ſtri illos impetere auſi ſunt. Ordinibus ſeruatis vtrique toto triduo ſteterunt, protentis oculis in alteros alteri. Noſtri tamen intereà opus demandatum proſequebantur, fabris nauticis medium agmen tenentibus. Dum ſic hæſitarent, ex grege aberrârunt duo, aqualem vrnam impleturi ad oſtium fluminis vtriſque vicini. Dicto citiùs ex hoſtibus adeſt cum decem armatis primarius vnus, & ab vtroque latere aquatores circundãt: ſagittis in eos directis, minimè tamen excuſsis, & trucibus oculis eos inſpectabant. Aufugit è duobus alter, manet imperterritus alter, & fugientem ſocium iurgio reuocauit. Hoſtes compellat eorum idiomate, quod didicerat ex captiuorum indè aliâs raptorum commercio. Admirati ſermonem patrium in aduena, truculentiam exuunt, blandis inuicèm verbis agunt: qui ſint eius cateruæ appulſæ duces, interrogant indigenę. Peregrinos eſſe tranſeuntes reſpondet pedes: & ſe mirari ait, quòd à littore prætereuntes naues conentur deturbare, arguens eos immanitatis, ac ſimul ruinam enunciat, nî tale conſilium abijciant. Venturos nanq; armatos, qui ſuperent maris arenas, in ipſorum perniciem, certiores facit: niſi non modò non arma ſumpſerint, verumetiam niſi honorificè veniẽtes ad ea littora ſuſceperint. Detineri pedites, nunciatur Anciſo. Fraudem ineſſe ſuſpicatus Anciſus, ſcutatos educit ſocios omnes, propter ſagittas venenatas, & compoſito agmine pedetentim graditur ad eos qui pedites detinebant: ſed dato ſigno à pedite, indicante vt ſiſteret: ſuſtinuit gradum, & per reuocatum peditem alterum, intelligit rem eſſe in tuto. Cupere pacem hoſtes, inquit pedes, quandoquidẽ non ipſi ſunt, quos arbitrantur, Fogedam &

Nicuesam insinuabant, qui pagum in littore illo spoliauerant, captiuis abductis, & in internis alium prostrauerant combusserantq́; . Vltũ eam iniuriam se venisse fatebantur hostes, si quiuissent. At contra insontes minimè se velle sua tela exercere. Impium nanq; aiunt esse, in quenquam non lacessentem pugnare. Depositis igitur arcubus & sagittis, nostros benignè excipiunt, salsis piscibus & pane patrio donant. Ceruisia quoq; ex fructibus patrijs & sementibus, vinum æquante, ijsdem vinarios cados impleuerunt. Ità pace confecta cum Caramairensibus, ab alijs ducibus àcriter lacessitis, Ancisus per insulam Fortem, Vrabam proficiscitur. Sua naui Ancisus centum vehebat & quinquaginta viros recentes, qui in demortuorum locum sufficerentur: duodecim etiã equas, & sues fœminas plures, cum suis quodq; genus masculis, ad sobolem in ea regione procreandam: & vnà tormentorum vasa quinquaginta cum hastarum, scutorum, ensiũ, reliquorumq́; id genus telorum multitudine immensa ad bella gerenda. Sed malè auspicatò cuncta. Iamiam intrare portum volentibus, nauis gubernator, qui temoni inhærebat, in breuia & vadosas arenas direxit. Stat misera nauis arenis inuoluta, vndis cõcutitur, aperitur: quicquid in ea vehebatur, amittitur. Visu miserrimum. De commeatibus duodecim tantùm farinæ cados, caseosq́; pauculos, & biscocti panis copiam exiguam seruauerunt: animalia & ipsa suffocata vndis. Per bergantinum & nauis scapham penè nudis ipsi corporibus, cum telorum parte euaserunt. Ità ex calamitate cadũt in calamitates, de vita tantùm, de auro iam minimè soliciti. Eccè viuos & incolumes in complexu

Ancisi naufragium.

terræ, quam tota mente petierant. Sustinendis corporibus opera danda est, quia non vescuntur aëreo flatu. De alieno quærendum est, proprio deficiente. Vnum tamen illis inter tot aduersa secundum sese obtulit. Palmeta non procùl à littore inuenêre, inter quæ & palustres vluas, aprorum multitudo libera vagabatur. Aliquot ibi dies aprinis carnibus ad saturitatem vsi sunt. Illos tamen aiunt nostris esse minores, caudis breuissimis, adeò vt abscissas fuisse arbitrarentur. Pedibus etiã nostris dissimiles sunt: posteriores quippe aiunt pedes in his apris vno digito, non vngulato, constare. Eorũ etiam carnes multo nostrorum carnibus saporosiores & salubriores experti sunt. Palmarum fructibus & palmulis radicalibus (quibus interior Bætica vescitur, & palmitos vocat, ex quorúmque folijs Roma scopas habet) necnon prouincialibus pomis eo tempore vsi sunt. Sed poma illa, vt præcocia pruna, quæ ossata, parua etiam & rubentia feruntur. Arbitror ego eius generis esse, qualia ipse comédi Aprili mense in Aegyptia Alexandria: quorum arborem Iudæi indigenæ periti legis Moseæ, cedrum Libani asseuérant. Ea sunt esui apta: dulcedinem leni quadam acrimonia mixtam habent, vtì in sorbis videmus. Loco persicorum & cerasorum atque huiuscemodi aliarum arborum, incolæ in hortis arborem hanc plantant, & diligenti cura nutriunt, cùm peregrina sit. Ea est ziziferæ arbori & folijs & altitudine, trunco etiam, simillima. Apris iam deficientibus, de futuro consulere coguntur. Itur in interna turmatim. Est huius terræ Caribanæ gens, arcubus & sagittis tractandis aptissima. Centuriã Ancisus ducebat: dico centũ pedites: etsi me nõ lateat cõstare centuriã ex centũ

Incredibilis animorũ audacia, & sagittandi peritia.

vigintiocto militibus, vt decuriã ex quindecim. Licet tamen de gente nuda scribẽti, nudis vti verbis interdùm. Obuij occurrunt nostris tres tantùm incolæ nudi, sine formidine vlla nostros adoriuntur, sagittis venenatis transfigunt plures, plerosq; perimunt, pharetris euacuatis, euadunt vento celeriùs, pedibus nanq; plurimùm valẽt: & nostros lacessunt iurgiosis opprobrijs. Sagittã in vacuum emissam ex arcubus ferunt nullã. Redeunt ergò nostri, quâ venerant, multis modis infelices, & de relinquenda terra illa consiliũ ineunt, præcipuè quia diruerant arcem incolæ, quã Fogeda condiderat: & vici domos triginta combusserant, vbì primùm terram à Fogeda relicti Pizarrus & socij deseruêre. Vestigantes igitur, intellexêre latus occidentale sinûs illius Vrabæ, felicius esse ac feracius. Quarè dimidiam cum bergantinis virorum partem transmittunt, reliqua in orientali littore relicta. Est sinus ille latus millia passuum quatuor & viginti: quo'q; magìs intra continentem prouehit, eo magìs angustatur. In sinum Vrabæ diuersa cadunt flumina: sed vnũ Nilo, vt aiũt, fortunatius, nomine Darien: in cuius ripa herbida & arborifera figere pedem statuunt, licèt paruo lento'q; alueo cõstet. Accolæ verò admirati velorum & bergantinorum aduentum, quæ suis lintribus erant grandiores: fœminis maribus'q; inermibus & supellectilibus emissis, bello apti animis ac telis parati, nostros in elato quodam tumulo structa expectant acie: quingentos ampliùs numero illos nostri esse iudicârunt. Instruunt ergò acies, duce Anciso prætore pro Fogeda: flexis genibus, prætor ipse ac cæteri pro victoria supplices orant superos. Vouent simulacro beatæ virginis, quod Hispali sub nomi-

ne sanctæ Mariæ Antiquæ colitur, aurea & argentea quædam dona, missurosq́ꝫ se peregrinū pollicentur: & nomen vico habitando imposituros sanctæ Mariæ Antiquæ, templumq́ꝫ sub eodē nomine erecturos, vel ad id eius reguli atrium dicaturos. His actis, milites omnes iureiurãdo adstringit, nè quisquã hostibus terga vertat. Dato signo, lætis animis scuta lacertis accingunt, hastas vibrant, & sublato clamore, in hostes ruunt. Impetum nostrorum diù sustinere hostes nudi minimè potuerunt: in fugam vertuntur, duce regulo Cemaco. Nostri vicum occupant: in quo ciborum copiam more patriæ ad præsentē esuriem propulsandam reperêre: panem scilicet radicalem, & ex semētibus quas panico similes diximus in prima decade: cum fructibus à nostris dissimilibus, quos ipsi, vtì nos castaneas & similia, seruāt ad vsum. Ex gētibus ijs mares nudos penitùs, fœminas verò ab vmbilico gossampina contectas multitia repererunt. Est ea regio horroris hyberni expers. Distat nanq́ꝫ Darienis fluminis ostium ab æquinoctio gradus octo tãtùm, ità ꝗ populus vix diei ac noctis toto anno discrimen sentiat, vt pleriq́ꝫ aiunt, neq́ꝫ enim sunt Astronomiæ periti. Propterea nil curæ nobis sit, an gradus ij ab eorū sententia dissentiant, nec´ne, quãdoquidem paruo differūt, licèt ipsi arguant, se intelligere, quantum à puncto arctico stella polaris distans circūeat. Postero igitur die, ex quo ad littus appulsi sunt, aduerso flumine tendunt. Canneta fluuialia reperiunt ad vnū milliare densissima: rati, quod accidit, profugos accolas ibì vel latitare, vel supellectilia abscōdisse. Cannetum sagaci indagine, scutis tamen insidiarum metu contecti, perambulant. Desertum hominibus reperêre cannetū,

ſed ſupellectilibus & auro refertũ. Lodicũ ex arboreo ſerico ſiue goſsipio contextarũ (quod vulgus Italũ bõbaſum, Hiſpanũ verò algodon nuncupant) copiã nõ exiguã, & vtenſiliũ ex ligno, pleraq; alia ex fictilibus, reperêre: aureos & thoraces inuenêre pectorales, & monilia eorũ more, ad librarũ ſummã duarũ ſupra centũ. Auro nanq; & ipſi monilia ſibi cõparant, & miris modis laborata conficiũt. Ea prouentuũ ſuorũ permutatione aſſequũtur. Nã q̃ regio, pane fortunatur aut goſſipio, auro caret: quæ verò aurum gignit aut alia metalla, maiori ex parte montana, ſaxea, minimeq; ferax. Sic inuicèm cõmercia peragũt pecuniæ expertes. Duplici ergò lætitia pſallẽtes, ꝙ auri magna cernerẽt argumẽta, & terrã ſors amœnã ac feracẽ obtulerit: ſocios in oriẽtali ſinûs Vrabæ parte relictos aliâs, accerſunt. Nõnulli tamẽ inſalubrẽ eſſe ibì aẽrẽ contendũt, qa in ſummiſſa valle iaceat pars illa, mõtibus & paludibus circũſepta.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE
Decadis ſecundæ, Crediti continentis liber ſecundus.


HABES, beatiſsime Pater, vbì figere pedem conſtituant, qui Fogeda duce vaſtos tractus Vrabenſes habitãdos ſanctione regia ſortiti ſunt. Sinamus ergò Vrabẽſes parumpèr, & Nicueſam, Beraguæ ampliſsimæ ꝓuinciæ gubernatorẽ deſtinatũ, repetamus. Ex Vraba amici & ſocij Fogedæ iuriſdictione, diximus Nicueſam vna carauela & duobus bergan-

tinis ad Occidentē Beraguā versùs tetendisse: nauibus grandioribus à tergo, vt sequerentur, relictis. Malè auspicatò consilium sumpsit. Nicuesa noctù amittit socios: procedit ipse, & Beraguæ fauces, quas optabat, præterit. Ex bergantinis vnum ducebat Lupus quidam de Olano Cantaber, vnius è nauibus grandioribus Præfectus. Is à tergo succedens, ab incolis didicit, quâ iter esset ad Beraguæ sinum ab Oriente, relictum à Nicuesa. Versa igitur ad Orientem prora, procedens Olanus occurrit altero bergantino comiti, qui & ipse per noctis tenebras aberrauerat, cuius erat ductor Petrus de Vmbria. Læti ambo consulunt quid eligendum, quâ putent Nicuesam gubernatorem suum fecisse iter. Deliberatò iudicāt, Nicuesæ ductori minùs defuisse monitores de Beragua, q̄ sibi ductis, & spe reperiendi ducis in Beragua. Beraguam versùs tendunt: vbì reperêre ad millia passuum XVI vicinum flumē, nomine dato à Colono de Lagartos: quia lagartos Hispana lingua, Latinè lacertos, nutriat maximos, hominibus cæterisq; animalibus noxios, Niliacos crocodilos æmulantes. In eo fluuio errorum socios reperêre in ancoris cum nauibus grandioribus, q̄ ab alto ex ducis mandato processerant. Ibì vniuersa concio de gubernatoris errore solicita, ex ducum bergantinorū consilio, qui proximè Beraguam abraserant, Beraguam proficiscuntur. Est Beragua, incolarū appellatione, fluuius aurifer, & idem regionis nomen à fluuio sumptum. In eius fluminis faucibus ancoras iaciunt naues grandiores, & vniuersos commeatus in terrā scaphis seruitorijs deportant: & Lupum de Olano, Nicuesæ amissi loco gubernatorem erigunt. Cuius & primorum consilio, vt abeundi aduectis spes *Fluuius aurifer.*

omnis tolleretur, sedarentq; animos ad eas incolendas, naues illas vetustate corrosas, parumq; ꝓfuturas, deserũt, & quassari ab vndis sinunt. Attñ ex eorũ recentioribus tabulis, & nouis alijs ex regionis arboribus, quas aiunt valdè proceras esse & miræ altitudinis, sectis, nouam post hæc construxêre carauelam, qua vterentur ad emergẽtes necessitates. Fato infelici à Petro Vmbria, bergãtini vnius ductore, Beragua reperta est. Is ingenio celer, tẽtandæ terræ ꝓuinciam sumpsit, vt quo in loco terra capiẽda esset, socijs renũciaret. Duodecim nautas elegit: scapham nauiũ grandiorum ministrã conscendit: pelagi fluxus ibì mugiebat horrendo quodã murmure, velutì de Scylla legitur Sicula, ob immanes pelago prominẽtes rupes, ex acri vndarũ refluxu, quẽ Hispani vocant resaccam, intra rupes repercussarũ. Luctatur aliquantispèr Vmbria: at miserũ, reiectus instàr montis è rupibus turbo cooperuit, & cum scapha ante sociorum oculos absorptũ vorauit. Vnus tantùm ex omnibus, quia natator esset egregius, emersit: & appræhenso paruulo inter vndas scopulo, turbati maris furorem sustinens, pacato altero die mari, & exiccato ex refluxu littore, euasit ad suos. Vmbria & reliqui vndecim deplorati. Cætera multitudo nõ ausa se credere lintribus, cum bergantinis descendit in terrã: vbì paucos dies commorata, aduerso flumine asscendens, incolarũ pagos reperit, quos ipsi Mumu appellant. Arcem in littore cõdere incipiunt, & in valle quadam vberis soli, cùm alioquì sit regio sterilis, sementes more patrio iecerunt. Rebus ità se habentibus in Beragua, eccè ab alta speculari rupe vnus è socijs ad Occidentem tendens oculos, lintea vela, lintea vela, proclamat. Quò propiùs vento

Miserandus Vmbriæ casus

to appellitur, ſcapham eſſe carbaſiolo erecto venientem cernit. Lęti tamen ſcapham ſuſcipiunt. Ea enim erat carauelæ Nicueſanæ piſcatoria, quinque virorũ tantùm capax: qua tum tres vehebantur, Nicueſa inconſulto, ſcapha ſuffurata, quia credere illis Nicueſa recuſâſſet, quòd Beragua eſſet ab Oriẽte à tergo relicta. Hi vidẽtes Nicueſam & ſocios paulatim eſurie conſumi, fortunam experiri ea ſcapha ſtatuerunt, an Beraguam ipſi quirent detegere. In Beraguẽſes igitur ſocios incidunt: Nicueſam referunt errare amiſſa carauela per tempeſtates, inter paludes maritimas & deſerta littora peragrare, omnium rerum egentem, calamitoſum, qui ſeptuageſimum ampliùs iam diem traheret herbarum aut radicum eſcis, aut patrię fructibus raro, cõtentus potabili aqua, ſæpè deficiente: quia inſtaret ad Occidentem pedibus tendere, Beraguam animo geſtãs. Tractum eum Colonus, eius tam vaſtę terrę primus repertor, percurrerat, & Gratia Dei nomen indiderat, incolarum appellatione Cerabaro. Interluit regionem fluuius, à noſtris ſancti Matthæi appellatus, à Beragua occidẽtali millia paſſuum circiter centum triginta. Huius fluminis & locorum plurium patriam prætereo appellationẽ, quia ignorant eorum nomina, qui ad nos redeunt. Eò triũ nautarũ relatu Lupus de Olano, vnius è duabus Nicueſæ nauibus ductor, tunc etiam proprætor, vnum miſit bergantinum, ducibus nautis aduectis ſcapha. Nicueſam reperiũt. Aduectus Nicueſa, Olanum electum gubernatorem, donèc ipſe aduentaret, in carcerẽ & vincula compegit, proditionis accuſans, quòd ſibi gubernatoris authoritatem induiſſet, & imperandi dulcedine pellectus, minimè fuerit de ipſius erroribus ſolicitus,

Nicueſa calamitas.

negligẽterq́ se habuerit, inueſtigãdo quid ipſum tanto tempore moraretur. Primarios omnes perturbato animo alloquebatur: & intra dies paucos, vt ſarcinulas colligerẽt omnes, ſi quas habebãt, imperat. Expectaret parumpèr æquo animo, rogant, donèc ſementes quas ipſimet iecerãt, metantur, quæ iam propè maturuerãt: nam quarto quoq; menſe à iacto ſemine matureſcunt. Se nolle quicquam expectare proclamat. Ilicò, inquit, à tellure tã malè fortunata diſcedẽdũ fore. Eruit ex ſinu Beraguenſi quicquid aduectum erat. Ad Orientẽ vela dirigi iubet. Ad milliaria ſexdecim, Gregorius quidã iuuenis Ianuẽſis, Coloni primi repertoris à teneris famulus, portũ ibì eſſe vicinum recognouit: ſocijs quibus ſe vera dicere probabat, ſigna dedit: in arena ſemiobrutam ancorã ex naui amiſſa, ſubq́; arbore portui proxima, fontem liquidũ ſe reperturos enũciat. Terrã prehendunt. Ancora & fonte repertis, ab ingenio & memoria Gregorium cõmendant, quòd eius rei ſolus è multis nautis, qui littora illa cum Colono percurrerant, reminiſceretur. Portũ Bellum Colonus appellauerat. Cùm ex itinere pleriſq; in locis vrgente fame deſcẽderent è nauibus, ab incolis malè excipiebantur. Ex egeſtate tanta noſtros inuaſerat hebetudo, vt arma capere in quenquã, licèt nudum, reſiſtentem nequirent. Viginti homines ꝓpterea venenatis percuſſos ſagittis amiſerant. In Portu Bello, fuit conſilium, dimidiam ſociorum partem relinquere: reliquam Nicueſa traducit Orientem verſùs: vbì ad milliaria octo & viginti à Portu Bello, ſtatuit arcem condere in littore apud promontoriũ, olìm à Colono Marmor appellatum. Sed nemini vires ad laborem illum ob eſuriem ſuppetebant. Turriculã tamen ad pri-

ad primos incolarum impetus ſuſtinēdos erexit, quam Nomen Dei appellauit. Ex quo Beraguam reliquit, tum in itinere inter arenoſas planities, tum egeſtate dum turrim ædificaret, è paucis ſuperſtitibus ducentos amiſit. Ità paulatìm conſumpta eſt ſeptingentorum octogintaquinq; virorum multitudo, ad vix centum iam reducta.

Dum Nicueſa cum paucis illis miſerrimis hominum viueret, exorta eſt inter Vrabenſes de principatu contentio. Vaſchus Nunnez Halboa quidam, omniū iudicio magìs armis, quàm conſilio confiſus, manu promptos in Anciſum prætorem concitauit, inquiens, Anciſum literas regias, prætoriam poteſtatem annuentes, minimè habere: nec ſatìs eſſe, quòd à Fogeda fuerit authoritate gubernatoria electus. Vetuit igitur, nè ius prætorium exerceret Anciſus: & quoſdā inter ſe viros Vrabenſes ſtatuerunt, quorum conſilio regerentur. Quarè in factiones diuiſi, non redeunte duce ſuo Fogeda, quem ſagittæ veneno iam perîſſe arbitrabantur, an accerſendus eſſet eius loco Nicueſa, nec'ne, inuicèm contendebant. Qui magìs conſilio valebant, & Nicueſæ familiares fuerant, quíque Vaſchi Nunnez inſolentiam ferre nequibant, Nicueſam debere quæri per ea vniuerſa littora cenſebant. Intellexerant enim, ex Beragua ob terræ ſterilitatem diſceſsiſſe: poſſeq; ipſum Anciſi exemplo, & aliorum qui naufragati fuerant, in ſeceſſu aliquo oberrare: neque eſſe animo quieſcendum, donèc apertè intelligatur, viuat'ne cum ſocijs, an obierit. Vaſchus autem Nunnez veritus, nè aduenīēte Nicueſa, imperio in ſocios exueretur, inſanos appellabat eos, qui putarent Nicueſam viuere: &, ſi viueret, opera Nicueſæ ipſos non indigere.

Aſſere-

Afferebat enim, neminem ex ſocijs eſſe, qui nō ſit æquè imperio aptus, atquè Nicueſa. Dum ità in contrarijs verſaretur ſtudijs, eccè duarum nauium grandiorum ductorem Rodericum Enriquum Colmenarem cum ſexaginta viris recentibus, & commeatuum tam ad victū quàm ad veſtitum copia. De huius Colmenaris nauigatione, animus eſt, pleraque referre. Ex Beata portu Hiſpaniolæ, vbi ad has terras traiecturi ſe inſtruunt, Colmenares iſte diſceſsit circiter idus Octobris anni milleſimi quingenteſimi decimi. Præhendit autem terram in Nonis Nouembris in vaſta Pariæ regiuncula à Colono reperta, inter portum Carthaginis & regionem Cuchibacōā. Paſſus eſt inter nauigandū tum ab incolis, tum à maris ira, incommoda nō mediocria. Aqua potabili deficiente, naues applicat ad fluminis oſtiū ſuſcipiendis nauibus aptum, incolarum appellatione Gaira. Defluebat autē Gaira ex alto niuali monte, quo altiorem nemo ex ducis Roderici comitibus aiebat ſe vidiſſe vnquàm. Neq; aliter putandum eſt, ſi niuibus albeſcebat in ea regione, quæ intra decimum gradum diſtat ab æquinoctiali linea. In Gairæ igitur fluminis ripa ad implendos cados lintrem ſeruitoriam demittit. Dum haurire aquam inciperent è ſcapha, eccè regulum veſtibus amictum goſſampinis, cum ſocijs palatinis viginti, inſuetū viſu, lęna illi pendebat ab humeris cubito tenus, à cingulo verò demiſſa: veſtis alia talaris fœmineum æmulabatur ornatum. Accedens regulus, amicè viſus eſt monere noſtros, nè indè aquam ſumerent, quòd noxia eſſet hominibus: oſtenditq; proximè labi fluuiū aliū, aquæ ſalubrioris ductorem. Monſtratum à regulo fluuium adeunt. Fundum tentare nitētes, tempeſtate

Colmenaris nauigatio.

Veſtitus regius.

pestate prohibentur: ebullientes etiam arenæ, vadosum esse ibì mare indicabant. Coacti sunt igitur ad primum redire fluuium, iaciendis ancoris tutũ. Struxit Cacicus ille nostris insidias adeuntibus. Attentos nanq; cadis implendis, cum armatis more suo, nostrorum iudicio septingentis, licèt nudis aliâs, (soli nanque regulus & palatini eius amiciuntur) nostros perturbat: lintrem raptat, & in assulas confringit. Sagittis vno ictu oculi, septem & quadraginta è nostris, priusquàm scutis se contegere quiuerint, transuerberauerunt, è quibus vnus tantùm euasit: cæteri atrocitate veneni periêre ilicò. Neque enim remedia contra id veneni genus adhuc intelligebant, vtì posteà ab insularibus Hispaniolæ didicerunt. Herbã nanq; gignit Hispaniola, huius herbæ virus extinguentem, modò properè succurratur. Seruati sunt & alij septem, elapsi intra magnę arboris corrosum vetustate sinum, ad noctem vsque ibì latitantes: sed minimè vitauerunt hostium manus. Noctù nanque, illis relictis, nauis discessit. De his nulla vlterior mẽtio habita est. Età per multa huiusmodi discrimina, quæ, nè sim, minuta recensendo, tuæ Sanctitati fastidiosus, prætereo. Vrabæ tandèm sinum assecutus est. In orientali eius latere sterili iecit ancoras: vndè paucis antè diebus ad occidentale fortunatius nostri transmigrauerãt. Admiratus locorum silentium, ibì nanque socios se reperturum putârat: quid rei hoc sit, non intelligit, viuant ne, an locum mutauerint, ambigens. Salubre ad rem consilium amplexus est: æneas balistas & pulueraria quæcunq; tormenta nauibus gestabat, globis & puluere farciri, flammasq; per cacumina rupium accẽdi noctù iubet. Igne supposito vniuersa simul tormenta quatiũt:

tonitri.

tonitribus & mugitu horrẽdo sinus Vrabensis intremuit: licèt millia passuũ quatuor & viginti distarent, (Ea est enim sinûs Vrabensis latitudo) exauditur tamen à socijs: & flammis aduentantium sociorum, Darienenses mutuis respondent flammis. Quarè flammarum respondentium ductu, ad occidentale latus Colmenares traducit naues. Aerumnosi Darienẽses, qui iam vix animam egestate lassam dentibus retinebant, ob Ancisi prætoris naufragium, protentis in cælum manibus, obortis præ lætitia simul & mœrore lachrymis, eo plausu, quẽ tanta necessitas expostulabat, Rodericũ & socios ad se venientes suscipiunt. Commeatibus & indumentis (erant enim penè nudi) abundè fruuntur. Restat, beatissime Pater, vt, quid Vrabensium dissidia de principatu, ducibus amissis, pepererint, edisseramus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis secundæ, Putati continentis liber tertius.


RIMORES Vrabenses omnes, & qui consilio magìs pollebant, accersendum esse quoquo modo Nicuesam, sicubì reperiatur, censent. Ab Ancisо prætore, renuẽte aduentum Nicuesæ, bergantinũ quem ipse propria impensa construi fecerat, abripiunt: & contra ipsius Ancisi voluntatẽ ac Vaschi Núnnez gladiatoris iudicium, statuunt, vt Nicuesa quæratur, ad inuidiam

diam de principatu inter se tollẽdam. Colmenari ergò, de quo suprà mentionem fecimus, negociũ dant, vt Nicuesam quæritet per ea littora, vti suspicabantur, errantẽ. Audierant nanq; deseruïsse Beraguam, telluris infœcundæ regionem. Dantq; in mandatis, vt repertum aduehat: spem rei benè gerendæ illi præbeat, si ad tollẽdas inter eos coalescentes iam seditiones venerit. Prouinciam sumit Colmenares, quia Nicuesæ deuinctus esset amicitia: nec se minùs, vt Nicuesæ succurreret cũ suis commeatibus, quàm Vrabẽsibus, venisse fateretur. Vnam igitur è suis nauibus quas aduexerat, & ablatum Anciso prætori bergãtinum, cum parte commeatuum, quos importauerat, instruxit. Vniuersa circùm vicina littora peragrãs, ædificantem turrim ad Marmor promontorium Nicuesam tandèm reperit, viuentium omnium infelicissimum, suprema macie confectum, squalore obsitum, vnà cum sexaginta tantummodò socijs, ex septingẽtorum ampliùs numero superstitibus: adeò vt nil minùs illorum misereretur, quàm si mortuos offendisset. Nicuesam amicum Colmenares recreat, lachrymis & blandis sermonibus solatur: ampla spe melioris successûs, & mutãdę fortunę Nicuesam replet. A bonis omnibus Vrabensibus aduẽtum eius desiderari arguit: quòd sperẽt eius authoritate sedatum iri discordias inter eos exortas. Colmenari amico Nicuesa gratias agit, quales tãta calamitas exigebat. Mare vnà cõscendunt, Vrabam versùs proficiscuntur. Veteri solent homines naturæ instituto, ex lætis fortunæ successibus insolescere. Post lachrymas, post fletus, & varios de infelici fato suo conquestus, post gratiarũ actiones, prouolutus ad pedes Roderici Colmenaris seruatoris sui Nicuesa, fame iam

iam domo expulsa, cœpit obloqui, priusquàm Vrabenses viseret, de mutando rerũ statu in Vraba, deq; auro demendo cunctis: inquiens, nequiuisse quẽquam, se aut Fogeda collega suo inconsultis, auro manũ imponere. Hæc huiusmodi dicta ad Vrabensiũ aures delata, Ancisi pretoris pro Fogeda, & Vaschi Nunnez partis aduersæ suscitatorios animos in Nicuesam cõcitârunt. Adeuntẽ reijciunt, vel, vt alij referunt, posteaq̃ in terram descenderat cum sexaginta socijs, vt indè abiret, minis etiam additis, coëgerũt. Bonis omnibus id minimè placuit. Sed populi tumultum veriti, quem Vaschus Nunnez excitabat, rem iniquam passi sunt. In bergantinum igitur, quem ipse miser aduexerat, cum septendecim tantùm ex sexaginta superstitibus trudunt. In calẽdis Martijs anni millesimi quingentesimi vndecimi infelix Nicuesa màre cõscendit, iturus ad Hispaniolam, conquestum de Vaschi Nunnez temeritate, atq; illata vi per Ancisum prætorẽ in ipsum. Hora infausta bergantinum conscendit; nusq̃ apparuit vltrà. Summersos omnes & bergantinum ipsum, arbitrãtur. Id vtcunquè feratur, Nicuesa ex ærumna præceps in ærumnam cadens, vitam finiuit ærumnosiùs, quàm vixerit. Turpiter eiecto Nicuesa, consumptisq; quos Colmenares importauerat cõmeatibus, fame rabidi, vtì è syluis lupi rapaces, coguntur viciniam perturbare. Duce Vascho Nunnez circiter centum triginta viri cõueniũt. Vaschus aciẽ suo more gladiatorio instruit; folle tumidior, præstites substitesq; sibi ac tergiductores ad libitum elegit. Comitem & collegã ducit secum Colmenarem. Exit, rapturus à finitimis regulis quicquid fiet obuium. Regionem per id littus, nomine Coibam, de qua mẽtionem aliâs

aliâs fecimus, adit. Caretam eius regulum, à quo nil vnquàm aduersi passi fuerant transeuntes, appellat: imperiosè truciq́ue vultu petit præberi aduenientibus cibaria. Careta regulus posse illis aliquid impartiri negat: se transeuntibus Christianis succurrisse sæpenumerò, vndè penu habeat exhaustū, docet. Ex dissidijs prætereà & simultatibus, quas exercuit ab ineunte sua ætate cum finitimo regulo, qui Poncha dicitur, laborare domum suā rerum penuria. Nil horū admittit Vaschus gladiator: miserum Caretā, spoliato eius vico, vinctū iubet duci ad Darienē cum duabus vxoribus & filijs, vniuersaq́ue familia. Apud Caretam regulū repererunt tres è socijs Nicuesæ, qui, Nicuesa prætereunte vt Beraguam quæreret, iudiciū ex malè factis timentes, aufugerant è nauibus in ancoris stantibus: classe verò abeunte, Caretæ regulo se crediderunt. Careta hos tractauit amicissimè. Agebatur iam mensis duodeuigesimus, prptereà & nudos reperêre penitùs, vtì reliquos incolas, & saginatos vtì capones, manu fœminea domì depastos in obscuro. Obsonia dapesq́ue regias fuisse sibi illo tempore incolarum cibaria visa sunt: quod sine mei tuiq́ue, sine cede, non cedā, cōtentione vixerint: quæ duo trahunt, cogunt & raptant homines, vt viuendo minimè viuant. Ad pristinas tamen curas redire elegerunt. Ex Caretę vico ad præsentem famem propulsandam, non autē ad necessitatē penitùs tollendā, cibaria detulerūt ad socios in Dariene relictos. An post hæc, an priùs id acciderit, non apertè intelligo. Scio tamen post Nicuesam eiectum, in Ancisum prætorē occasiones fuisse per Vaschum & factionarios eius quęsitas. Captus est Ancisus & cōiectus in vincula, bonaq́ue illius fisco addicta: cau-

ſa ſuſcepta, quòd à Fogeda tantùm, quẽ iam vita functum aiebant, non à rege, literas prætorias haberet: ſeq́ꝫ, inquit, nolle cuiquam parére, qui ab ipſo rege per proprium diploma poteſtatem non habeat. Bonorum tamẽ rogatu flexit animum, & mitiùs egit bonus digladiator, ſtigmati pepercit. Anciſum ſolui iuſsit: qui liber nauim ipſe libens conſcendit, vt indè abiret ad Hiſpaniolã. Priusq̃ vela daret, boni omnes ad eum ſupplices iuerũt, vt è naui deſcenderet, ab eo petunt, ſeq́ꝫ daturos operam pollicentur, vt Vaſcho reconciliato, integra illi prætoria authoritas reſtituatur. Recuſâſſe fertur Anciſus, diſceſsitq́ꝫ. Nec deſunt, qui ſub lingua immurmurent, voluiſſe Deum & cælites in Anciſum iſta patrari, in eiecti eius conſilio Nicueſæ vindictam. Vtcunquè fit, nouarũ terrarum veſtigatores ruũt in præceps, & ſeipſos conficiunt inteſtinis odijs, neq́ꝫ inuigilãt, vt par eſſet, tantæ rei inuento. Statuũt intereà omnes vna ſententia, mittendos eſſe ad Hiſpaniolam ad Almirantum ſiue Archithalaſſum, iuuenẽ, Coloni primi repertoris hæredem filiũ, in Hiſpaniola proregem, & ad reliquos inſulæ gubernatores, à quibus nouæ terræ auxilia & leges recipiunt, qui ſignificent de ſtatu rerum, & quanta anguſtia laborent, quid've repererint, quid ſperetur, ſi commeatibus ſuccurrant egentibus. Ad id, volente Vaſcho Nunnez, eligitur è factionarijs eius Valdiuia quidam nomine, proceſſu in Anciſum ſuo inſultorio iure formato. Additur & illi collega homo Cantaber quidam Zamudius. Vt Valdiuia ex Hiſpaniola redeat cum commeatibus, expoſitis mãdatis, & Zamudius in Hiſpaniam ad regem ſe conferat, edicitur. Diſcedunt ambo vnà cum Anciſo, aliter quæ acciderint, regi quàm Valdi-

uia

uia vel Zamudius, relaturo. Et Ancisus & Zamudius me domi in curia conuenerũt. Quæ mecum egerint, alibi dicẽtur. Dum in his versantur, miseri Darienenses Caretam regulum Coibensem soluunt, statuto fœdere de bello gerendo, nostris auxiliantibus, contra Poncham Caretæ finitimum hostem intra continentẽ regulum. Trãsituris Careta pollicetur se necessaria prębiturum, præsentemq́; cum sua familia & armis futurum in bello. Sunt autem ipsorum arma, non arcus, non sagittæ venenatæ, vti habere indigenas illos trans sinum orientales diximus. Comminùs hi certant vtplurimùm, ensibus oblongis, quos macanas ipsi appellant, ligneis tamẽ, quia ferrum non assequũtur: & præustis sudibus, aut osseis cuspidibus, missilibus etiam ad prælium vtuntur. Sementibus ergò iactis, quãmaximas iacere potuerunt, itur ad Ponchã, duce causasq́; primas agẽte Careta. Post aliquot à pacto fœdere mẽses, vt serendi metendiq́; Caretæ ruricolis copia daretur, Ponchæ regiã adoriuntur: aufugit Poncha: vicũ & vniuersa diripiunt: bonis Ponchæ, famẽ propulsant. Sed minimè socijs ob locorũ distãtiam, illis bonis, licèt multa repererint, succurrere potuerunt. Distabat nanq; regia Ponchæ à Dariene millia passuum centũ ampliùs, & humeris portanda erãt ad maximè distans littus, vbi nauigia, quibus aduecti erant ad Caretæ vicum, reliquerãt. Auri libras aliquot reperêre cælatas in diuersa monilia. Redeũt ergò ad naues, deleto Põcha: reges internos relicturi, maritimos autẽ infestare cõstituunt. Est nõ longè à Coiba in eádem ora regio, cui nomẽ Comogra, regulusq́; illius Comogrus. Hunc post Poncham deletum adeunt. Comogri regiam in aduersa montium vicinorum

radice sitam, vberi duodecim lequarum planitie celebrem, repererunt. Ad Comogrum affinis & primarius Caretæ palatinus, ex dissidio cum Careta, se receperat. Appellat hos lingua eorũ Iurá. Sese medium dedit Iurá Coibensis, & Comogrũ nostris conciliauit, quia nostris erat à trãsitu Nicuesæ notissimus: tresq́ illos trãsfugas domi Iurá hic habuisse in honore toto eo tẽpore ferebatur. Pacatò igitur nostri Comogri regiã adiêrũt, quæ distabat ab Dariene lequas triginta itinere peruio: circuire nanq́ mõtes medij cogunt euntes. Septem habere filios egregia forma iuuenes & adolescentes ex varijs vxoribus Comogrum cõperêre, licèt nudos. Atrium autẽ ex sublicibus trabibus inter se cõnexis, roborosa miris modis structura cõstare aiũt: lapideis mœnibus nihilominùs valida. Longitudinem dimensi passuũ centum quinquaginta, latitudinẽ verò pedum octoginta, in vacuo dinumerârũt: laquearibus & pauimentis arte eximia laboratis. Penuariam verò cellam reperêre refertam dapibus patrijs omnifariàm. Vinariã autem dolijs fictilibus & ligneis cupis munitã, Hispano vel Italo more, optimisq́ vinis, licèt non ex vuis, repletam. Neq́ enim vites habẽt. At ex tribus illis radicum & granorum ad conficiendum panem generibus, quæ Iucca, Ages, & Mais, diximus in nostra decade appellari: & ex palmarum fructibus vina conficiunt: vtì Germanos, Belgas, Britannos, montanos etiã nostros Hispanos, putà Vascones & Astures, & in alpibus Noricos, Sueuos & Heluetios ex hordeo, triticoq́ & pomis alicam conficere audiuimus. Alba, nigra etiam, variorumq́ saporum, & mulsum pleraque imitantia, apud Comogrum se potâsse vina dictitant. Audi, summe Pontifex, audi aliud

aliud mõstrosum spectaculum. Huius reguli penetrale ingressi, cameram reperiunt pẽsilibus repletam cadaueribus, gossampinis funibus appẽsis. Interrogati, quid sibi vellet ea superstitio: parentum esse & auorum atauorumq́ꝫ Comogri reguli ea cadauera, inquiunt. De quibus seruandis maximam esse apud eos curam, & pro religione eam pietatem haberi recensent: pro cuiusqꝫ gradu indumenta cuiqꝫ cadaueri imposita, auro gemmisq́ꝫ superintexta. Penates sic colebat antiquitas, summe Pontifex. Quo verò pacto cadauera illa cratibus desiccent, ità vt sola restet cutis tanquàm ossium retinaculum, igne lento supposito, in decade descripsimus. Ex septem Comogri filijs ætate grandior, mira pollebat natiua sapientia. Blandiendum esse hominibus ijs vagis intellexit, dandamq́ꝫ operam, nè causas nanciscantur, quibus in se domumq́ꝫ suam, vtì in cæteros conterminos, sæuire queant. Ad Vaschum & Colmenarem primarios, quatuor auri affabrè laborati drachmarum millia, septuaginta etiam mãcipia, dono misit. Se nanque inuicèm capiunt, ac vendunt, rerum vsui vel appetitui suo consonarum permutatione: pecunias quidem nesciũt. Aurum illud tantundemq́ꝫ alibi congestum vnà librabãt in Comogri vestibulo nostri, vt regio fisco quinta pars debita secerneretur. Est nanqꝫ id ordinarium in ijs regnis decretum, vt ex auro argento´ve ac gemmis, quæstoribus regijs assignetur quinta. Reliquũ inter se ex cõposito diuidunt. Exortę sunt in auro diuidendo inter nostros rixæ. Aderat Comogri filius prudens ille primarius, qui accedẽs librales lances pugno excussit rigido, & aurũ quodcũqꝫ inerat, ꝑ vestibulũ dispersit: iurgijs nostros insectãdo, elegãter in hãc sentẽtiã disseruit:

Religionis ergô maiorum cadauera exiccata in ædibus cõseruant.

K 3 Quid

Hominis barbari & iuueni: prudẽtissima oratio.

Quid hoc rei est, viri Christiani? adeò exiguã auri copiã, tanti facitis? quam tamẽ vultis ex pulchrè fabrefactis monilibus in rudes vectes conflare. (Secum nanq; conflatoria instrumenta portabãt.) Si auri est vestra fames tanta, vt illius causa tot quietas gẽtes perturbetis, calamitates & incõmoda perferendo, per vniuersum è patrijs regionibus extorres: regionem affluentẽ auro vobis ostendã, ex qua poteritis auri sitim istam explere. Sed maioribus vos oportet copijs rem aggredi: vobis nanq; necessè est potẽtes reges, patriꝫ ditionis acerrimos defensores, armorũ vi debellare. Præter cæteros, sese vobis obijciet Tumanama rex, cuius regnum est auro reliquis fortunatius, à nobis distans soles tantùm sex: à sole nanque dies computant. Medios preꝫtereà montes Caribes, genus hominum ferox, humanarũ carnium edax, sine legibus, sine imperio, vagum, occupant. Oppressis nanq; montiũ habitatoribus, aurifodinarum, quæ scatent in ijs mõtibus, cupiditate raptati, proprias & ipsi sedes deseruêre. Eo enim auro, quod ipsi miserorũ monticolarum lacertis effodiunt, in laboratas laminas & varias imagines has & huiuscemodi alias effigiato, quicquid appetũt, assequuntur. Fabros nanq; & ipsi aurarios habẽt, qui monilibus formandis inuigilant: rude siquidem aurum nos non maioris facimus, quàm luteos globos, priusquàm opificum dextra fabrefacti prodeant in fictile vas aliquod, nobis gratum aut necessarium. Fictilia & ipsi habent nõ incultè formata. Hæc nos ab illis nostrorũ prouentuum (putà mãcipiorum in bello, profligatis hostibus, captorum, quæ coëmunt edẽda, lodicumq; & supellectilium ad domorum ornatũ) permutatione comparamus. Esculenta quoq; illis nos preꝫbemus,

Artem, nõ aurũ, æstimant.

mus, quibus ipsi carent: quippe qui montes incolunt. Armis igitur est hoc mõtanum iter aperiendum. Hos montes (indice digito montes australes monstrabat) traijciendo, mare aliud è promontorijs despectare licebit, qđ nauigijs velificatur nihilo vestris minoribus, (& carauelas insinuabat) licèt & illi nudi agant more nostro, velis tamen & remis vtuntur. Ab aquarum è mõtibus diuortio, latus illud vniuersum ad austrum spectans, aurum gignit affluenter.

Hęc ille, & vnà insinuabat escaria vasa, cęteraq; vtensilia regẽ Tumanamã cismontanum & transmontanos oẽs ex auro habere formata: aiebatq; nõ minorem esse apud australes illos auri copiã, quàm apud nos ferri. Ex qua nanq; materia nostri enses & reliqua tela conficiãt, intelligebat relatu nostrorũ. Duces nostri iuuenis nudi orationem admirati, (interpretes enim habebãt tres illos saginatos, qui sesquiannum inter Caretæ familiares versati fuerant) animos ad eius dicta erexerunt: & auri è lancibus libralibus discussi temeritatem, in facetias & vrbanitatem conuerterunt, commendantq; illius & facta & exposita. Sed quibus argumentis innixus ista ferat, amicè interrogant: quid've faciendum censeat, si plures copiæ venerint. Ad hæc iuuenis Comogreus idiomate patrio, in se parumpèr receptus, vti orator qui se ad aliquid graue differendum accingit, & corpus ad motus persuasioni necessarios disponit, in hãc repetijt sententiam:

Attẽdite viri Christiani: Licèt nos hoĩes nudos auri cupiditas haudquaq̃ exagitet, ambitione tamẽ, imperij causa, nos bellis inuicèm cõficimus, & vicinis p̃cellere nostris cupimus. Hinc pullulant inter nos dissidia, hinc nostra pernicies. Bella

gessêre Maiores nostri, gessit & genitor Comogrus cum finitimis regibus, in quibus & vicimus, & victi fuimus. Sicutì ex stratis hostibus apud nos mancipia cernitis, ex quibus septuaginta vobis dono dedi: haud secùs nobis profligatis, è nostris hostes captiuos duxerunt aliquandò. Bellorum nanque vices hæ sunt. Ex familiaribus nostris, qui apud eos mancipium egérunt, eccè vnum qui apud transmontanum regulum, & eius regionis transmontanæ, quæ magìs auro scatet, dominum longo tempore vinctus sub seruili ferula vitam duxit infelicem. Ab hoc, & innumeris alijs huiuscemodi, à liberis etiam hominibus ab illis ad nos, & econuersò amicè traijcientibus hæc nobis ab immortali memoria proprijs facultatibus notiora sunt. Attamen quo certiùs vobis ista referri sciatis, nè falli suspicemini, me duce vincto, testeque parato ad supplicium, rem aggrediemini: vt me ex arbore vicina suspendatis, si differre à meis dictis vel puncto intellexeritis. Accite igitur, accite mille Christianos ad bella paratos, quorũ robore possimus, vnà cum Comogri genitoris mei nostro more bellatoribus, hostium vires cõfringere. Id vobis auri copiam optatã præbebit. Nos autem in ducatûs & auxilij præmiũ, ab hostium nostrorum iniurijs & formidine perpetua, qua concepta malè pacati viuimus, liberabitis. His dictis, prudens iuuenis Comogreus conticuit: nostri verò saliuam deglutire mercurialem, ampla spe auri, iteratò cœperunt.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis secundæ, Putati continentis liber quartus.



Aucos indè dies ibì commorati, Comogro sub nomine Caroli, ob Hispaniarum principem, baptizato cum eius familia, redeūt ad socios Darienenses, relicta Comogro spe de militibus à filio petítis, quibus tutò queant ad australe pelagus montes superare. Vicum quem habitandum elegerunt, ingressi, rediisse Valdiuiam post semestre à suo discessu, intellexerunt: sed cùm parua commeatuum copia, quia paruum aduexerat nauigium: spe tamen ampla de mittēdis propediè̀m & commeatuum & recentium virorum auxilijs. Almirantus prorex & reliqui Hispaniolæ gubernatores, se nullam habuisse hactenùs curam de Dariensibus fatentur, quòd Ancisum prætorem cum sua naui onusta incolumem fuisse appulsum arbitrarentur: bono sint animo in posterum, hortantur, se nulla in re defuturos: ad præsens nullam habere nauim, qua plura Valdiuiæ queant præbere de necessarijs, inquiunt. Neque erat carauela, quam ipse aduexerat, capacior. Erat nanque licèt nomine Carauela ob formam, exiguum tamen nauigium. Quarè ad præsentem tātùm necessitatem parumpèr moderandam, non ad egestatem tollendam, commeatus attulit Valdiuia. Post paucos igitur dies à Valdiuiæ regressu, iisdē angebantur angustijs: præsertìm quia veniens ex altis montibus turbo cum fulgoribus & tonitru-

is horrendis, menſe Nouembri, tantā aquarum attulit alluuiem, vt ſegetes omnes, quas in ſolo benè fortunato, Septembri menſe, priuſquàm ad Comogrum regulum proficiſcerentur, ſatas reliquerant, abſtulerit partìm, partìm ſuffocauerit. Erant ſementes illæ paniceæ, quod grani genus Hiſpaniola maíſum, Vraba hobbā appellat: quas diximus quotannìs ter matureſcere, quia regiones illę horrore hyemali minimè grauantur, ob viciniam ad æquinoctialem lineam. Ex hobba ſiue maíſo panem eſſe triticeo regiones illas incolentibus ſalubriorem, quòd faciliùs concoquatur, conſonat phyſicæ rationi. Deficiente nanque frigore, ab extremis ad præcordia calores minimè pelluntur. Fruſtrati ergò ſpe ſuarum ſegetū, & vicinis Regulis iam & commeatibus & auro expilatis, quærere cibum à diſtantibus coguntur: & vnà ſignificare gubernatoribus Hiſpaniolæ, quanta egeſtate vrgeantur, quæ've apud Comogrum de auſtrali plaga intellexerint: quô ſit regi cura de mittendis mille illis armatis, quorū dextra, ſi pacatò nequiuerint, peruios liceat facere montes vtrunq; mare interſecantes. Mittitur cum mandatis idem Valdiuia, cui præbendas quæſtoribus regijs in Hiſpaniola ſedē habētibus, octunciales tercentum libras ex quinta, regio fiſco debita, crediderunt. Eam libram Hiſpanus marchum appellat: quam quinquaginta nummi aurei, caſtellani nuncupati, complent. Caſtellani pondus, peſum dicunt. Quindecim ergò millium caſtellanorum, ſummam dicimus eam fuiſſe. Eſt verò caſtellanus nummus, paulò minùs triente, ducatum aureum ſuperans, prouinciæ peculiaris moneta, quæ nullibì præterquàm in Caſtella cuditur. Cōſtat, ex ea ſumma libras mille quin-

quingentas octunciales à Regulis assecutos fuisse. Quod vniuersum in diuersa conflatũ vel diductũ monilia, putà torques collis, armillas brachijs, & bullas pectoribus imponẽdas, laminulas etiã auribus & naribus affigendas repererant. Mare igitur Valdiuia conscendit ea carauelula, qua venerat, redierátq; aliâs, tertio idus Ianuarij, anni iam MDXI ab aduentu Domini, cum mandatis ad Vaschi Nunnez arbitriũ, & ea quã retulimus auri summa regijs præbenda quæstoribus, & ex amicis portanda in Hispaniam ad affines & cognatos, quã quisq; optauisset. Quid Valdiuiæ inter nauigandũ acciderit, suo loco dicemus: ad permanentes in Vraba redeamus. Hi dimisso Valdiuia, rabida fame stimulati, statuunt eius sinûs intima vestigare per diuersa. Est ab ostio sinûs eiusdem extremus angulus, distans milliaria circiter octoginta: angulũ illũ appellârũt Hispani Culatam. Angulũ prehendit Vaschus ipse cum centũ hominibus, vectis per sinũ vno bergantino & monoxylis prouincialibus quibusdã, quas diximus Canóas ab insularibus Hispaniolis appellari, ab Vrabensibus Vrú. In sinum ex angulo fluuius cadit, ab Oriente labens, Dariene decuplo maior, aduerso fluuio millia passuum triginta, aiunt nanq; ipsi lequas nouem ampliùs, sed in dextram conuersi ad meridiẽ, incolarũ pagos offendunt, quorũ regulus Dabáiba nuncupatur: vtì cacicũ Hispaniola, ij Chebí vltima acuta appellãt. Ad Dabáibam se recepisse Cemacchum Darienis regulum, à nostris in prælio profligatum, intellexerunt. Aufugit Dabáiba. Putatur à Cemaccho monitus, nè nostrorum impetũ opperiretur. Deserta omnia reliquit. Arcuum tamen & sagittarũ aceruos, supel-

pellectilia etiam & retia, piscatoriásque scaphas plures repererunt. Lacunosa nanque palustriaque loca illa, neque iaciendis sementibus aut arborum plantationi apta esse cognouerunt. Propterea exiguam eorum quæ affectabant, cibariorum scilicet, copiam consecuti sunt: quia pisciũ permutatione à finitimis panem ad propriã tantùm indigentiam ij piscatores comparant. Auri autem cælati millia castellanorum septẽ, ex desertis domibus habuerunt. E monoxylis, quædam: ex arcubus, centum: ex sagittis, fasces aliquot: ex supellectilibus, cuncta. De prouincialibus vru, id est, lintribus, duas abduxerunt. Ex eius fluminis paludibus vespertiliones inquiunt prodire noctù, turturibus nõ minores, morsu lethali nostros infestantes. Id aliqui ex ijs, qui morsus experti sunt, testantur. Ancisus prætor eiectus, interroganti mihi de vespertilionũ venenato morsu, retulit se fuisse inter dormiendum à vespertilione demorsum in talo pedis, æstate ob calorem detecti: nec magìs nocuisse, quàm si alterius animalis non venenosi dentibus læsus fuisset. Dicunt alij, venenosum esse morsum: sed aqua marina ilicò lotum, curari. Retulit etiam Ancisus, mederi aqua marina & igneis cauterijs, simul vulnerato ab incolis venenata sagitta: seque id in regione Caribana, vbì plures ex suis percussi fuerũt, experimento comperisse. Ex angulo igitur sinuali Vrabæ redeunt parùm contenti, quandoquidem non onusti cibarijs. Redeuntibus illis exorta est in vasto illo sinu tanta tempestas, vt supellectilia omnia, quæ à miseris piscatoribus afferebant, proijcere in pelagus fuerint coacti. Ex vru etiam, id est, lintribus, quasdam vnà cum hominibus absorpsit mare. Eodem verò tempore, quo

Vaschus

Vaſchus Nuunez tentare ſinûs angulum ad meridiem conſtituit, ex compoſito Rodericus Colmenares cum viris ſexaginta per alterius gurgitis alueum ab Oriente ad montana carpit iter. Is ab oſtio fluminis ad millia paſſuum circiter quadraginta (inquiunt nanque lequas duodecim) pagos offendit in ripa fluminis ſitos: quorum chebi, id eſt, regulus, Turui appellabatur. Apud hunc regulum adhuc morabatur Colmenares, quandò Vaſchus Nunnez poſt reditum ad Darienem, aduerſo & ipſe flumine Colmenarem adijt. Indè refecta iam eius Turui cibarijs ſociorum caterua, ſtatuunt vnà conſcendere. Ad milliaria totidem ab illis quadraginta, inſulam complectitur fluuius piſcatorum patriam. Eam, quia natiuas ibì arbores offenderint caſsiam fiſtulam gignẽtes, Canafiſtulam appellârunt. Vicos in ea ſexaginta repererunt, gregatìm caſas decem habitantes. A dextro inſulæ latere labitur alter fluuius, & ipſe ꝓuincialibus lintribus & bergantinis ſuſtinendis aptus. Riuum, Nigrum fluuium appelârunt. Ab oſtio fluminis eius ad millia paſſuum quindecim, ſparsìm reperêre vicum domorum quingentarũ ædificatum: cuius chebin, id eſt, regulum, Abenamachéiũ vocari aiunt. Domos deſeruêre oẽs, vbì primùm noſtros aduentare ſenſerũt. Sed cùm fugientes inſequerentur, mutato conſilio, reuertuntur, & irruerunt in noſtros atrocibus animis, vt qui è proprijs laribus pellebantur. Enſibus ligneis, ſudibus etiã præuſtis & haſtis teretibus oblongis, non autem ſagittis, noſtros impetunt: occidentales nanque ſinus, haudquaquàm arcubus bella gerunt. Facilè profligati miſeri nudi ſunt noſtrorum telis. Dum eos inſequerentur noſtri, regulum Abenamachéiũ & primarios quoſdã capi-

pi-

piunt. Capto regulo, pedes vnus qui vulneratus ab eo fuerat, lacertũ abſcidit vno ictu gladij, ducibus tamen inuitis. Erat ibì Chriſtianorũ numerus circiter centum quinquaginta: horum dimidiam partem ibì duces reliquerunt, ipſi verò cùm cæteris aduerſo iterùm flumine tendũt lintribus patrijs nouem, quas diximus appellari Vru. A riuo Nigro & inſula Cannafiſtula ſi milliapaſſuum ſeptuaginta, relictis à dextra læuáque pluribus in id maius cadentibus fluminibus, vnũ capiunt duce incola nudo, ducendarum per ea flumina nauium magiſtro, in cuius ripa, oſtio ipſius proxima, Abibeiba regulus incolis imperabat. Loca eſſe paluſtria cognouerunt: proptereà primarium Abibeibæ reguli atrium, in arbore ſumma ædificatum erat. Nouum & inſuetum habitandi genus. Sed adeò proceras arbores terra illa nutrit, vt inter earum ramos ædificare domos liceat indigenis: vtì de alijs apud varios legimus authores, qui æſtuante oceano, confugium habebant ad altas arbores: cùm refluente, piſcibus veſcerentur relictis. Trabibus inter ramos diſtentis & connexis inuicèm, congeriem ſtruunt contra omnem ventorum vim tutam. Putant noſtri ob fluuiorum alluuies, quæ ibì crebræ ſunt, arboreas domos incolas habere. Eſt arborum illarum altitudo tanta, quòd nulla virilis lacerti vis ſit, quæ domum ædificatam, iactu lapidis attingere ſufficiat. Nec miror quidem, ſi Plinio & authoribus alijs crediderimus de arboribus Indicîs, quas adeò proceras eſſe tradunt ob ſoli vbertatem & aquarum abundantiam, vt ſagitta nequeant ſuperari. Neque enim eius terræ campi, omnium iudicio, cedunt vbertate aut aquarum abundantia vlli telluri, quam ſol

Ingens arborum magnitudo.

ſol ambiat. Ex illis arboribus pleraſque dimenſi, brachiorum ambitu viri ſeptem interdùm octo ſtantes vix complexi ſunt. In ſolo tamen cellas habent vinarias, eo vino, de quo ſuprà diximus, refertas: quia licèt ventorum furor minimè potis ſit domos illas diruere, aut confringere ramos: conuoluitur tamen quanuìs integra, quacunquè flatus trahat: vndè vina perturbarentur eo motu. Reliqua ſecum habent in arboribus. Vina per gradus conſtructos, arbori inhærentes, famuli ad regulum & primarios prandentes aut cœnantes recentia ſupportant, non tardiore greſſu, àc pede plano noſtri pueri nobis ex abaco menſæ vicino miniſtrant. Abibeibæ arborem noſtri adeunt: colloquia ineunt, petunt noſtri, vt deſcendat dato pacis ſigno: negat Abibeiba, vt ſe viuere ſua ſorte ſinant, orat. Se poſt blanditias, diruturos arborem à radice, vel igne ſuppoſito crematuros, niſì cum omni familia deſcendat, noſtri minantur. Renuente iterùm Abibeiba, ſecuribus impactis arborem quatere incipiunt. Viſis ex arbore ſalientibus aſſulis ex ſectione, mutauit Abibeiba conſilium: deſcendit, ſed ipſe tantùm cum filijs duobus. Agunt de pace, déque auro colligendo. Se aurum non habere, inquit Abibeiba: quòd auro non indigeat, & ſe de auro nunquàm fuiſſe ſolicitum dicit. Inſtantibus, inquit Abibeiba: Si tanta eſt auri veſtra cupiditas, aurum in vicinis montibus quæritabo, & repertum ad vos feram: gignitur nanque in proximis montibus, aurum. Diem ſtatuit, quo rediturus eſſet: nec ſtatuto die, nec poſt ſtatutum regreſſus eſt Abibeiba. Diſcedunt ergò indè benè ſaturi dapibus & vino Abibeibæ, ſed minimè auro diuites, vtì putauerant. Ab Abibeiba tamen & di-

tio-

tionarijs eius ac filijs de aurifodinis & Caribibus siue Canibalibus humana carne vesci solitis, de quibus aliâs latiùs, illa eadẽ accepêre, quæ apud Comogrum regulum audiuerant. Ad millia passuum iterùm triginta circiter asscendẽtes, in Canibalium tuguria, sed vacua penitùs cuncta, inciderunt. Cùm nanque sentirent nostros viciniam perambulare, se fortunasq́ suas humeris ad montana in tutum receperant.

PETRI MARTYRIS
MEDIOLANEN. OCEANEAE
Decadis secundæ, Crediti continentis liber quintus.



NTEREA dum per fluuiorum ripas ista geruntur, ex ijs quos Vaschus & Colmenares in riuo Nigro Abenamachéij reguli ditione, reliquerant ad terræ custodiã, decurio quidam nomine Raia, siue fame cõpulsus, siue q fatalis esset ei ille dies, cum socijs nouem viciniam fuit ausus vestigare. Pagũ finitimum reguli, nomine Abraibæ, adiuit. Raiam ipsum & duos è socijs Abraibes trucidauit, cæteri aufugerunt. Post paucos indè dies affinis & vicini Abenamachéij domo expulsi, cui brachium, vt malum malo adderetur, abscidisse peditem in riuo Nigro diximus: Abraibes misertus profugi, nanque ad Abraibem Abenamachéius concesserat, Abibeibam arboreum habitatorẽ cõuenit: qui & ipse domo extorris, nostrorũ congressum vitans, per deuia montium & syluarum errabat. Abibeibam compellat Abraibes in hunc sen-

ſenſum: Quid rei hoc eſt, Abibeiba infelix? Quæ gêns hæc? proh miſeros, quæ nos tranquilla pace fruentes exagitat? Quouſque tandem patiemur horum ſæuitiam? non'ne ſatius eſt emori, quàm ea ferre, quæ tu, quæ Abenamacheius affinis noſter, quæ Cemacchus, quæ Careta, quæ Poncha, & reliqui noſtri ordinis principes ab his paſsi ſunt? Vxores, filióſque, etiam ditionarios captiuos duci, & fortunas omnes in prædam trahi ante oculos? Me nondùm attigerunt, ſed exemplo aliorũ, non longè abeſſe meam perniciem æquum eſt credere. Vires igitur noſtras & fortunã experiamur in eos, qui Abenamacheium domo expulerũt, & malè tractârunt. Irruamus: ijs trucidatis, fortè reliqui nos adoriri vltrà verebuntur: & ſi tentauerint, hos habebimus ex eorum acie detractos. Quicquid euenerit, æquanimiùs tolerãdum erit.

His & huiuſcemodi auditis, Abibeiba in Abraibę ſententiam it pedibus. Diem ad rem gerendam ſtatuunt, ſed eis minimè ſucceſsit ad votum. Ex ijs nanque, quos diximus ad Canibales vſque aſſcendiſſe, redierant ad riuum Nigrum fortefortuna ea nocte, quæ diem inſidiarum præceſſerat, viri triginta miſsi in auxilium relictorum, ſi qua vis ingrueret de qua ſuſpicabantur. Eccè vbì primùm eluxit, reguli cum ditionarijs, armatis more ſuo, quingentis pagum ſublato ingenti clamore impetunt, de recentibus, qui ea nocte venerãt, inſcij. Noſtri ſcutati ad eos prodeunt: ſagittis primò percutiunt, dehinc haſtis, & cominùs enſibus ſtrictis irruunt in aduerſos. Gens nuda plures inſpectans hoſtes, quàm ſibi perſuaſerat, facilè profligatur, trucidaturque maiori ex parte, veluti grex incompoſitus. Reguli euaſerunt. Captiuos ad Darienem mittunt, quoſcunque viuos aſſecuti

 ſunt.

ſunt. Horum opera vtuntur ad agros ſementesq́ colendas. His actis, & pacata ea prouincia, redeũt ſecundo flumine ad Darienem: relictis ibi triginta viris in prouinciæ cuſtodiam, duce Furatado quodam decurione: licèt decurioni more Romano nõ ſint addicti præcisè quindecim milites quos regat, centurioniq́ centum vigintiocto: centuriones tamen vltrò citroq́ centenarium numerũ, & vltrò citróque denum, decurionem eſt conſilium appellare. Nec enim hos ſeruant ordines Hiſpani examuſsìm: cogimúrque nomina rebus & magiſtratibus dare. Is ergò Furatadus decurio è riuo Nigro, cui præerat, viginti è ſuis ſocijs & vnã fœminam cum captiuis quatuor & viginti, vna tantùm ingenti lintre prouinciali demittebat ſecundo flumine ad Vaſchum Præfectum & ſocios. Eccè illos ex tranſuerſo quatuor vru, id eſt, monoxyla impetunt, proſternunt: neque enim parati deſcendebant per fluminis alueum, quia nil tale ſuſpicabantur. Lintrem noſtrorum inuertunt, trucidant quos aſſequi poſſunt. Cæteri obruuntur, duobus exceptis, qui ligna quædam complexi, ad ſocios vſque, ab hoſtium furore lignorum faſcibus, qui per alueum defluebant, inuoluti, deceptis hoſtibus, euaſerunt. Ab his duobus ſeruatis moniti, q̃d rei hoc ſit, ſcrutari omni ſtudio incipiunt: ſoliciti de ſeipſis, meditantesq́ ſociorum in riuo Nigro diſcrimen, nisì ſors recentes illos triginta demiſſos, nocte inſidias præcedente ad vicum appuliſſet. Concilia frequentant: in re tam dubia muſsitantes, quid cõſilij capiant, haudquaquàm occurrit. Sagaci tandèm indagine veſtigando intellexerunt, regulos quinque, putà Abibeibam paluſtris arboris incolam, Cemacchum vico, quem noſtri habitant, ſpoliatum,

tum, Abraibem & Abenamacheium affines, riui Nigri accolas, & Dabaibam piſcatorum anguli ſinualis, quem diximus Culatam appellari, dominum, de trucidandis ſtatuto die Chriſtianis conueniſſe. Et quippe ceſsiſſet, niſi vetuiſſent ſuperi. Miraculo aſſcribitur, & quidem non iniuria, ſi piè librauerimus, quonam pacto ſors regulorum conſilium patefecerit. Auditu dignum eſt, propterea rem breuibus pandam ordine ſuo. Vaſchus ille Nunnez, qui magìs vi quàm ſuffragijs principatum in Darienenſes vſurpauerat, egregius digladiator, inter multas quas rapuerat fœminas prouinciales, vnam præter cæteras habebat forma eximia. Ad eam ibat ac redibat frequens germanus eius, qui Cemaccho regulo familiaris erat palatinus: domo & ipſe priuatus patria, ſororis amore ſtimulatus, inter loquendum hæc verba protulit: Dilecta mihi ſoror, dilecta, auſculta meis dictis, & celato, quæ referam, ſi tibi mihique, vniuerſo etiam generi noſtro benè conſultum iri deſideras. Eſt horum hominum, qui nos auitis laribus propellunt, inſolentia tanta, vt nullo pacto eos ferre vltrà conſtituant terræ principes. Ducibus quinque regulis (regulos ordine ſuo nominatìm enumerauit) ad rem gerendam, centum eſſe vru paratas: mari terráque multitudo armatorum ad quinq; millia cogetur. Ad exercitũ nutriendũ cõmeatus in vico Tichiri coaceruantur. Diuiſiſſe etiã regulos inter ſe ex cõpoſito noſtrorum & capita & facultates, enarrat ſorori bonus frater. Propterea monet, vt ſtatuto die in tutum ſe recipiat, occaſionem nacta aliquã, nè in confuſo trucidetur. Neſcit nanque victor miles occurrenti cuiquam ignoſcere. Et diem cędi addictum, puellæ ſorori patefacit. Puella verò,

quia ferrum est quod fœminæ obseruant, magis quàm Catonianam grauitatem, siue quòd Vaschū amaret, siue quòd vereretur, parentum & propinquorum omnium & vniuersæ viciniæ oblita, regulorum etiam quibus gladium iugulo tenus imposuit, Vascho rem omnem aperuit, nil eorū prætermisit, quæ imprudens germanus disseruerat. Re intellecta, datur opera per Fuluiam, vt frater reuertatur. Accitus à sorore, ilicò regressus est. Capitur, fateri cogitur: Cemacchum regulum herum suum quatuor illas vru ad nostrorum perniciem misisse, Cemacchiq; consilio paratas esse insidias, apertè fatetur. Struxisse etiam Cemacchum particulatìm interitum ipsi Vascho, dato in mandatis quadraginta ditionarijs suis, quos in amicitiæ pignus ad Vaschum miserat, ad colendum Vaschi agros, serendos, more patriæ, vt marris interficerent. Solebat Vaschus adire fossores, vtì moris est bonorum œconomorum, quo animum præberet ad laborem ferendum. Ditionarij tamen heri reguli mandatum exequi haudquaquàm ausi sunt, quia nunquàm pedes aut inermis ad eos ꝓfectus esset Vaschus. Equam nanq; habebat, qua visebat agricolas, & lanceam dextra gestabat semper suo patrio more. Quarè frustratus particulari consilio Cemacchus, hoc vltimū aggressus est, sibi vniuersisque finitimis perniciosum. Coniuratione nanque patefacta, Vaschus ipse septuaginta vocat viros: se sequantur, edicit. Quò tendat, quid've statuerat, nemini palàm facit. Ad Cemacchum primò tendit, qui agebat ab ipsis millia passuum decem. Sed esse apud Dabaibam palustrem Culatæ regulum profugum intellexit. Sacchum eius, id est, primarium affinem palatinum (sic enim primarios appellant, vtì regulos

gulos chebi) cum cæteris familiaribus præhẽdit, captiuos ducit. Aliquot ibì tam mares quàm fœminas reperit. Eádem hora, qua ipſe Cemacchũ quæſiturus, pedem è terra mouit, Rodericus Colmenares, aduerſo flumine cum vru quatuor & viris ſexaginta, duce puellæ fratre, tetendit: vicũ adoritur* Tichiri appellatum, in quo diximus cogi commeatus ad alendum exercitum. Vicũ occupat: quicquid ibì coaceruatum erat, putà vini diuerſorum colorum, vtì apud Comogrum diximus, & ex omni genere panis, reliquorúmque eduliorum prouincialium, in ſuam poteſtatẽ reducit. Sacchum Tirichenſem, cuius velutì per prætorem exercitûs res patranda erat, vnà & quatuor primarios præhendit: imparatos nanque reperit. Suſpenſum ab arbore, quam ipſe coluẽrat, Sacchum ſagittis cõfigi ante oculos incolarũ, & primarios patibulis colligari, iuſsit Colmenares, ad aliorum exemplum. Hac pœna coniuratis illata, formidine tanta repleuit prouinciam vniuerſam, quòd nullus eſt iam, qui audeat erigere vel digitum contra torrentem noſtrorum iram. Pacatò iam viuunt: ſubdunt colla libentes cæteri reguli: neque vltrà ſæuitum eſt in reliquos. Ex hoſtium horreis & cellis vinarijs refertis in Tirichenſi vico, geniales egérunt dies aliquot.

* Tirichi

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

De cadis secundæ, Crediti continentis liber sextus.

POST hęc vocatis in cōcionem socijs, omniū suffragijs sancitum est, vt procurator aliquis ad Hispaniolam, vndè ius & auxilia expectant: deindè in Hispaniam ad regem mittendus deligatur: qui seriem rerum omnium Almiranto & gubernatoribus, regi deindè proponat: nitaturq; regi persuadere de mittendis mille hominibus illis quos iuuenis Comogreus ad traijciendos montes, australem plagam ab eis dirimentes, opùs esse dixerat. Ambiuit sibi Vaschus Nunnez procuratorium id munus, sed minimè sociorū suffragijs id assequi potuit, neq; factionarij eius assēsi sunt, vt indè discederet, cùm quia se desertos arbitrarētur, tum etiam quia immurmurabant omnes, Vaschū, si semèl indè euaderet, ad eam calamitatum combustionem nunquàm rediturum, exemplo Valdiuiæ ac Zamudij, quos à mense Ianuario miserant, putabantq; deliberatò noluisse reuerti. Sed aliter, vtì suo loco dicemus, res se habebat: nam periērant. Scrutinijs igitur varijs inter se diù contendunt. Deligūt tandèm Ioannem quendam Quicedum, virum grauē & maturum ætate, fisci regij Quæstorem in illis terris. In hoc Quicedo fidem habebant summā de re benè gerenda: de reditu etiam, quia vxorē ad eas regiones secum duxerat, quam in pignus sui regressûs in sociorum potestate relinquebat. Quicedo

cedo

cedo electo, de collega illi præbendo, diuersæ surgunt sententiæ. Maximo esse discrimini, inquiunt aliqui, rem tantam locare in vnius viri manibus: non quòd Quicedo diffidant, sed quia sit vita hominum fragilis, ipsis præcipuè iam æquinoctiali vicinæ temperiei assuetis, si cogantur ad septentrionem reuerti ad varias aëris & ciborum mutationes. Dandum ergò esse collegam Quicedo censent, vt vno deficiente, quod facilè potest accidere, supersit alter: vtq; duorum relatui, si ambo ieuaserint, firmior à rege fides adhibeatur. In diuersa studia rem distendunt. Sors tandèm in Rodericum Colmenarem, de quo sæpè mentionem fecimus, cecidit, quia polleret rerum experientia. Percurrerat nanque ab adolescentia ac iuuentute mari ac terris Europam vniuersam, & rerum in Italia gestarum in Gallos, fuerat particeps. Non infirmior tamen illis causa visa est, qua sperare deberent Colmenarem, si viueret, rediturum, quòd in Dariene maxima sibi prædia comparâsset, maximásque sementes iactas relinqueret: quibus vendendis sicco pede speraret se aurum promercale à socijs consecuturum. Reliquit igitur curam rerum suarum contubernali cuidam suo Matritensi municipali Alfonso mei hospitis filio vnico, Nunnez nomine: qui iuris dicendi prætor erat, & ferè sociorum suffragijs fuerat procurator electus pro contubernali Colmenare: perfectúmque fuisset, nisì sponsam Nunnez ipsum habere Matriti, è socijs vnus patefecisset. Veriti nanque sunt, nè sponsæ lachrymis deuinceretur, & abiret non rediturus. Colmenare igitur libero viro electo Quicedi collega, bergantinum ambo, neque enim grandius iam vllũ nauigium habebant, ingrediũtur quarto calendas

Consuetũ aerẽ mutare, periculosum.

Nouembris, anni duodecimi ſupra quingenteſimum & milleſimũ à noſtra redemptione. Ex itinere varijs agitati tempeſtatibus, vi ventorũ proiecti ſunt ad occidẽtale littus eius vaſtæ inſulæ diù creditæ continentis, quam in prima decade Cubam diximus appellari. Egeſtate iam ſumma premebantur ob diuturnitatem temporis: agebatur nanque tertius iam menſis à diſceſſu à ſocijs: terram captare coguntur, vt ſi qua reperiant, ab indigenis auxilium experiantur. Fortè ad eam eius inſulæ oram appulſi ſunt, in qua & Valdiuia tempeſtatibus quaſſatus terram captauerat. Pròh miſeri: expectate Darienẽſes, Valdiuiã vt veſtris ęrumnis mederetur miſſum, expectate. Appulſum Cubenſes incolæ cum ſocijs omnibus ad vnũ trucidârunt, & diſcerptam in littore carauelam qua vehebantur, reliquerũt. Super repertas quaſdam carauelæ tabulas arena ſemiobrutas, Valdiuiam & ſocios deplorârunt. Cadauer nullum offenderunt: putant vel in mare proiecta, vel Canibalibus edenda præbuiſſe recentia. Eas nanque regiones Canibales ſępè incurſitant edendorum hominum cauſa. Ab inſularibus duobus, quos depræhenderunt, Valdiuiæ intellexerunt perniciem, auri etiam cupiditate, quod habere Valdiuiam incolę ab loquace è ſocijs vno cognouerant, pellectos, de patrando tanto ſcelere cogitâſſe ſuos conterraneos, duo illi profeſsi ſunt: aureis nanque & iſti monilibus oblectantur. Truculenta ſorte perculſi, quia præcipuè fruſtrà ſociorum vltioni intendiſſent, aufugere crudeles terras & auaram nudorum hominum ſæuitiam conſtituunt. Iter ergò ſuum, mœſti ob cauſam ſociorum, penuria rerum laborantes, proſequuntur. Priuſquàm Cubæ latus illud meridionale ſu-

ſuperarent, mille illis aduerſi caſus accciderunt: & Fogedam intellexerunt appulſum, & ipſum per ea littora infeliciſsimam tranſegiſſe vitam tempeſtatibus quaſſatum, aiunt: per mille anfractus, ærumnarum mille genera fuiſſe perpeſſum: dehinc penè ſolum, ſocijs amiſsis vel fame anhelantibus in diuerſa relictis, vix viuum ad Hiſpaniolam deuectum, veneníque tandem atrocitate ex illo vulnere, quo percuſſum diximus ab incola Vrabenſi, proieciſſe animam. Anciſus verò prætor electus, ſecundiore fortuna terras eaſdem peragrauit. Se optatos ventos inter ea littora offendiſſe, mihi aſſenſus eſt in curia, & ab incolis Cubæ ſe fuiſſe benignè ſuſceptum, iactitauit: ſed in Cacici cuiuſdam præcipuè dominatu, cui nomen eſt Commendatori. Is cùm baptizari à tranſeuntibus Chriſtianis peteret, quo nomine Hiſpaniolæ vicinæ inſulę gubernator appellaretur, interrogās, Commendatorem nominari audiuit. Erat enim eo tempore, quo is voluit baptizari, gubernator quidam egregius vir ordinis equeſtris militiæ Calatrauæ: cuius inſtitutionis equites, Commendatores appellantur. Optauit світ præterea cacicus ille, id eſt, regulus, appellari Commendator. Commendator igitur iſte inſularis Anciſum ad ſe appulſum, benignè ſuſcepit hoſpitio, & oppleuit neceſſarijs ad victum. Sed quid de religione ſanctimoniaq; ibi Anciſus ſeruari didicerit ab incolis, tu ſanctiſsime Pater, cuius dextra religionem ſanctimoniamq; induimus, accipito. Nautam ignotum malè ſe habentem, per Cubenſia littora facientes iter è noſtris quidam, reliquerant apud Commendatorem regulum. Nauta in honore habitus à regulo & eius ditionarijs, valetudine recuperata, Commenda-

toris Præfecturam in bellis gerendis sæpè exercuit: mutuis nanq; sese inuicèm conficiunt prælijs: & victor euasit semper. Is licèt literarum ignarus, bono animo vir, beatam Virginem Deiparam pientißimè colebat, & secum perpetuò consutum in pectore Virginis ipsius in charta pulchrè depictum gestabat simulacrum. Eam pietatem victoriam sibi semper peperisse Commendatori significauit: atque vnà Commendatori persuasit, abijciēdos esse zemes omnes, quos ipsi colerent, quia nocturnos lemures animarum nostrarum voratores infensissimos referrēt: beatam'q; Virginem Deiparam patronam sumerent, si felici ductu res suas omnes bello & pace iri gubernatum optarent. Defuturam nullo tempore Virginem Deiparam, si corde pio numen eius inuocauerint. Facilè nudis gentibus nauta persuasit. Virginis ergò simulacrum regulo roganti dono dedit, cui & ædem & altare dicauit: zemibus, quos auitos colebant, posthabitis. De zemibus, Pater beatißime, ex gossampino ad nocturnorū lemurum, quos familiariter paßim vident & alloquuntur, similitudinem contextos, & eodem gossampino in miram duritiem interiùs constipatos, in decimo nostrę decadis libello latißimè. Ex nautæ instituto, sole vergente ad occasum, Commendator ille regulus & vniuersi eius ditionarij vtriusque sexûs, domum Mariæ Virgini dicatam adeunt quotidiè. Ingreßi flexis genibus, capite reuerenter obstipo & manibus iunctis, simulacrum his verbis multiplicatò salutant: Aue Maria, aue Maria. Pauci nanque ex eis, plura proferre eius orationis verba didicerunt. Ancisum itaque & socios adeuntes, dextra præhensos ad dicatam domum alacres ducunt: se illis

mira oſtenſuros inquiunt. Simulacrum digito monſtrauerũt, monilibus & fictilibus vaſis, edulijs & aqua plenis, per podia circunſeptum. Hæc nanque ſimulacro, ſacrificij loco, donant ex auita religione erga zemes. Inquiunt, ea ſe ſimulacro præbere, nè, ſi fame vrgeatur, deſint cibaria. Fame vrgeri poſſe ſimulacrum, integro ſenſu putant. Sed quid auxilij à ſimulacri numine, hoc eſt, à beata Virgine, ſe fateantur habuiſſe, auditu pulcherrimum eſt: & mediusfidiùs, beatiſsime Pater, pro certo habendum: tantus eſt enim, ex noſtrorum relatu, pietatis erga Deiparam Virginem in his ſimplicibus incolis feruor, vt ad ſe laborantes in prælio, præcipuè contra ſuos hoſtes, penè dixerim, cogant è cælo deſcendere: quandoquidem precium, quo emere ipſum & ſuos cælites poſsimus, reliquit hominibus Deus, pium ſcilicet amorem & charitatem ardentem. Quonam igitur pacto poterit vllo tempore deeſſe beata Virgo, præſidium eius pura fide inuocantibus? Anciſo & ſocijs Commendator & palatini eius omnes aſſeuérant, conſerta manu, nauta duce, ſimulacrum portante ſecum, zemes hoſtium in conſpectu ſimulacri virginei, omnibus rem intuentibus, verſa facie intremuiſſe. Zemes enim quique ſuos ad prælium in auxilium portant. Nec ſimulacrum modò, ſed viuentem fœminam candidis veſtibus pulchrè amictam, pugnæ tempore auxilia ferentem in hoſtes, ſe vidiſſe aſſeuérant. Fatentur itidèm hoſtes, ex aduerſo ſceptratam & minacem apparuiſſe, ſuis hoſtibus fauentem, mulierem: cuiùs adſpectu præcordia ſibi horreſcere ſentiebant. Poſteà verò q̃ abiuit nauta, ab adeuntibus ea littora Chriſtianis ſuſceptus nauigio,

Sic nimirũ fit, vt religio alia in aliam mutata, ex priore plurima ſeruet.

Miracula pugnæ tẽpore.

uigio, seruâsse ad vnguē nautæ instituta se, Commendator fatetur. Cum finitimis exortam esse diram contentionem de zemibus retulit: putà quinam zemes esset alio sanctior ac potentior, superq; hac disceptatione certatum fuisse aperto Marte sæpiùs cum finitimis: sed beatam Virginem defuisse nunquàm, quin ingruente certamine affuerit, attuleritq; contra maximas hostium copias parua manu facilem victoriam. Quibus verbis clamore sublato in hostes irruerent, interrogati: se nil aliud vnquā ex nautæ doctrina protulisse, quàm, sancta Maria adiuua nos: sancta Maria adiuua nos: idiomate tamen Castellano. Id enim in omnium ore liquidè prolatū nauta reliquerat. Dum ità sese inuicèm crudeliter trucidarent, pacto fœdere conuentum est: non vt singulari electorum ex vtroq; exercitu certamine, vt sæpè Romanis, multisq; alijs contigit apud antiquos: aut sagaci aliquo consilio res decerneretur: sed vt alternè ex vtroq; populo manibus post terga ligatis, & ad vinciētis arbitrium post terga innodatis vinculis, in aperto agro singuli iuuenes sisterentur, eumq; meliorem esse zemen aduersi annuerent, qui suæ partis colligatum iuuenem celeriùs liberaret. Sancito fœdere, iuuenes alternè vinciunt duos: Commendatoriani aduersum, aduersi verò Commendatorianum: ter idem tentâsse inquiunt, terq; inuocatum sui zemis dæmonem, ad ligatum ex aduerso accurisse, vtroq; vincto inspectante. Sed proclamante Commendatoriano assuetam appellationem, sancta Maria adiuua me, sancta Maria adiuua me: aduentâsse ilicò candidatam Virginem: & fugato dæmone, imposita virga, quam manu gestabat, in Commendatoriani vincula, solutum subitò fuisse ante alterius

oculos

oculos Commendatorianum, trãsiſſeq́ in aduerſum ea vincula, quibus erat Commendatorianus ab hoſtibus innodatus, ità quòd hoſtes repererint liberatum aduerſæ partis iuuenem, ſuum verò duplicibus adſtrictum vinculis. Sed neq; his contentos referunt hoſtes, præſtigijs nanq; id agi humanis arguunt, non melioris numinis aduenientis poteſtate. Vt igitur viri graues ætate ac moribus pollẽtes, ab vtroq; populo quatuor adſint in proſpectu ligandorum iuuenum, qui an fraus inſit, nec'ne, dijudicent, expoſtulârunt hoſtes. O ſimplicem, ô puram animorum benignitatem, ô auream, ô beatam ſimplicitatem. Annuit hoſtium poſtulatis cum ſuis familiaribus Commendator, ea fide, qua petijſſe ſalutem ſanguinis alluuie valetudinariam: qua Petrum, cuius beatiſsime Pater vicem geris, ſiccis pedibus viſo Domino fluctus calcâſſe didicimus. Fœdus icitur, vinciuntur iuuenes, viris grauibus octo adſtantibus: ſtatuto limite locantur. Dato ſigno, ſuum quiſque zemen appellat, in auxilium vocat. Aduentantem ſui zemis dæmonem caudatum, hiatu vaſto dentatum, cornutum, zemen ipſum manufactum æmulantem, & ligati & ſpectantes cernunt, volentem è vinculis iam ſoluere ſibi dicatum iuuenem. Ad proclamantis Commẽdatoriani vocem præſtò fuit beata Virgo, viris grauibus protentis oculis ad rem tendentibus animum: aſſueta facit virga in aduerſum, fugato dæmone, tranſilire ſui clientis vincula. Perculſi tanto miraculo Commendatoris hoſtes, Virginis zemen ſuo zeme digniorem eſſe fatentur. Eius rei argumentum eſt, quòd audito Chriſtianorum appulſu ad eas terras, pagani Commendatori finitimi, qui cum eo capitalia odia exercuerant, & ſæpè conflixerant, orato-

Incredibilia miracula.

oratores ad Ancisum miserunt, rogatū, vt sacerdotes ire iuberet,qui eos baptizarēt. Duos quos secum habebat Ancisus properè mittit. Centum triginta vno die ex Cōmendatoris quōdàm hostibus,tunc amicis & affinibus, baptizârūt. Gallinaceum genus apud hos incolas nostrorū industria coaluisse diximus Quicunq; ad baptismum confluxerant,sacerdotibus gallinam offerebant, aut gallum : caponem haudquaq̄. Neq; enim, vt capones efficiāt,castrare pullos adhuc didicerūt. Salsos etiam pisces, & ex pane recentes afferebat quisq; placētas,vnà cum altilibus. Redeuntes ad littus sacerdotes illos,sex homines ex baptizatis, muneribus onusti,comitati sunt, quibus lautum pascha peregerunt. Ante Lazari nanq; Dominicū diem, biduo tantùm ex Dariene discesserant: & vltimū Cubæ angulum cuneatū, ab Oriente Hispaniolæ vicinum, eo tempore abradebāt. Commendatoris rogatu,relictus est apud eum vnus è socijs,libens tamen,non alia de causa, q̄ vt ipsum ditionariosq; suos,& finitimos, si accesserint, angelicam salutationē edoceat. Arbitrantur nanque se maiori curæ fore numini Deiparæ virginis, quo plura eius orationis verba didicerint. Assensus est Ancisus Cōmendatori : & his actis,iter suū ad Hispaniolam,cui iam proximus erat,prosecutus est. Dehinc ad regē in Valladoleto morantē, se contulit, vbì mecum versatus est familiariter, & in Vaschum Nunnez gladiatorem acriter concitauit: promulgataq; fuit in eum aduersa sententia,Anciso procurante. Hæc voluī, beatissime Pater,de incolarū religione recensuisse : quę non ab Anciso solùm, verumetiā à pluribus alijs authoritate pollentibus viris scrutatus sum: quô intelligat Beatitudo tua,quàm docile sit hoc genus homi-

hominum, quamq́ facilis pateat eis ad noſtræ religionis ritus imbuendos aditus. Nequeunt iſta fieri repentè. Paulatìm ad Chriſti legem euangelicam, in cuius culmine ſedes, trahentur omnes: & tui gregis oues multiplicatas indiès magìs ac magìs, beatiſsime Pater, intelliges. Iam Darienenſes procuratores repetantur.

PETRI MARTYRIS
MEDIOLANEN. OCEANEAE
Decadis ſecundæ, Crediti continentis liber ſeptimus.



ST ab Dariene ad Hiſpaniolã octo dierũ, & interdũ breuior, ſi flauerint in puppim placidi venti, nauigatio. Eam vix cẽtum diebus procellarum cauſa procuratores peregerunt. Paucos nanq́ dies in Hiſpaniola cõmorati, mandatis Almiranto & gubernatoribus expoſitis, paratas ipſis adeuntibus mercatorias naues, quæ frequentes ad Hiſpaniolam eunt & redeunt, aſſcenderunt: nec ante calend. Maij alterius anni ab eorum diſceſſu, ex Dariene ad curiam profecti ſunt. Duo igitur Darienenſium procuratores Quicedus & Colmenares, menſe Maio anni decimitertij & quingenteſimi à milleſimo curiam ingreſsi ſunt. Ioannes verò Fonſeca (cui ab initio curandæ negociationis huius fuit onus demandatum: quem ob fida in reges obſequia in Pacenſem, dehinc Cordubenſem, pòſt Palantinum & vnà Roſanum Antiſtitem, alij pontifices: nunc tua Sanctitas in Burgenſem, erexiſtis: & quia ſit regiæ domûs capellanus maior & conſiliarius,

ſiliarius, indulti regij cruciatæq́ regibus contra Mauros cõceſſæ generalem commiſſarium creâ-ſtis) venientes Quicedum & Colmenarem ab orbe diuerſo, à gẽtibus nudis, à terris aliâs ignotis, ſuſcepit honorificè. Burgẽſis ergò antiſtitis patrocinio Quicedus & Colmenares à catholico rege audiuntur. Quæ attulerũt, regi palatinisq́ omnibus auditu grata fuerunt, ob rerum nouitatem. Et apud me ſæpè contubernati ſunt. Darienenſis aëris inclementiam horum vultus teſtantur: flaueſcunt nanq; ſimiles ictericis, & turgeſcunt. Sed ipſi præteritæ id aſſcribunt egeſtati. Ab ijs procuratoribus & Anciſo, Zamudioq́: altero etiam Baccalario iuriſperito, qui Baëcia dicebatur, & terras illas peragrauerat: & à Vincentio Annez nauium patrono, littorum omnium illorum perito: & Alfonſo Nigno, multis prætereà gregarijs, qui ductu eorum eas oras adnauigauerant, quæcunq; geſta ſunt, intellexi: nullus nanq; ad curiam redijt vnquam, qui non fuerit delectatus & voce viua & ſcriptis mihi, quæcunq; ipſi didiciſſent, patefacere. Ego verò è multis quę quiſq; mihi recenſuit, prætermiſsis memoratu minimè dignis, illa tantùm colligo, quæ meo iudicio ſatisfactura hiſtoriæ amatoribus arbitror. In tanta quippe rerũ magnitudine, multa neceſſariò emergũt, quæ, nè nimis longa texatur oratio, prætereunda iudico. Sed ad effectum, quem procuratorum aduentus pepererit, veniamus. Priuſquàm ij procuratores aduentarent, fama relatum erat, primarios illos præfectos Nicueſam & Fogedam, Ioannem etiam à Coſſa, tanti momenti virum, vt regio diplomate nauium magiſter appellatus ſit regius, infelici ſorte perîſſe: diſsidereq́ inter ſe paucos illos ſuperſtites in Dariene: ità vt neq; trahendis

ad

ad fidem nostram simplicibus illis gentibus studeretur, neq; de vestiganda natura terrarũ curam gererent. Fuit consilium mittere ducem, qui rem deperditam, sublato imperio ijs qui iniussu regio imperium vsurpauerant, restitueret. Eligitur ad prouinciam hanc capessendã Petrus Arias Abulẽsis, ciuis autem Segouiensis, cui est inter Hispanos antonomasicè nomen inditũ * lustatori: quia egregius fuerit à iuuentute hastilusor. Vulgato per procuratores Darienenses in curia, quanti momenti res sit, tollere Petro Ariȩ ducatum è manibus, multi apud regem pertinaciter institerũt. At capellanus maior Burgensis antistes, cuiâ interest, vtì iam diximus, huic negocio laboranti præbere remedia: regem adiens, re intellecta, his verbis compellauit: Quandoquidem Petrus forti animo, rex catholice, tuæ maiestati sub incerta discrimina trahendam obtulit vitam, sciamusq; longo experimento militibus regendis aptum esse: sed in Africanis certaminibus præcipuè, in quibus se gessit vtì strenuum decet militem, & sagacem militiæ Præfectum oportuit: impium fore iudicarem, si cuiusquam alterius auaritia tantùm excitati causa, hic exauthoraretur. Eat vir bonus iste dextris auibus, eat tuæ maiestati fidus alumnus, in regia educatus à teneris. Ex Burgensis igitur episcopi consilio rex, Petri Ariæ cum amplioribus mãdatis firmauit electionem. Mille ducentos bello aptos milites stipendio regio Burgensis episcopus conscribit Petro Ariæ. Ex ijs plerosque duxit è curia, discessitq; ex Valladoleto circiter calend. Octobris anni tertij decimi supra quingentesimum à millesimo, Hispalim vrbem, vulgò Siuillam appellatam, multitudine ciuium & opulentia insignem, profectu-

forte * *Hastatori*

rus: vbì per regios magistratus & militum supplementum, & commeatus, reliqua etiam ad rem tantam facientia, sunt illi tribuenda. Habet enim rex in ea vrbe ad oceanea tantùm negocia domū erectam, ad quam euntes redeuntesq́ negociatores confluunt, de ijs quæ ad nouas terras important, deq́ auro indè relato rationem præbituri. Domū vocant Indicæ Contractationis. Reperit Petrus Arias Hispali coacta iuuenum duo millia ampliùs: auarorum etiam senum non exiguum numerum: è quibus multi sese Petrum Ariā propria pecunia sine stipendio regio secuturos obtulerunt. Sed nè nimiùm destinata nauigia onerarentur, ne've commeatus aliquandò deficerent, traijciendi libertas ablata est. Est præterea cautum, nè alienigena quisquam iniussu regio commisceatur Hispanis. Propterea fui admiratus, Aloisium quēdam Cadamustum Venetum, scriptorem rerum Portugallensium, ità perfricata fronte scripsisse de rebus Castellanis, Fecimus, Vidimus, Iuimus: quæ neque fecit vnquàm, neque Venetus quisquam vidit. Ex tribus meæ decadis primis libellis, ad Cardinalem Ascanium & Arcimboldum, quibus erā cōterraneus quandò illa fiebant, scriptitata ea excerpsit & suffuratus est, existimans nostra nunquàm proditura in publicum. Potuit & fortè apud oratorem aliquem Venetum in eos libellos incidisse. Celebres nanq́ viri ab illustrissimo senatu illo missi sunt ad reges hos catholicos: quibus egoipse illa ostēdebam libens: vtq́ exemplaria ab eis caperent, facilè assentiebar. Vtcunquè sit, bonus vir Aloisius Cadamustus, alieni laboris fructum sibi studuit vendicare. De Portugallensium inuētis, quæ quidem admiranda sunt, an visa, vti ait, annotauerit,

Aloisius Cadamustus carpitur.

uerit, an ab alterius eodem modo vigilijs subtraxerit, non est meum vestigare. Viuat & ipse Marte suo. Nullus ergò mare conscendit in ea militum copia, qui non fuerit à regijs magistratibus conscriptus. Censiti tamen sunt extra ordinem plerique, inter quos & iuuenis quidã, nomine Franciscus Cotta, cõterraneus meus: sed adepto meo supplicatu diplomate regio, quo, vt illum aduenam cum Petro Aria traijcere sinerent, magistratibus imperabat: aliter haudquaquàm licuisset. Eat ergò Cadamustus Venetus, & se cũcta vidisse scribat: cùm sex & viginti annorum, quibus huic catholico regi non malè gratus semper adstiti, authoritas vix valuerit ad impetrandũ de transitu aduenæ diploma. Ex Genuensibus aliquibus, (sed quidem paucis) ob Almirantum primi earum terrarum repertoris filium, ea impenditur venia: cæteris minimè. Conscendit igitur mare Petrus Arias per Bætim Hispalim interluentem, secundo flumine circiter anni principium millesimi quingẽtesimi quartidecimi. Sed malè auspicatò soluit. Tanta classem eam tempestas adorta est, vt naues duas discerpserit: & è reliquis deijcere in mare commeatuum partem ad naues exonerandas fuerint coacti. Superstites ad Hispana littora retrocesserunt. Sed ilicò à regijs magistratibus refecti, remissi sunt. Prætoriæ nauis, iussu regio, magister nauclerus erat Ioannes Vespucius Florentinus, Americi Vespucij, de quo suprà, nepos: cui patruus hæreditatem reliquit artis naucleriæ graduumq; calculi peritiam. Secundioribus ventis, ex Hispaniola relatum est, oceanum illos suscepisse. Veniens nanque nundinaria nauis, iam captare volentes Hispaniolæ vicinas insulas, eos offendit. Intereà tamen dum stimula-

tores mei Galeacius Butrigarius, & Ioannes Cursius tuæ sanctitatis studiosissimi, paratum se habere tabellarium, qui nostras has oceaneas malè comptas Nereides, sit delaturus ad Beatitudinem tuam, nè tempus teramus incassùm, pleraq; alia postergata, memoratu digna tamen iudicio meo, licèt non locata suis sedibus, recensebo. Petrus is Arias ductor vxorem habet, cui nomen est Elisabeth à Boadilla, ex fratre neptem, Boadillæ Marchionissæ Amoia: quæ vrbem Segouiam Fernando & Elisabethæ regibus, Portugallēsibus Castellam inuadentibus, tradidit: vndè vires ad resistēdum primò, dehinc ad bellum aperto Marte Portugallensibus inferendum propulsandosq; ipsos, sumpserunt: ob thesauros quos ibi Henricus rex Elisabethæ, reginæ frater, coēgerat. Bello & pace Marchionissa hæc dum viueret, virilem ostendit animum, & eius consilio præclara multa gesta sunt in Castella. Huius est neptis ex fratre, Petri Ariæ vxor. Amitam magnanimitate neptis æmulata, discedere ad ignotas orbis oras & vastos terrarum pelagiq; discursus parantem se, maritum his verbis compellat: Dilecte coniūx, maritali iugo nos fuisse à iuuentute nostra coniunctos hac lege, arbitror, vt vnà, non seiunctìm, vitam ageremus: quacunquè te fata trahent, siue per vndosos oceani furores, siue per horrenda terrarum discrimina, comitem me tibi futuram scito. Nullum mihi potest periculum imminere adeò atrox, nullum genus mortis occurrere, quod mihi nō sit multo leuiùs perferendum, quàm à te tanta locorum intercapedine me semotam viuere. Emori semel satiùs est, & in mare piscibus, aut in terrā Canibalibus vorandam proijci, quàm continuo luctu & perpetuo

Ad iā discessurum maritum vxoris impēsè amātis oratio.

tuo

tuo mœrore, non maritum, ſed mariti literas expectando, contabeſcere. Mea eſt hæc non temerariè, non ex tempore, non fœmineo raptu excogitata, ſed maturè librata ſententia. Vtrum mâlis eligito: vel iugulum mihi gladio impete, vel meis poſtulatis aſſentire. Nec filiorũ quos Deus nobis præſtitit, (quatuor enim mares & fœmellas totidem relinquebant) vel momento me retardabunt. Auitas illis & dotales opes, quibus queant inter ſui ordinis equites vitam agere, relinquemus. De cætero nil mihi curæ. Hæc vbi virilis animi matrona diſſeruit, videns maritus fixum vxoris animum ad ea perficienda quæ dixerat, contraire poſtulatis minimè auſus eſt, ſed vxoris tantæ propoſitum commendauit. Secuta eſt ergò, vtì ſuum Ipſicrateia ſciſsis crinibus Mithridatem. Amat viuum hæc, vtì mortuum Alicarnaſſea Caria, Mauſolum ſuum Artemiſia. Intelleximusq̃ nõ infirmiore pectore oceanea murmura Eliſabetham Boadillam generoſam, molli pluma (vt eſt in prouerbio) educatam, perferre, àc maritum, aut è nautis inter marinos fluctus educatis quenquam. Sunt & alia è poſtergatis quæ referam. In prima Decade mentio facta eſt non vulgaris de Vincentio Annez Pinzono. Is Chriſtophoro Colono Genuenſi, poſteà Almiranto, in prima nauigatione fuerat comes. Per ſe & pecunia ſua poſtmodùm, cum diplomate ac venia regia, vtì eſt in Decade, vno tantùm nauigio explorauit. Anno priore à diſceſſu ducum Nicueſæ & Fogedæ, iterùm tertiò tractus illos percurrit ex Hiſpaniola. Hic Vincentius Annez meridionale Cubæ latus vniuerſum ab Oriente perluſtrauit ad Occidentem: & Cubam, à multis ad ea vſque tẽpora, ob ſuam longitudinẽ, con-

tinentem putatam, circuiuit. Itidèm & alij plures se fecisse aiunt. Vincentius Annez cognito iam experimento patenti, Cubam esse insulam, processit vlteriùs, & terras alias ad Occidentem Cubæ offendit: sed tactas priùs ab Almiranto. Quarè implicitus noua terra, in læuam conuersus, illius terræ littora per Orientem abradens, Beraguæ, Vrabæ, & Cuchibacoæ sinuum fauces transgrediens, ad regionem, quam diximus in Decade Pariam appellari, & Os Draconis, nauimque suam qua vehebatur, applicuit: ingressusque est vastum sinum, à Colono tactum, dulcium aquarum & piscium copia, insularumque multitudine celebrem, ab Oriente à Curiana distantem milliaria cẽtum triginta circiter: in quo tractu sunt mediæ Cumana & Manacapana: quibus principatum de margaritis plerique donant, non Curianæ. Facti certiores de nostrorum aduentu regionis eius reguli, qui Chiacones, vt in Hispaniola cacici, appellantur, exploratum mittunt, quę gens hęc noua sit, quid've noui afferat, quid velit: atque vnà lintres vniligneas (quæ monoxyla esse diximus in Decade, vtì de canöis Hispaniolæ) parari iubent armatas. Lintres isti chicos appellant. Stupuerũt quippe visis eius nauis protentis velis: neque enim ipsi velis vtuntur vllis: & si vterentur, exiguis vti opùs esset ob lintrium angustiam. Suis ergò monoxylis pluribus ad nauim vectis, sagittis ausu temerario nostros, adhuc spondarum repagulo vtì mœnibus tutos, configere aut perterrefacere existimârunt. Nostri bombardas in illos excutiunt, quarum tonitribus & vasta strage quandò feriebant, attoniti, sese ipsi profligârunt. Dispersos & fugientes nostri per nauis cymbam seruitoriam assequuntur, & trucidant quosdam, plures capiunt.

capiunt. His intellectis, & tormentorum mugitibus auditis, reguli oratores ad Vincentium Annez mittunt, veriti vicorum suorum direptionem, & hominum interniciem, si descenderent irati ex naui. Pacem orant, quantùm per signa & nutus colligere possunt. Neque enim verbum vllum nostri se intellexisse fatentur. In pacis optatæ signum nostros egregijs muneribus donârunt: vtpotè auri tribus millibus ponderis eius, quod nummum Castellanum vocari diximus, vulgò pesum appellatum: & pleno masculi thuris præstantissimi ligneo dolio librarum octuncialium circiter bis millium sexcentarum: quarè thuris feracem esse terram cognouerunt. Neque enim incolis Pariæ cum Sabæis est quicquam commercij: quippe quibus nihil penitùs notum est extra sua littora. Cumq; auro & thure & pauonibus patrijs, à nostris tamen dissimilibus colorum varietate, fœminas viuas ad sobolem nouarum volucrum procreandam in Hispania, & è masculis numerum ingentem ad præsentem edendi vsum præbuerũt. Supellectilia etiam gossampina quædam ad domorum ornatũ pro aulæis, miris modis & coloribus diuersis laborata, quibus erant pendula sparsìm per fimbrias appensa aurea tintinnabula, id genus, quod vulgus Italũ vocat sonaglios, Hispanum cascaueles. Loquaces quoq; psittacos varijs coloribus quotquot placuit, dederunt. Est nanque psittacorum apud Parienses non minor copia, quàm apud nos palumbium aut passerculorum. Hos incolas omnes genu tenus mares, fœminas surarum tenus, gossampinis vestibus amictos simplicibus repererunt: sed viros more Turcarum insuto minutìm gossipio ad belli vsum duplicibus. Dico gossipium id la-

nuginis genus, quod aliâs bombycinum appellatione vulgari Itala dixi: asscripturi'ne sint ignorantiæ, an incuriæ, pleraq; similia Latinissimi viri, qui Adriaticum incolunt aut Ligusticum, si ad eorum manus nostra deuenerint aliquandò, vti primam Decadem vidimus, nobis incõsultis, impressorum prælis suppositã: neutro cruciari statuo ad summũ: voloq; sciant, me Insubrem esse, non Latium, & longè à Latio natum, quia Mediolani: & longissimè vitam egisse, quia in Hispania. Idem velim dictum genuinis Adriaticis siue Ligusticis Latio propioribus de bergantinis, de carauelis, & almiranto, adelantatoq; vulgari appellatione Hispana. Me quippe non latet, Græcissantes archithalassum: Latinissantes simul & Gręcissantes, nauarchum hos, pontarchum illos, garrire dici debere magistratûs eius principem. De cęteris huiusmodi idem, dummodò tuæ Sanctitati satisfactum iri credam, hac simplici mea de tãtis inuentis narratione. His iam omissis, ad Pariæ regulos redeamus. Hos reperit Vincẽtius Annez esse apud Parienses tanq̃ annuos rectores vicorum primarios tantùm, quos cęteri, siue bello siue pace sit agendum, sequuntur. Vicos habent structos in ambitu sinûs illius vasti. Ad nostros cum muneribus venisse è regulis quinq; referunt: quorũ nomina hîc inserere statui ad tãtæ rei memoriam, Chiaconum Chiauaccham, (Chiaconos nanque suos optimates vno nomine appellant) Chiaconum Pintignanum, Chiaconum Chamailaba, Chiaconum Polomum, Chiaconum * Pot. Sinum eum ab Almiranto Colono primò repertum, vocãt Baiam natiuitatis, quia natalis Christi die fuerit eum ingressus: prætereundo tamen, sinu non perlustrato. Baiam Hispanus vocat si-
num.

num. Icto fœdere cum illis Chiaconis, Vincentius Annez institutum iter suum prosequens, ad Orientem regiones inuenit aquarum crebra illuuie desertas, & stagnantia magnis tractibus loca. Nec destitit à proposito, donèc terræ illius longissimæ cuspidem attigit: si cuspides appellare licet cuneos aut frontes acutas, vel promontoria marinas terras terminantia. Ea cuspis Atlantem videtur velle impetere. Illam quippe Africæ partem spectat, quæ à Portugallensibus Caput bonæ Sperantiæ dicitur, Atlantici montis squallentia in Oceanum protenta promontoria. Sed Bonæ Sperantiæ Caput, gradus antarctici colligit quatuor & triginta: cuspis autem illa, septem tantū. Puto terrā hánc esse, quam apud Cosmographiæ scriptores Atlanticam dici magnam insulam reperio, sine vlteriore de illius aut situ aut rebus exploratu. Et quandoquidem in huius terræ marginem primùm ab Herculeo freto incidimus, non erit alienum à re, si pauca disseruero, quæ dissidium fortè parerent, nisì socer & gener essent, inter Fernandum regem catholicum, & Emanuelē Portugalliæ regem. Dico Portugalliæ, non Lusitaniæ, vtì multos audio literarum non ignaros, qui falluntur non mediocriter. Nam si est Lusitania, quam egregij Cosmographi Ana & Duria fluminibus includunt, quota est portio Lusitaniæ Portugallia?

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis secundæ, Crediti continentis liber octauus.



IVENTE Ioanne rege Portugalliæ, Emanuelis inpræsentiarùm regis & sororio & prędecessore, exorta est acris inter Castellanos & Portugallenses contentio de ijs inuẽtis. Sibi deberi nauigationes Oceani vniuersas arguebat Portugallensis, quia prior & ferè ab immortali memoria Oceanum tentare ausus sit. Castellani verò, quæcunque Deus ministra natura in terris formauerit, ab initio rerũ fuisse hominibus communia proponunt: propterea licere cuiq; illa occupare, quæ Christianis habitatoribus vacua repererit. Dum ità in confuso res tractaretur, pars vtraque pacta est, vt à summo Pontifice decerneretur, quid iuris. Futuros se obtemperantes Pontificiæ sanctioni, fideiubent vtrinquè. Res Castellæ tunc regina illa magna Elisabetha cum viro regebat, quia dotalia eius regna Castellæ sint. Erat regina Ioanni regi Portugalliæ consobrina: propterea faciliùs res est composita. Ex vtriusque partis igitur assensu, lineam ex plumbata bulla summus pontifex Alexander sextus illis à Septentrione ad Meridiem, extra earum insularum, quas vocant de Cabouerde parallelos, ad Occidentẽ leuquas centum diametro tetendit. Alexandri nanque sexti pontificatu, res hæc in contentionem venerat. Intra iactam lineam, licèt negent nonnulli, cadit eius terræ cuspis, sancti Augustini Caput, appellata. Propterea non licet

licet Castellanis figere pedem in eius terræ initio. Regressus ergò indè est Vincentius Annez, habito ab incolis, quòd Ciamba prouincia ferax auro, ad aliud latus montium altorum, quos ante oculos habebant, ad meridiem iacéret: & è captis in sinu Pario, qui apertè Castellanæ est ditionis, abduxit quosdam ad Hispaniolam. Almirantóque iuueni reliquit, vt nostra discant idiomata: quô interpretum posteà loco vti posśint ad secreta regionum illarum exploranda: ipséque ad curiam venit, impetraturus à rege, vt bona eius venia, liceat sibi nomen sumere gubernatoris insulæ sancti Ioannis, quæ ab Hispaniola tractu distat lequarum quinque & viginti tantùm: quoniam in ea gigni aurum, primus ipse Vincentius Annez patefecerit. Ab incolis, diximus in Decade prima, Buricchenam hanc appellari insulam. In ea insula gubernator erat Christophorus quidam, comitis Camignæ Portugallensis filius. Hunc vicinarum insularum Canibales cum Christianis omnibus trucidârunt, præter episcopum & familiares eius, qui sese, templo & templi ornatibus derelictis, in tutum receperunt aufugientes. Episcopos nanque iam quinque supplicatu regio, tua Sedes apostolica, beatisśime Pater, nouos erexit. In vrbe primaria sancti Dominici in Hispaniola fratrem Garsiam de Padilla, diui Francisci regularem. In Conceptione oppido, doctorem Petrum Xuarez de Deza: & in insula sancti Ioannis, Licentiatum Alphonsum Mansum, ambos diui Petri institutionis obseruatores. Quartum, fratrem Bernardum de Mesa, nobilem, genere Toletanum, concionatorem, Dominicum asseclam, in Cuba insula. Quintum, Ioannem Cabedum, & eundem Franciscea obser-

Quinque Episcopi noui, in terris nouis.

seruationis pulpitarium concionatorem, tua sanctitas vnxit, vt Darienensibus præsit. Rependent propediem Caribes debitas pœnas. In illos ibitur: præcipuè quia patrato illo nefario scelere, post menses aliquot reuecti ex vicina sanctæ Crucis insula Cacicum nostris amicum, & familiam eius vniuersam trucidârunt, comederuntque, vico eius funditùs euerso: nacti occasionem, quòd regulus ille violato iure hospitij, Caribes septem conficiendarum canoarum magistros apud eum relictos, vt canóas quasdam cõstruerẽt, quia proceriores arbores ad ea monoxyla formanda insula sancti Ioannis nutriat, quàm eorũ insula, Sancta Crux cognominata. Caribibus his adhuc in insula manentibus, è nostris plerique traijcientes ex Hispaniola, in eos inciderũt. Re intellecta per interpretes, incipiunt à Caribibus velle de tãto facinore rationem exigere. Illi autem arcubus & venenatis sagittis in nostros directis, trucibus & toruis vultibus nostris edicunt, nè vim tentent, nî sinistris auibus venisse velint. Nostri venenatas sagittas veriti, neque enim parati ad certamen venerant, signa pacis dant. Cur vicum euerterint, & vbinàm sint regulus & eius familia, interrogati Caribes, respondent se vicũ deleuisse, regulumque & familiam eius in frusta sectos comedisse, in suorum septem opificum vindictam: in compositosque fasces illorum ossa seruari ad opificum vxores & filios deportanda, quô intelligant non iacére inulta maritorum & parentũ corpora: fascesque ossium nostris ostenderunt. Stupidi tanto facinore nostri, rem dissimulare coacti, conticuerunt, neque incusare aut coarguere Canibales ausi sunt. Ex his & huiuscemodi multa eueniunt quotidiè, quæ, nè sacras aures tuæ S. hisce cruentis narrationi-

tionibus inficiam, prætereo. Satis euagatum'est, beatiſsime Pater, extra Beraguenſem, & Vrabenſem regiones, inſtituti noſtri primarias nutrices. Prætermittemus'ne quæ ſit Vrabenſium fluminũ amplitudo? quæ profunditas? quid've ipſa, quid'q; ablutæ ab eis terræ gignant? de'q; terræ magnitudine ab Oriente in Occidẽtem, ac latitudine à meridie in ſeptentrionem? quid've credatur de ignotis adhuc in ea? minimè quidem, beatiſsime Pater. Vrabam igitur repetamus, & à nominibus prouinciarum recenter impoſitis exordiamur: prouincias'q; liceat appellare, quia procùl victę Chriſtianis párent.

PETRI MARTYRIS

MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis ſecundæ, Crediti continentis liber nonus.



ERAGVAM, ſtatuerunt Caſtellam auriferam: Vrabam verò, Andaluziam Nouam appellari: & velutì ex inſulis pluribus Hiſpaniolã, in quam multæ deductæ ſunt coloniæ, in caput inſularum habitandã elegerunt. Ità in immẽſis Pariæ tractibus, in duabus regionibus Vraba & Beragua, ſtatuta eſt manſio: vt ad eas tanquàm ad portus vagaturi ſeſe recipiant, feſsi'q; & rerum indigentes, ſeſe queãt ibì reficere. Sata iam in Vraba & hortẽſia omnia, mirificè coaleſcũt. Non'ne hoc admiratione dignũ, ſanctiſsime Pater? Omnium rerum ſementes, taleas quoq;, ſurculos, & calamos, propagines etiã aliquarum arborum ad eas terras, vti de quadru-

pe-

pedibus & altilibus diximus, important. O mira vbertas. A iacto semine cucumerum & huiuscemodi rerum, ad diem citra vigesimum fructus eorum colligunt. Caules, betas, lactucas, boragines, & hortensia his similia, intra decimum: Cucurbitas verò & melones decerpũt intra octauum & vigesimum à sementis satione. De taleis & surculis arborum nostratium per seminaria & scrobes satis, & calamis in ramulis patriarum, quæ consonent, insertis, eadem referunt celeritate fruticare, qua diximus de Hispaniola. Arboreos natiuos fructus habent Darienenses multiformes, & variorum saporum ad vsum humanũ salubres: è quibus est consilium præstantiores describere. Guaianam colunt arborem, quæ fructum parit citrorum generi, quos vulgus limones appellat, persimilem, sapore acri, dulci commixto. Nucibus etiam pineis abundant, & palmarum varijs cariotis, ijs quæ nobis notæ sunt, grandioribus, sed minimè aptis ad esum ob austeritatem. Palmulas steriles, quæ tamen ipsæmet eduntur, & folia creant ad scoparum vsum, passìm ac sponte sua nasci certũ est. Guarauaná verò, quæ aurea mála ferente arbore procerior est, fructum gignit magnum, málum citreum æquantẽ. Est & alia arbor, castaneæ fermè similis: hæc ficum grandiorem fructu suo æmulatur, sapore dulci & salubri. Maméis est arbor alia, quæ fructum producit aurei máli magnitudine, sapore melone optimo haud insuauior. Guananalá fructum dat cæteris minorem, sed odoriferum aromaticè, & super omnes sapidum. Hóuos est alia, quæ prunis persimilem generat fructum & forma & sapore, sed aliquanto grandiorem: hãc myrobalanum esse pro certo habent. Est Hispaniolæ arbor hæc adeò

Arborei fructus, varietate & vtilitate insignes.

adeò peculiaris, vt eius fructibus porci saginentur: neque cùm maturescunt, retinere illos aut regere subulci queunt, quin ex eorum ferula elapsi, syluas earum arborum altrices sparsìm petant: vndè multitudo ingens syluestris effecta est. Propterea suillas aiunt carnes, arietinis esse in Hispaniola saporosiores salubrioresq́ue: nemini nanque dubium est, quin varia ciborum genera, variam carnibus edendis vim gustúmque longè alium ingenerent. Alium fructum se inuictissimus rex Ferdinandus comedisse fatetur ab ijsdem terris aduectum, squammosum, pinûs nucamentum adspectu, forma, colore æmulatur, sed mollitie par melopeponi, sapore omnem superat hortensem fructum: non enim arbor est, sed herba, carduo persimilis aut acantho. Huic & rex ipse palmam tribuit. Ex ijs ego pomis minimè comedi: quia vnum tantùm è paucis allatis reperêre incorruptum, cæteris ex longa nauigatione putrefactis. Qui in natiuo solo recentia ederunt, illorum cum admiratione suauitatem extollunt. Effodiunt etiam è tellure suapte natura nascentes radices, indigenæ Batatas appellant, quas vt vidi, Insubres napos existimaui, aut magna terræ tubera. Quocunque modo condiantur assæ vel elixæ, nulli crustulo, aut alio cuiuis edulio cedunt dulcorata mollitie: cutis aliquanto tenacior quàm tuberibus aut napis, terreíque coloris, caro candidissima. Seruntur etiam & coluntur in hortis, vtì de iucca diximus in Decade prima. Comeduntur & crudæ. Viridis castaneæ gustum cruda imitatur, est tamen dulcior. Sed de arboreis & hortensibus vegetatiuísque alijs iam satìs: ad sensitiua veniamus. Terræ illius horrentes saltus depascũt præter tigres & leones, cęteraq́ue nobis

bis iam nota animalia, vel saltem ab egregijs authoribus descripta, monstrosa plura. Sed animal vnum præcipuè procreat, in quo natura studuit sese miram artificem ostendere. Id est corpore bouem æquans: proboscide armatum est elephantina, non elephas: bouino colore, non bos: equinis vngulis, non equus: auriculis etiam elephantinis, sed minùs patentibus & demissis: quàm cęterorum tamen animaliũ patentioribus. De animali ferente secum natam sobolem in vterali crumena, (scriptorum nulli, meo iudicio, noto) quod serptìm arboreis depascitur fructibus, in Decade satis, quam puto ad tuæ Sanctitatis manus, priusq̃ id rerum culmen adipisceretur, deuenisse: quandoquidem è meis latebris impressa euasit. Quid verò de fluminibus Vrabẽsibus restet, referamus. Darien angusto in sinum Vrabensem deuoluitur alueo: monoxylorum prouincialiũ vix patiens, & vicum quem habitandum elegerunt, præterlabitur. Sed fluuium in angulo sinûs, quem diximus à Vascho pernauigatum, reperêre latitudinis esse stadiorum quatuor & viginti, (lequam dicũt) profunditatis etiam immensæ, cubitorum putà ducentorum ampliũs: per diuersa ostia in sinum cadere. Hunc, vtì legimus Istrum in Ponticũ pelagus, & Nilum in Aegyptiũ, defluere in Vrabensem sinum aiunt, antonomasicè grandem fluuium appellant: quem magnorum esse ac multorũ crocodilorum nutritorem inquiunt: velutì de Nilo didicimus, ego præcipuè, qui Nilum aduerso secundoq́ flumine nauigaui, Soldanũ petens, & ab eo rediens. Quid propterea queam ex tot insignium doctrina & authoritate virorum scriptis de Nilo colligere, non intelligo: duos nanq; Nilos, siue à lunæ montibus, siue solis, aut è squallidis Aethio-

Aethiopum iugis vndecunquè fluere velint, aiunt naturam dedisse telluri irrigandæ: ad septentrionem, in Aegyptium sinum cadere vnum: in Oceanum meridionalem, alterum. Quid hoc loco dicemus? De Aegyptio nihil ambigimus. Meridionalem alium Portugallenses, qui per Nigritas & Melindos æquinoctialem circulum transmeant, in suis mirabilibus inuentis repererunt: & è lunæ montibus ipsimet deriuari arguunt: esseq; Nili alueum alterum, quia crocodilos generet: neque alibì præterquàm in Nili fluentîs, crocodilos gigni legerint. Senegam vocant fluuium Portugallenses. Nigritas is interluit, septentrionali ripa Fortunatus: meridionali, arenosus horridus. Crocodilos passìm emittit. Quid ergò referemus de hoc tertio, immò & (penè dixerim) quarto? Crocodilos nanque esse puto, quos armatos conchis testudineæ duritiei, duce Colono, Castellani reperêre in flumine, quod dici Delagartos suprà memorauimus. Dicemus hos è lunæ montibus oriri? haudquaquàm, beatissime Pater. Crocodilos ergò posse alias, præter Niliacas, aquas producere, iuniores nostri experimento didicêre. Non enim hæc flumina è lunæ montibus scatent, neq; possunt cum Aegyptio Nilo aut Nigrito siue Melindo, quacunquè illi deriuentur, eãdem originem habere: quippe qui ex proximis defluunt montibus, quos diximus à septentrionali Oceano nõ magno discrimine mare aliud australe dirimere. In Dariensis prætereà & aliorum fluminum palustribus locis relictis ex alluuie aquosis, phasiani, pauones, sed non picti, & multa volucrum genera à nostris dissimilia, tam ad esum apta, quàm ad demulcendum varijs concentibus audientium aures, nutriuntur. Sed aucupij imperitia

ritia, Castellani nostri negligēter volucres insectantur. Psittacorum etiam sub eodem genere species in stagnantibus illis locis innumerę garriunt. Sunt è psittacis, qui capones æquent magnitudine: sunt & qui ne passerculum quidē superent. De psittacorum varietate, in prima decade satìs. In huius nanq; vastæ terræ discursu Colonus ipse ad curiam & misit, & tulit ex omni specie non paucos, quos omnibus vulgò licuit inspectare, feruntur'q; quotidiè. Vnum restat, beatissime Pater, dignissimū historia, quod mâllem in Ciceronianas manus aut Liuianas incidisse, q̄ meas: tanti nanq; miraculi est apud me, vt implicatius reperiam in eius descriptione ingeniū meum, q̄ de gallinaceo feratur pulliculo stuppis inuoluto. Terræ illius latitudinem à septentrionali Oceano ad australe pelagus, sex tantùm dierū esse diximus, incolarum testimonio. Magnitudo propterea fluuiorū & numerus hinc, illinc terrrę angustia, me trahunt in ambiguum: quî fieri possit, vt intercapedine tam exigua dierum trium, à supremis eorum montium cacuminibus dimetiendo, tot tam'q; magna flumina diuertāt in hoc septentrionale, non intelligo. Credere nanq; licet ad australes incolas totidem defluere. Sunt hæc Vrabensia flumina exigua, si plerisque alijs comparentur. Aiunt se reperisse Coloni tempore Castellani, & pernauigâsse post illum, flumen, cuius ostium in mare cadens, passuum asseuérant esse paulò minùs centum mille in primis Pariæ littoribus, vtì aliâs diximus: nanque furibundo meatu in Oceanum ex altis montibus decidere prædicant, vt retrocedere mare etiam exæstuās, vi ventorum dico impulsum, suo impetu & amplitudine cogat: neq; in magno eius spatio amari

Inaudita fluminis magnitudo.

ri

ri quicquam ſenſiſſe in aquis, ſed potui aptas & ſuaues omnes inquiunt. Maragnonum appellant hunc fluuium incolæ: adiacentes autem regiones, Mariatambal, Camamorum, & Paricoram. Præter ea flumina quæ ſuprà nominaui, Darienem putà, Grande Dabaibæ, Beraguenſe, Sancti Matthæi, Boij gatti, & Delagartos, & Gairam, paſsim reperiunt alia multa, qui peragrãt ea littora. Deliberanti ergò mecum, vndè ſibi ſpecus tanti capaces habeant hi montes, littoribus adeò vicini & anguſti, ſententia incolarum, & vndè repleãt vt humores tantos cogantur euomere, ſuccurrunt varia: Magnitudo primùm montium: altiſſimos quippe eſſe inquiunt. Aiebat & idem primus repertor Colonus: immò & aliud ipſe diſſerebat, eſſe deliciarum paradiſum in eorũ montium culminibus, qui ex ſinu Pario & Ore Draconis appárent: ſibiq; ſtatutò perſuaſerat. Vaſtæ ergò montium moles, vaſtos ineſſe ſpecus multicapaces, arguunt: ſed vndè repleantur, penſitandum eſt. Si dulcium aquarum omnium, ex ſententia multorum, ità refluunt è mari flumina, maris ipſius ponderoſa mole compulſa per terræ meatus, vtì è meatibus ipſis ſcatentia videmus ad mare curſum dirigere: minùs hìc mirandum eſt, quàm alibì. Quia nullibì adhuc legimus duo maria huiuſcemodi terram vllam tam anguſto limite, ſi vera ferunt incolæ, circunſerpere. Magnum quippe eſt à dextro latere Oceanũ, in quẽ ſol vergit à ſiniſtro, alium vndè naſcitur, fortè non cedentem, quia putant Indico mixtum, habere cubitantes. Tanta ergò mole grauata (ſi valet ſententia) tellus iſta nimirùm cogitur tot aquarum voratus deglutire: deglutitos, per patulos gurgites emittere. Sed ſi è mari ſorbere

Philoſophicæ de aquarum generatione rationes.

humores terram negauerimus, fontésque gigni omnes ex aëris conuersione in aquã intra montium cauernas stillantem, assentiemur, vtì pleriq; autumant, authoritati magìs eorum qui talibus innituntur rationibus, caput flectemus, quàm quòd intellectus noster sit eius sententiæ capax. Cõuerti in aquam, absorptum in cauernis montium aliquibus aërem, non quippe recuso: vidi nanq; egoipse in Hispania è pluribus antris guttatìm imbres decidere perpetuos: & indè collectas aquas, per collium latera riuos demittere, quibus plantata in cliuis vineta, oliuetáq; ac fruteta omnis generis, rigabantur. Sed vno in loco præsertim, testes habeo illustrissimum Ludouicum Aragonium Cardinalem tuæ Sanctitatis obseruantissimum, & Antistites duos Italos, episcopum vnum Bouiensem, Siluium Pandonum nomine: archiepiscopum alterum, cuius neque nomen proprium recolo, neq; titulum didici. Granatæ nanque, nupèr è Maurorum potestate ereptæ, agebamus: & nos omnes oblectandi animi gratia ad quosdam amœnos tumulos duxit, per quos suaui murmure riuus irrigãs defluebat. Intereà loci, dum illustrissimus noster Ludouicus salientes per arbusta riuo inhærentia, volucres sagittis insectatur, ego & antistes vterque cliuum asscendere statuimus, vt, vndè riuus oriretur, intelligeremus: eramus nanque cacumini montiũ illorum proximi. Succincti ergò riui vestigia sequentes, antrum reperimus eiusmodi perpetuo imbre vberrimum: ex cuius aqua, per frequentes guttas cadente in receptaculum, in subiacentibus saxis manu cauatum, riuus efficitur. Licet vulgò conspicere & aliud rorans antrum in hoc celebri oppido Valladoleto, vbì nunc agimus,

mus, in oppidani egregij viri iuriſperiti, cognomine Licentiati de Villena, ab oppidi mœnibus minùs ſtadio diſtante, viridario. Fateor igitur ex antrorum roratu per conuerſionem aëris, inter pendentium rupium cauernulas abſorpti, poſſe fontes alicubì generari. Sed naturam arbitror de tanta illuuie aquarum, hac induſtria tenui generanda, minimè fuiſſe ſolicitã. Conſonãt ergò rationes duæ ingenio meo : vna, frequentiũ pluuiarum caſus : altera, ob perpetuum ibì ver vel autumnum]: quia ſunt ità propinquæ æquinoctiali circulo terræ illæ, vt vulgus non apertè dignoſcat diei ac noctis diſcrimen toto anno: ſuntq́ꝫ hæc duo tempora gignendis pluuijs aptiora,] quàm grauis hyems, aut æſtas feruida. Altera prioris effectiua, eſt huiuſcemodi : ſi poroſum eſſe mare, perq́ꝫ poros eius, auſtris illos aperientibus, vapores, quibus aquoſę nubes generentur, eleuari aſſentiemur, terram hanc oportet crebrioribus pluuijs madefieri, quàm terram aliam, ſi ſit (vtì aiunt) anguſta, duoq́ꝫ teneat immenſa maria, quæ illam ità proximè ſepiant, collateralia. Vtcunqꝫ ſit, beatiſsime Pater, nequeo tot viris eas terras frequentantibus non credere: cogorq́ꝫ illa, licèt pleraque videantur nõ veriſimilia, referre. Propterea per hæc argumenta fuit cõſilium diſcurrere, nè viri doctrina celebres, hinc illinc quærendarum [occaſionum in aliena ſcripta ſtudioſi, nos ità hebetes eſſe dijudicent, vt nulla ratione media, fidem facilè præſtemus emergenti cuiqꝫ narrationi. De impetu tamen illo dulcium aquarum, qui obiectus pelago, facit oſtium adeò ingens, vtì ſuprà diximus, aquas exiſtimo cadentium multorum eſſe fluuiorum coactas, quæ lacum ingentem efficiant : nõ autem fluuium vnũ,

vt ipsi aiũt. Sed quia sint mõtes ardui, tantã esse puto vim declinantiũ aquarũ, vt impulsu stagnãtium ea fiat cõflictatio, & nè salsæ aquæ ingrediantur in sinum, resistant. Surgent & fortè alij, q me tantoperè fuisse admiratum mirabuntur, & subsannabunt, dicentes: En quid pro miraculo hic recitat, magna inesse flumina regionibus illis? Non'ne Italia suum creat Eridanum, fluuiorum regem ab authoribus egregijs appellatum? Nõ'ne & regiones alię sua ingẽtia ꝓducunt? vtì de Tanai, Gangeq́ legimus, atque Istri fluentîs, quę vincere mare ità produntur, vt dulces haustus in XL millia passuum liceat colligere. His satisfactum iri velim hac ratione: Padus alpinos aggeres, Gallias & Germanias Pannoniasq́ secernentes ab Italia, sibi habet à tergo magna mole succosos, longóque tractu Ticinum, & innumera alia bibens flumina, tendit in Adriaticum. Idẽ de cæteris. Flumina verò hæc, plenioribus alueis è proximo, vtì ex regulorum dictis nostri referunt, lapsa cadunt in Oceanum. Sunt tamen qui amplissimam esse alibì, licèt hîc angusta sit, arbitrentur terram. Succurrit & alia causa, quam licèt habeã pro inualida, scribere tamen eam statùo. Longitudo forsan terræ ab Oriente protenta per immensum in Occidentem, si angusta est, adiumento erit. Quia sicutì legimus Alpheũ ab Elide in Siculam Arethusam per meatus subtermarinos occultos scatere: ità & posse montes illos productas adeò cauernas habere, vt longissimè distantibus terrarum cauernis respondeant: augeanturq́ passìm aquæ, veniẽtes aëris illa trãsmutatione, quã diximus. Capiant & qui sano pectore aliena interpretantur, & qui subsannationibus inuigilant, rem vtì mâlint. In hac re nescio quid

quid vltrà referam inpræſentiarùm: quandò aliter rem eſſe repererimus, candidè verum profitebimur. Quandoquidem de terræ huius latitudine tot tantaq́ꝫ diſſeruĩmus: de longitudine formaq́ꝫ ipſius iam tandèm ſermo reſurgat.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis ſecundæ, Crediti continentis liber decimus.

EST in mare ꝓtenta terra illa, nõ ſecùs àc Italia: licèt nõ humano cruri hæc, vt illa, ſimilis. Sed pygmæolum giganti cõparo. Eſt nanq́ꝫ pars ea, quã à dicta cuſpide Oriẽtali, quę vergit ad Atlantẽ, Caſtellani percurrerunt, (fine nõdùm reperto ad Occidentẽ) Italia lõgior octuplo ampliùs. Qua ratione fretus, octuplũ hoc auſim ꝓmere, vult tua Sanctitas intelligere. Ex quo parére ſtatui poſtulantibus, vt Sanctitatis tuę nomine iſta redigerẽ in Latiũ ſermonem, ego nõ Latius, curaui, nè quid prodeat non ritè exploratũ. Burgẽſem antiſtitẽ huius nauigationis confugiũ, de quo ſuprà lata mentio, adiui. Incluſi vno cubiculo, multos harum rerũ indices habuimus ad manus: ſolidã vniuerſi cum his inuẽtis ſphęrã & mẽbranas, quas nautę chartas vocant nauigatorias, plures: quarum vna à Portugallẽſibus depicta erat, in qua manum dicitur impoſuiſſe Americus Veſpucius Florẽtinus, vir in hac arte peritus: qui ad antarcticũ & ipſe, auſpicijs & ſtipẽdio Portugallenſium, vltra lineam æquinoctialẽ plures gradus adnauigauit. In hoc indice latiorẽ eſſe primã

huius terræ frontem reperimus, quàm reguli Vrabenses nostris persuaserint de suis montibus. Alteri Colonus viuens, cùm ea perlustraret loca, dedit initium: cui & frater eius Bartholomæus Colonus, Hispaniolæ Adelantatus, iudicium suum addidit: peragrauit nanque & ipse ea littora. Prætereà Castellanorum omnium, quotquot sibi sentire, quid sit metiri terras & littora, persuadent, suam quisque nauigatoriam depinxit membranam. Ex omnibus commendatiores seruant, quos Ioannes ille de la Cossa, Fogedæ comes, quē à Caramairensibus apud Carthaginis portum, peremptum diximus, ediderat: & gubernator alius nauium, nomine Andreas Morales, cùm ob maiorem earum rerum experientiam, (familiares enim notosque habebant ambo tractus illos, nō minùs iam àc suæ domûs cubicula) tum etiā quia Cosmographiæ naualis peritiores haberentur, q̄ cæteri. Omnibus igitur indicibus allatis, in quorum singulis iacebat linea, quæ Hispano more nō millia passuum, sed lequas designabat: circinos afferri iubemus, & hoc ordine cœpimus littora metiri. A cuspide siue fronte illa, quam diximus Portugallensium includi linea, per eos insularum quas vocant de Cabouerde, parallelos deducta, sed lequas centum vlteriùs ad Occidētem, quam & ipsi vltrò citroque iam explorârunt, reperimus ad Maragnoni fluminis ostium lequas tercētum. Indè ad Os vsque Draconis lequas septingentas, in nōnullis paulò minus, neque enim penitùs conueniunt. Volunt lequam Hispani millia passuum quatuor continere, mari præsertim: terra verò, tria. Ex Ore Draconis ad Cuchibacoæ protentā in mare cuspidē, qua superata, in lęuā sinus efficitur, lequas tercentū dimēsi sumus in vno, in alijs cir-

circiter. Ex Cuchibacoæ illo promõtorio cuſpidali ad Caramairẽſem regionem, vbì portus eſt Carthaginis, circiter centum ſeptuaginta. Ex Caramaira ad inſulam Fortem, quinquaginta. Indè ad Vrabæ fauces, intra quas vicus eſt ſanctæ Mariæ Antiquæ, vbì ſedes poſita eſt, quinque tantùm & triginta. Ex Vrabenſi Dariene ad Beraguenſem fluuium, vbì fixurus erat pedem Nicueſa, niſì aliter apud ſuperos ſtatutum reperiſſet, centum triginta intereſſe dimẽſi ſumus. Ex Beragua ad eum fluuium, quem diximus ſancti Matthæi appellatum à Colono, in quo Nicueſa, carauela amiſſa, pererrauit omniũ hominum calamitoſiſsimus, lequas in indicibus centum quadraginta tantùm reperimus: multo tamen plures in hoc tractu à ſancto Matthæo, multi è redeuntibus mihi retulerũt: in quo & locant diuerſa flumina, putà Aburema cum præiacente inſula nomine Scutum Cateba, cuius regulus, Facies combuſta, eſt appellatus: aliud Zobraba, Vrida poſt illud, Durabáq; auriferum: & portus etiam egregios, inter quos Cerabaroum & Hiebram, incolarum appellatione. Si ritè dinumeraueris, beatiſsime Pater, lequas inuenies in hoc calculo quinque & viginti poſt quingentas à mille: quæ amplectuntur milliaria ſeptingenta ſupra quinque millia à cuſpide ad ſancti Matthæi, quem Perditorum vocant ſinum. Sed non ſiſtit opus. Aſtur Ouetẽſis auito genere quidam, nomine Ioannes Dias de Solîs, qui ſe Nebriſſæ, quæ doctos edit viros, natum inquit, ab eo fluuio ad Occidentẽ tendens, lequas & ipſe percurrit nõ paucas. Sed littus illud medium ad ſeptentrionẽ curuatur. Propterea nõ examuſsìm locatum inter dimenſa: putamus tamen colligere diametro lequas tercentum circiter. Quanta

 ergò,

ergò, beatiſsime Pater, ſit terræ illius, quæ tuo throno ſubijcienda eſt, longitudo, ex dictis colligito: de latitudine fortè aliter aliquandò ſentiemus. De polariũ nunc graduũ varietate pauca referamus. Terra hæc, licèt ab Oriente protenta ſit in Occidentẽ, retorta tamen eſt, & ad meridiẽ ſua cuſpide tantũ incuruatur, vt polum arcticũ amittat, æquinoctialemq́; ſuperet lineã ad antarcticũ ſeptem gradus. Sed Portugallenſiũ eſt eius cuſpidis iuriſdictio, vti iam diximus. Cuſpide relicta, Pariã versùs, arcticus reuiſitur polus: & quo magìs ad Occidentem regio vergit, eo magìs polus eleuatur. Habẽt ergò Caſtellani variã graduũ eleuationem, donèc ad Darienem, ſtatutam earũ terrarum ſedem primariam, veniatur. Beraguenſis nanq; derelicta eſt, vbì eleuatum gradus octo reperiũt polum. Sed indè tantùm terra incuruatur ad ſeptentrionem, vt quaſi Herculei freti gradus æquet, ſi præcipuè terras dimetiamur quaſdã ad latus Hiſpaniolæ ſeptentrionale ab ijſdem repertas. Inter quas ad lequas ab Hiſpaniola quinq; ac XX ſupra tercentum vnam eſſe inſulam fabulantur, qui eam explorârunt ad intima, nomine Boiuca, aliâs Agnaneo, fonte perenni adeò nobilem, vt eius fontis aqua epota ſenes reiuueneſcãt. Nec arbitretur Beatitudo tua hoc dictum iocosè aut leuiter: ità ſeriò rem hanc per curiam vniuerſam auſi ſunt ſpargere, vt populus oĩs, & ex ijs, quos virtus aut fortuna ſecernit à populo, non pauci rem eſſe veram arbitrẽtur. Ego verò, ſi, quid ſentiam, interrogaueris: naturæ rerum genitrici nõ me tantum tribuere reſpondebo, ſibiq́; ſeruâſſe Deum hanc prærogatiuam pro non minùs propria, quàm ſcrutari corda hominum, aut priuationi dare acceſſum ad habitum, exiſtimo: Niſì

Colchiã

Colchiã fortè fabulã de renouato Esone, Erythrææ Sibyllæ fuisse folia crediderimus. Hæc de longitudine latitudineq; ac montibus abruptis, & eorum specubus aquosis, deq; varijs terræ illius gradibus, & quidẽ satis. Sed minimè prætereunda puto, quæ miseris inter generales calamitates acciderunt. Horrebant puero mihi viscera, cruciabarq; præ miseratione de Achemenide Vergiliano, inter Cyclopum littora ab Vlysse relicto, quòd baccis lapidosisq; cornis ab Vlyssis transitu ad Aeneæ aduentum dies non multos fuisse depastũ Vergilius recenseret. Baccas lapidosaq; corna, pro delicatis epulis infelices habuissent Hispani, qui Nicuesam secuti, Beraguam habitandã elegerant. Quid de asini capite, magno empto, opùs est magnifacere rem? Quid de huiuscemodi multis, quæ obsessos pati oportet? Postquàm Nicuesa consilium cepit de Beragua deserenda ob terræ squallorem & sterilitatem, Portum Bellum, & dehinc promontorij, Marmoris appellati, littora tentauit, an ibì fortunatiùs quiret insidere. Oppressit socios eius egestas tanta, vt neq; à scabiosis canibus, quos venatûs & tutelæ causa secum habebant, (in certaminibus nanque cum nudis incolis, canum opera plurimùm vtebantur) neque aliquandò à peremptis incolis abstinuerunt. Non enim ibì fructificantes arbores, aut volucres, quas Darienem alere diximus, procreari, ac proindè terram minimè frequentem habitatoribus, reperiebant. Cõuenerunt è socijs quidam de cane macerrimo emendo, qui iam ferè & ipse deficiebat ob esuriem: multos præbent canis domino auri pesos, id est, aureos castellanos: canem excoriant comedendum: scabiosam canis pellem, capitis ossibus appensis, inter dumeta

Fames militum incomparabilis.

proxima proiecerũt: poſtridiè pedes quidã è ſocijs in abiectã pellẽ incidit, vermibus iam refertã ac ſemifœtẽtem, domũ abſportauit. Excuſsis vermibus, pellem in ollam coquendã cõiecit, coctã edit. Ad coctæ pellis ius multi cũ ſuis paropſidibus, ſingulos caſtellanos aureos ꝓ ſingulis iuris paropſidibus offerentes, accurrebant. Bufones alius duos reperit, coctos ægrotus quidã à bufonũ domino emit comedẽdos: proq; illis duas fertur lineas auro intexto ſubuculas, quæ valorem æquabãt caſtellanorũ ſex, prębuiſſe. In campeſtri via quadã mortuũ repererunt pleriq; incolã à ſocijs interfectũ, & iam putridũ: dimembrârũt ſecretò: ſiue aſsis, ſiue elixis, carnibus illis tanq̃ pauonis eſca famẽ tunc pepulerunt. Saburra, inquiunt, cõtentũ paluſtri per aliquot dies è ſocijs alium, qui noctù à ſociorũ cuneo ſecedens piſcatũ, inter paluſtres vluas diuerterat, donèc ſerptìm iam ſemimortuus, viã ad ſocios reperit. Hæc & huiuſmodi multa perpeſsi infelices Beraguẽſes, ex numero militũ ſeptingẽtorũ ſeptuaginta ampliùs, ad vix quadragenariũ reducti, Darienenſes & ipſi effecti ſunt: ab incolis perẽpti pauci, fame cæteri conſumpti, animas euomuêre anhelantes, aperiendo viam ad nouas terras poſteris pacãdas ſuo ſanguine. Ad cõuiuia ergò poſthàc nuptialia cæteri, ſi quæ hi paſsi ſunt, pẽſitauerimus, per tuta nouaq; itinera, ad tutas nouasq; terras, in quibus & habitatores & ſata iam reperirent, proficiſcentur. Quò autem Petrus Arias ductor cũ regia claſſe ſit appulſus, ad hanc vſq; horam non intelligimus. Quæ ſucceſſerint, ſi hoc Sanctitati tuæ gratum fore cognouero, vigilantiùs explorabo. Ex Catholici regis curia, pridiè nonas Decẽbris. Anno à Chriſti natali, M D XIIII.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, REGII'QVE CONSILIARII, AD LEOnem decimum Pontificem maximum, de orbe nouo tertiæ Decadis liber primus.



CLAVSERAM orbi nouo portas, beatissime Pater, satisq; me per illius oras vagatum arbitrabar, quandò nouæ literæ allatę, patefacere illas iterũ, & repositum sumere calamum coëgerunt. A Vascho Nunnez, quem, eiectis Nicuesa duce & Anciso prætore ex Dariene, principatum sibi, manu promptorũ audacia fretum, vsurpâsse memorauimus: à socijs etiã plerisq; literas habemus, suo militari stylo compactas, quibus didicimus eum superâsse montes illos, oceanũ nobis notũ, ab altero australi æquore adhuc latente, dirimentes. Est eius epistola Capreensi de Seiano grandior. Sed ea tantùm ab illa cæterisq; excerpsimus, quæ memoratu esse digna duximus. Catholici regis animum sibi Vaschus non modò iratum reconciliauit, verumetiã gratiosum effecit. Donatus est à rege Vaschus, donati & plerique alij præstantibus & honoratis priuilegijs pro talibus ausis. Attẽtas nobis aures tua Sanctitas præbeat: & quæ illis passìm in re tanta euenerint,

nerint, serena fronte & gaudēti pectore suscipiat: quandoquidem non centurias solùm & legiones, sed innumeras hominum, natio hæc Hispana per varios labores & multa vitæ discrimina, tuo sacro throno subdēdas, domat myriades. Vaschus Nunnez (siue impatiens ocij, quia nescit stare loco fortis animus, siue nè rem tantam surriperet alter, veritus: putant nanq; multi Vaschum de Petri Ariæ præfectura intellexisse: siue vtráque motum causa, & quòd iratum regē ex anteactis sentiret) aggredi prouinciam ipse cum paucis constituit, quam à Comogri reguli filio etiam mille armatis fore difficilem audiuerat. Accitis ergò Darienensibus veteribus aliquot, & pluribus ex ijs qui ab Hispaniola recentes venerant, vberioris auri copiæ fama compulsi, centum nonaginta armatorum manum comparauit. In calendis Septembris anni superioris M D XIII, facturus iter mari dum liceret, ex Dariene cum vno bergantino, & monoxylis, id est, vniligneis, prouincialibus decem cymbis, discessit. Caretæ littoralis reguli Coibensis amici terrā primùm capit: relictis ibì nauigijs, vt cœptis Deus faueat, supplex petit: & vnà carpit iter terra mōtes versùs. In Ponchæ reguli ditionem primùm incidit. Poncha, vtì aliâs ipso adeunte fecerat, aufugit. Per nuncios ducibus Coibēsibus Caretanis Ponchę tutelam ab omni hostium iniuria, & amicitiā fide præbita multaq; beneficia pollicetur. Promissis ergò & blanditijs tam nostrorū quàm Caretanorum emollitus Poncha, venit ad nostros: libens gaudensq; Poncha fœdus suscepit. Nè vltrà vereatur, Vaschus Pōchæ suadet. Dant dexteras, & sese inuicèm complectuntur, mutuisq; se muneribus afficiunt. Auro Poncha, sed modico,

centum

centum putà & decem aureis ponderibus, quæ singula castellanum æquant nummũ: fuerat nanque spoliatus anno superiore, vtì suprà retulimus. Vaschus vt dono donum pensaret, Poncham rebus nostris, vitreis scilicet calculorum sertis ad colli & brachiorum gestamẽ, speculisq; ac tintinnabulis orichalceis, & huiuscemodi mercibus institorijs, donauit. Has indigenæ magnifaciunt, quia id vbiquè preciosæ rei loco habetur, quod est peregrinum. Securibus etiam ferreis ad arbores scindendas paucis Poncham ditauit: nil nanque maioris faciunt, quòd ferro & metallis omnibus careãt, auro excepto: & secare ligni genus vllum, ad construendas domos præcipuè canoasq; cauandas, sine ferreis instrumentis difficilimum sit: fluuialibus quippe lapidibus quibusdam præacutis lignariam omnem exercent fabrificinam. Poncha igitur deuincto, vt à tergo tuta relinquat omnia Vaschus, ad montana ducit agmen, datis à Poncha ducibus & calonibus, qui viarum angustias sternendo præeant: per saltus nanq; inuios & ferarum latebras atque anfractus montium penetrandum erat. Pauca quippe raraq; sunt inter eos commercia: quia paucis nudi homines, & pecuniæ expertes, indigent: & si qua exercent, è proximo agunt, auri ad ornatũ, & supellectilium ad vtilitatem permutatione. Propterea haudquaquàm trita sunt inter eos ex minimè frequentibus concursationibus itinera. Notas, tamen occultas, obseruant semitas eorum exploratores, quarum ductu se per insidias & nocturna latrocinia infestant alternè trucidantes, ac in seruitutem se vicibus redigentes. Ponchensium igitur & carpentariorum nostrorum opera & montes superauit horridos, & per obuia

ingentia

ingentia flumina plura, structis pōtibus, aut sublicium trabium congerie connexa, duxit incolumem cateruam. Hîc eorum multa prætereo, quæ tum ex rerum penuria, tum ex immenso labore passi sunt, nè sim minuta recēsendo molestus. Sed quæ cum regulis ex itinere acta sunt, prætermittenda minimè duco. Priusquàm alta montiū cacumina pertingeret, regionem ingressus nomine Quaréquam, regulum eodem nomine nuncupatum, obuium habuit, armatum eorum more, arcubus putà & sagittis, machanisq́, id est, ensibus amplis, ligneis, oblongis, vtráq; manu agitandis, & sudibus præustis, missilibus etiam, quæ certissima iaculātur. Is superbè nostros & hostiliter excepit, cū ingenti ditionariorū multitudine transitum prohibiturus: quò irent, quidq́ peterent interrogans: retrocedant, vultu toruo per internuncios commonefacit, nî velint ad vnum trucidari. Hæc dicens, prodit in apertum vestitus ipse ac palatini, cæteri nudi: & nostros impetit retrocedere recusantes. Breuibus actum est: sclopetarum sclopos (quibus auditis, nostros secum habere fulmina & tonitrua arbitrati sunt) & scorpionum sagittas non diù sustinuerunt. Terga igitur vertunt fugiētes. Velutì per macella lanij bouinas arietinasq́ secant in frusta carnes, ità huic nates, illi femur, alteri humeros vno ictu nostri scindebant: velutì animalia bruta, periêrunt ex eis vnà cum regulo sexcenti homines. Huius reguli domum reperit Vaschus nefanda infectam Venere. Fœmineo amictu reguli fratrē, pluresq́ alios comptos, & vicinorum testimonio pathicos, offendit. Iussit à canibus circiter quadraginta lacerari. Canum opera nostri vtuntur in prælijs contra nudas eas gentes: ad quas rabidi insiliunt,

liũt, haud ſecùs àc in feros apros aut fugaces ceruos: nec minùs fidos Hiſpani ſuos reperiunt in periculis ſubeundis, quàm Colophonij vel Caſtabalenſes, qui ad bella gerenda canum cohortes inſtituebant, ità quòd primã aciẽ in prælio canes ſeruarent, nec vnq̃ detrectarent pugnã. Audita noſtrorum in obſcœnum id genus hominũ ſeueritate, tanquàm ad Herculem populi cõfluebant: quoſcunq; morbidos ea peſte ſentirent trahẽtes, vt è medio tollerentur, expuẽdo in illos inclamitabant: in palatinos quippe, in populum haudquaq̃, contagio fluxerat. In cælũ oculos manusq; tendentes, Deum inſinuabant eſſe tãto ſceleri iratum: indè mitti fulgura, tonitruaq;: crebris nanque fulguribus vexantur, & aquarũ frequentes alluuies, quæ ſata omnia rap tẽt, famemq; & morbos indè ꝓuenire, conquerebãtur: licèt nil aliud pro Deo colant, præterquàm Solem. Hunc præſtare, hunc tollere ſolum exiſtimant. Dociles tamen ſunt: ad noſtros ritus facilè trahentur, ſi doctores eos adiẽrint. Nil tetricum, nil prolatu durum in eorũ lingua eſſe, quin Latinis poſsint literis, vt de Hiſpaniolis aliquandò diximus, eorũ vniuerſa vocabula ſcribi & ꝓferri, cognouerũt. Bellicoſa gens eſt hæc, & quæ finitimis moleſta fuit hactenùs. Sed prouincia nõ auro aut agrorũ vbertate fortunatur: mõtana eſt ac ſterilis, & ob ſquallorem montium algens. Propterea veſtiuntur ibì, qui veſtes aſſequuntur, palatini: cætera turba naturæ beneficio contenta viuit. Mancipia ibì nigra repererunt, ex regione diſtante à Quaréqua dierum ſpatio tantùm duorum, quæ ſolos gignit Nigritas, & eos feroces atque admodùm truces. Ex Aethiopia putant traieciſſe quondàm latrocinij cauſa Nigritas, inq; illis montibus naufraga-

Canum vſus in prælio.

fragatos fixiſſe pedem. Cum his nigris odia exercent inteſtina Quaréquani, & ſeſe ſeruitio addicunt viciſsìm, aut trucídant. In Quaréqua relictis pluribus è ſocijs, qui nondùm aſſueti laboribus, & eſuriei tantæ, deciderant in valetudines, duces capit è Quaréquanis, ad vertices montium tendens. Ex Ponchæ regia ſex breuium dierum ſpatium ad alterius æquoris proſpectum iacet medium: id nequiuit minore, quàm quinque & viginti, varijs implicitus caſibus & ſumma rerum egeſtate, perficere. Septimo tandèm calẽd. Octobris monſtrata per Quaréquanos celſa culmina, è quibus optatum mare aliud deſpici poterat, protentis oculis intuetur. Siſtere agmen iubet: præit ipſe ſolus, & verticem primus occupat. In terram prouolutus, & genibus flexis, manibusq́ in cælum erectis, auſtrum ſalutat: & gratias immenſas ſcribit ſe Deo cælitibusq́ omnibus perſoluiſſe, qui tantæ rei palmam ſibi homini non magno ingenio pollenti, non perito, non optimati, aſſeruauerint. Sacris orationibus ſuo militari more peractis, commilitones dextra innuens vocat, deſideratum pelagus oſtendit. Repetitò poplitibus deflexis, orat ſuperos, atque in primis Deiparam Virginem, vt fauſtè feliciterq́ cœptis faueant: & luſtrare, quas ſub pedibus videant, terras liceat: itidèm & ſocij omnes, ſublatis præ lætitia vocibus, faciunt: Hannibale, Italiam & alpina promontoria militibus oſtendẽte, ferocior, ingẽtes opes ſocijs pollicetur: Eccè deſideratum pelagus, eccè ô tot laborum ſocij commilitones, de quo nobis tot tantaq́ Comogri filius, & indigenæ reliqui prędicârunt. His dictis, in poſſeſsionis ſignum, pro aris ſaxorum congerit tumulos. A dextra læuaq́, nè poſteritas arguat eos mendacij, de-

cij, declinās è vertice montium, inſcribebat paſsìm arboribus, ſciſſo cortice, Caſtellæ regis nomen: & ſaxeas erigebat vbiquè ſtrues, donèc ad reguli auſtralis regiam ventum eſt, qui Chiapes dicebatur. Arma capit Chiapes, proſilit cum ingenti multitudine minitabundus, prohibiturus non modò tranſitum, ſed & acceſſum. Inſtruunt acies noſtri, licèt numero pauci: ruunt in aduerſos. Sclopettis primùm, & moloſſorũ, quos Alanos vulgus vocat, cohorte Chiapem ſalutāt. Audito mõtium reboatu ex emiſsis globulis, & puluereo viſo flammas euomēte fumo, ſulphureoq́ odore naribus percepto, (ad hoſtes nanque ventus flabat) ſeipſos profligant: perterriti, fulgura in ſe proijci arbitrantes, ſternebantur. Ità ſolo iacentes, aut verſos in fugam, noſtri adoriuntur: agmine tamen cõpoſito & ſeruatis ordinibus primùm, dehinc ſoluti aſſequũtur multos, trucídāt paucos, capiunt plures. Statuerant nanque amicè agere, pacatoq́ terras explorare illas. Chiapæ igitur occupato atrio, ſoluit è captis in fuga pleroſque, qui Chiapem quæritent, & hortentur, veniat: ex reditu pacem, beneficentiam, & amorē polliceantur. Si detrectauerit, ſibi ſuisq́ imminere exitium & regni excidium, enuncient. Quô apertiùs iſta Chiapæ patefiant, ex Quarequanis, qui noſtris viæ duces erant, comites dat Chiapæis quoſdam. Ità & per Quarequanos, qui à ſe & ſuo regulo coniecturas Chiapæ præpoſuerunt: & per ſuos Chiapes perſuaſus, datæ fidei ſe credit. E latebris prodiens, redit ad noſtros. Datis acceptisq́ vtrinquè dexteris, amicitiam ineunt, & fœderibus ſe inuicèm adſtringunt: muneribus etiam mutuis ſe deuinciunt. Quadringentos auri cælati peſos (diximus ducatũ id pondus ferè triente

ſuperare) Vaſcho Chiapes donat. Vt de merito Vaſchus benè mereatur, rebus noſtris Chiapen munit. Ità cõtenti vtrique, dies aliquot vnà commorati ſunt, donèc relicti à tergo in Quaréqua ſocij aduẽtarẽt. Quibus actis, gratis munuſculis donatos dimittit Quarequanos: & Chiapæis ipſoq; Chiape ducibus, quarto à montium verticibus die ad littus optatum læti procurrunt. Teſtibus & ſcribis regijs adſtãtibus, mare illud vniuerſum & adiacentes mari terras omnes, imperio addicũt Caſtellano. Apud Chiapen ſociorum partem reliquit, quo liberiùs explorare quiret vniuerſa. Nouẽ capit è Chiapæis monoxylis, quæ ipſi Culchas vocant: & Chiape duce, fluuium traijcit ingentem cum viris octoginta è ſuis, ad alterius reguli ditionem, nomine Coquéram. Is reſiſtere primò ac reijcere noſtros armis certauit, ijſdem auſpicijs quibus & cæteri. Cogitata perfecit Coquéra. Vincitur & ipſe, fugaturq;. Chiapæorum Coquéra ſuaſu regreſſus eſt: hi nanq; functi oratorio munere pro Vaſcho, quàm inuicti noſtri ſint, quàm mites in ſupplices, quàm truces & ſeueri in renitentes, enunciant Coquéræ. Ex noſtrorum amicitia, ſui reguli & aliorum exemplo, tutelam, patrocinium, & animi tranquillitatem pollicentur. Ex iniuria & detrectatu, excidium & interniciem minantur. Lætus ergò talibus nuncijs redijt Coquéra: ſexcẽtum quinquaginta cælati auri peſos donat noſtris. Contrà Vaſchus donis dona penſat noſtratibus: vtì apud Poncham diximus. Coquéra pacato, redeunt ad Chiapæ regiam. Indè commilitonibus reuiſis, vbì paulùm quieuit, explorare vicinum ſtatuit ſinum ingentem: quem ab vltimo ipſius in terram receptu ad patrias ab æquore faucium porrectu-

recturas sexaginta milliariũ spatio cõstare aiunt. Sinui sancto Michaëli nomen indidit, quem aiunt habitatis insulis & squallidis rupibus esse frequentem. E naualibus ergò Chiapæ nouem capit easdem culchas, quibus fluuium tranauerat, & cum socijs incolumibus octoginta conscendit, Chiape dissuadẽte, rogantéq; nè vllo pacto sinum tentare illo anni tempore velit: Esse tribus anni mensibus adeò procellosum significat, vt nullo modo sit ibì mare tractabile. Ante ipsius oculos voratas fuisse culchas plures à rabidis vorticibus prædicat. Vaschus tamen impatiens ocij, fore sibi fautores Deum & superos omnes in tali negocio prædicat, rem esse quæ Deum tãgat, in qua Christiana religio vires protendet, & hauriendi sunt thesauri, quibus neruis bella geri queant in hostes fidei. Pulpitarij gerit vicem oratoris, & socijs persuasis, clasiculam Chiapæã conscendit. Chiapes verò, nè de ipsius fide Vaschus dubitaret, quacunquè proficiscatur, se præstò futurum comitẽ enunciat: assensurum nullo pacto instat, vt se relicto, Vaschus è sua regia pedẽ moueat. Vbì primùm à littore culchas in altum detruserunt, tanta illos vndarum conflictatio adorta est, vt quà se verterent, aut vbì consisterent, cõsilium deesset. Versi alternè in facies, quisque socios pauidos & perterritos inspectabat: sed præcipuè Chiapem & suos, importuni maris illius peritos, res macerabat, qui multa huiuscemodi pericula summersionésque viderant in vicinis: elapsi tamen, culchis alligatis, in proximam se recipiunt insulam. Ibì pernoctando fluxus inclusit, & ferè totam cooperuit. Aiunt id australe pelagus ęstuans adeò tumescere, vt multæ in eo tunc lateant magnę rupes, quę demùm refluente videntur emergere.

gere. Contrà, ſeptentrionale qui inhabitant, omnes vno ore, vix cubito prodire à littore, aſſeuérant. Fatentur & ijdem qui Hiſpaniolam & reliquas incolunt conterminas inſulas. Deſiccato igitur à reflexu littore, ad culchas ſtupidi redeunt: obrutas omnes & arena repletas repererunt, ex illis quaſſatas nonnullas, & hiſcentes rimis, licèt vniligneas, ac ruptis rudentibus ſemideperditas. Cingulis & arborum corticibus & tenacibus quibuſdam marinis herbis laceratas reſarciunt, herbisq́; ſtipant ad neceſsitatem. Regrediuntur ergò naufragis ſimiles, & fame penè conſumpti, quia nil penitùs eis ad veſcendum tempeſtas reliquerat. Horrēdos audiri mugitus æquoris toto anno, quandò fluit aut refluit, inter eas inſulas indigenæ prædicant: ſed præcipuè tribus illis menſibus à Chiape nominatis: quos Octobrem, Nouembrem & Decembrem eſſe, ex illius ſermone collegerūt: præſentem nanque lunam, & ſubſequentes duas inſinuauit: eratq́; is menſis October. Refectus paululùm, vno inutili regulo prætermiſſo, ad aliud è ſinûs illius lateribus tendit, cuius regulum Tumaccum à regionis nomine appellant. Is armatus prodit, vt cæteri. Contraitur & cum Tumacco, vtì cum alijs. Vincitur fugaturq́;, trucidantur obſtantes: reliquis ignotum eſt: intenditur nanque pacandis nationibus & amicè tractandis. Vulneratus euaſit Tumaccus. Per nuncios Chiapæos Tumacco ſuadetur vt redeat, nil vereatur. Neque pollicitis, neque minis mouetur. Mortem illi & ſuo generi exterminium, locorumq́; ſui regni excidium ex peruicacia, diſſerunt. Filium tandèm venire iuſsit. Hunc Vaſchus veſtitum & munuſculis donatum remiſit,

misit, vt genitorem accersat, & illum de nostrorum natura & fortitudine commonefaciat, hortatur. Hac benignitate in filium motus Tumaccus, in diem tertium ab adductu filij venit. Nil tunc attulit, sed missis familiaribus, sexcentum quatuordecim auri pesos, & ducentos quadraginta egregios vniones, è minutis autem copiam maiorem, afferri iussit. Vniones nostri admirabantur, licèt non ritè candidos, quia è conchis illos minimè eruunt, nisì priùs assis, quo faciliùs sese ipsæ aperiant, & caro inclusa sapidiùs coquatur: sunt nanque edulia regum & obsonia carnes eorum, quas maioris pendunt quàm margaritas ipsas. Hæc Arbolantius quidam Hispanus Cantaber è Vaschi commilitonibus vnus, ab eo missus ad regem cum vnionibus & conchylibus, retulit. Credere oportet rerum participibus. Tumaccus ergò tanti facere vniones nostros inspectãs: familiaribus quibusdam suis qui aderant, vt piscationi se accingant, imperat: dicto párent. Quarto ab indè die regrediuntur: libras octunciales vnionum afferunt duodecim. Pars vtraque gaudens, sese mutuis stringit amplexibus: quòd nostros gratis muneribus donauerit, quodq; admissus in amicitiam fuerit Tumaccus, se felicem esse arbitratur. Nostri hoc tanto grandium opum argumento se beatos fore, saliuam deglutiendo, interloquuntur. Rerum omnium Chiapes regulus & testis & comes erat. Lætabatur & ipse, quòd suo ductu & nostris satisfactum iri viderat: & vicino regulo, fortè non amico, sed potentiori, ostenderet quales sibi viros haberet amicos, id suæ domûs authoritati conducere non dubitans: grauibus nanque inter se odijs hi nudi reguli, ambitione sola

Cõchylia vnionum, edulia regum.

eos exagitãte, fatigãtur. Vaſchus iactat, apud Tumaccum ſe mira de illius terræ opibus ſecreta didiciſſe, quę ad pręſens velle ſe reticere, inquit: ad aurem locutum illi Tumaccũ inſinuat. Ab vtroq; tamen regulo eſſe in eo ſinu cæteris grandiorẽ inſulam, aiunt, potente vno rege contentam: & qui ſedati maris tẽporibus ad ipſos tranet magna culcharum claſſe, in prædamq́; raptet obuia cuncta. Ea inſula diſtat ab hoc littore millia paſſuum circiter viginti: appárentq́; illius promõtoria ex continentis elatis collibus. In ea inſula conchylia gigni feruntur vmbellam ęquantia magnitudine: à quibus vniones, conchyliũ corda, eruuntur, faba & interdùm olea grandiores: & quos Cleopatra optare potuiſſet. Licèt adeò proximè ad littus inſula ſe applicet, extra ſinûs fauces tamen eius initium in amplũ æquor porrigitur. His intellectis, Vaſchus iſthac exhilaratur narratione lucratiua: & quo propenſiores ſibi regulos redderet, & arctiore vinculo deuinciret, ferocia in tyrãnũ verba detorquet, iurgijs & cõtumelijs iniuriũ regulum lacerat. Nulla mora interiecta, traiecturum ſe ad eum debellandũ, proſtrandũ, trucidãdumq́; iureiurando intonat: & vnà culchas parari iubet, quibus dictis facta compẽſet. Aſt reguli Chiapes ac Tumaccus amicè illum hortantur & commonefaciũt, vt prouinciam in pacatius differat tempus: nulli eſſe nauigio ea tẽpeſtate (erãt enim iam Nouẽbris Nonæ) mare illud peruiũ: procelloſiſſimum & tẽpeſtuoſum atq; inhoſpitale penitùs eſſe repetebãt. Vera dicere regulos cõſtabat. Horrendo quippe fremitu inter ſinuales eas frequentes inſulas, rugitus ex conflictationibus crebris exaudiebantur: & è montibus, relictis alueis, flumina ſaxa ſecum & magnas arbores trahentia,

inaudito

inaudito ſtrepitu defluebant eo tempore: ventorumq́ vis atrox furiebat non ſine domorum iactura. Auſtri erant & Euronoti tractuum illorũ, ea tempeſtate tonitruis & fulguribus aſſociati, perpetui hoſpites. Sereno tempore noctù frigore vrgebantur, die verò moleſtus illis erat ardor ſolis. Neque id mirum, cùm eſſent æquinoctio proximi: licèt ipſi nullam de polo mentionem faciant. In tali nanque regione luna, cæteriq́ frigentes planetæ noctù: die verò ſol, & factionis eius errantia ſidera, vim ſuam exercent. Licèt aliter vetuſtas ſenſerit: quæ ob ſolis perpendiculũ, deſertum relinquebat æquinoctialem circulum: præter paucos authores, quorum ſententiã experimento Portugallenſes probant haud dubiè. Quotannìs quippe ad antarcticos hyperboreorũ ferè antipodes tranant, & commercia cum eis contrahunt. Antipodes dixi, quanuis me non prætereat, non defuiſſe viros alioquì ingenio ſingulari & ſumma doctrina pollentes, cælitibusq́ ex his admixtos nonnullos, qui antipodes negẽt. Non eſt cuiquam vni datum omnia ſcire. Aſſecuti ſunt Portugallenſes alterius poli gradũ quintum & quinquageſimũ ampliùs: vbì punctũ circumeuntes quaſdã nubeculas licet intueri, velutì in lactea via ſparſos fulgores per vniuerſum cęli globum intra eius ſpatij latitudinem. Notabilẽ ſtellam huic noſtræ ſimilem, quam vulgus polũ eſſe arbitratur, & tramontanam Italum, Hiſpanũ nortem appellat: nullã aiũt illi polo vicinã, quæ non cadat in oceanum. Ex axe medio Libræ, ſole cadente nobis, illis aſſcendit: & ver, quãdò nobis autumnum: æſtatem, quandò hyemem ad illos importat. De alienis ab inſtituto noſtro, iam ſatìs: noſtros repetamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber secundus.



HIAPAE ac Tumacci regulorum consilio, differre transitum ad insulam placuit in vernum aut æstiuum tempus: quo se futurum nostris comitem Chiapes obtulit. Intereà retia regulos habere, & piscaria concharum margaritas gignentium littora, pro prædijs, intellexit Vaschus: quas tanquàm è viuarijs eripiunt regulorum egregij vrinatores, ad id exercitiū à teneris educati: sed quieto tranquilloq; mari littus æstu deserente, quo faciliùs ad earum stationes submergi queant. Et quo maiores cōchæ sunt, eo profundiùs inhabitāt: minores verò, vtì filiæ, propiores aquæ margini: minimæ autem, vtì neptes, supercilio viciniores degunt. Ad ima conchylia staturas viriles tres, quatuor interdùm, descendunt. Ad filias aut neptes dimidio femore tenus, & breuiùs aliquandò, subnatant: quarū etiam post sedatum à feris tempestatibus æquor, multitudinem in arena ab vndis diuulsam, proiectamq; in littus reperiunt. Quæ in arena leguntur, minutis pollent baccis. Conchyliorum eorū caro esui est, vtì nostrarum ostrearum, accōmodata: sed laudabilioris esse saporis illa ostrea ferūt. Fames fortè, omniū escarū optimū condimentū, id fateri nostros monet. An concharū sint corda margaritæ, vtì placet Aristoteli, an fœtus interaneorū, vtì Plinio, & ipsorum sint partus: hęreant'ne perpetuò scopulis, an gregatìm, senioribus ducatum agētibus, pelago vagentur:

Fames, escarum optimum cōdimentum.

gentur:

gentur: ſingulos ꝓcreent, an plures vniones ſingulæ teſtæ, ſemel an iteratò: lima radantur fixæ, an facilè diuellantur, & maturæ prodeant ſua ſponte: molles intra teſtam, an duræ ſint margaritæ: adhuc noſtris eſt incompertũ. Certã propediem ſpero me rationem cõſecuturum, quandoquidem præ manibus rem noſtri habeant. Vbi appulſum Petrum Ariam ducem noſtrorum ſenſero, ab eo per literas petam, vt iſta diligenti veſtiget indagine, mihiq́ꝫ ad vnguem cuncta ſignificet. Scio daturum operam, eſt nanqꝫ mihi amicus. Abſonũ quippe videtur, vt de re tanta muſſitemus, quæ promiſcuè viros ac fœminas, antiquitatem ac noſtra tempora trahit, traxitq́ꝫ præcipites in immoderatũ ſuî deſiderium. Cleopatrarum poſthàc & Aſoporum hiatus ſatiare poterit margaritis Hiſpania. Neque vltrà feracibus Stoidi aut Taprobanæ vel Oceano Indico Erythræo've mari aſſurgetur, aut inuidebitur. Ad inſtitutum redeamus. Tentare per ſuos natatores Vaſchus Chiapæ margaritale prædium ſtatuit. Huic vt morem gereret Chiapes, licèt aduerſo procelloſoq́ꝫ tẽpore, triginta iubet è ſuis vrinatoribus illi arti aſſuetis, properare ad viuaria. Comites è ſuis mittit Vaſchus ſex tãtùm, qui rem inſpectent è littore, nec ſe periculo tempeſtatis credant. Vnà proficiſcuntur. Diſtabat ab Chiapæ regia piſcarium ad littus milliaria fortè decem. Fundũ tentare ob maris iram minimè ſunt auſi. E conchis ſuperciliaribus, & è reiectis vi procellarum ad littus, ſex attulerũt ſarcinas breui dierum numero. Harum carnibus more helluonum depaſti ſunt. Baccæ verò lente aut exiguo cicere nihilo grandiores, ſed nitore candido, quia è crudis euulſæ. Nè mendacij de cõcha-
rum

rum magnitudine arguantur, ad regem vnà cum margaritis, egregiæ missæ sunt pleræq; testæ carnibus exesis. Putamus nullibi terrarum reperiri posse grãdiores. Conchylia igitur hæc, aurumq; vbiq; domorum repertũ, naturam habere in illis tractibus reconditas arguunt immensas opes: qa hæc in digitulo pigmæolo tantùm. De gigantæa manu (Vrabæ nanq; sola est tractata vicinia) quid erit, quandò vniuersas eius adeò vastæ telluris oras, penetraliáque illius secretiora explorauerint? Contentus & talibus inuentis gaudens Vaschus, regredi ad Darienem ad socios, vbì & aurifodinas habent à vico milliaria fortè decem, sed diuersa constituit via. Dat Chiapæ veniam, nè vltrà sequatur: seruet se incolumem, suadet. Mutuis se amplexibus, ferè obortis Chiapæ lachrymis, adstringunt, dexterasq; secedentes dant inuicèm: valetudinarios relinquit, cum incolumibus carpit, ducibus Chiapæis nautis, iter. Traducit agmen per fluuium ingentem minimè vadosum, ad reguli ditionem nomine Teaocham. Audito nostrorum aduentu, quia mores eorum iam vestigauerat, summoperè delectatus est regulus. Prodit obuiàm libens: nostros honoratè suscipit ac salutat amicè: inq; amoris argumentũ auri affabrè laborati Vascho libras offert octunciales viginti: præstantes quoquè vniones ducentos, licèt malè nitidos, quia læsos igne. Datis ergò vtrinq; dextris, Teaochæ munere benè pensato, Chiapæis dat commeatum, id rogante regulo Teaocha, nè suo & ipse desiderio obsequendi nostris defraudetur. Teaocha igitur nostris ex ipsius regia discedentibus non modò dat viæ comites, sed & obsequiaria mancipia, quæ iumentorum vicem gerant ad comportandum hume-

ris

rìs viaticum: quòd eundum esset per deserta syluarum & steriles ac squallidos montes, feris tigribus & leonibus refertos: datq́ꝫ mancipijs in ducatũ regulus charioré è filijs. Salitis piscibus & pane patrio ex iucca & maizio confecto, mancipia onerat: filioq́ꝫ imperat, nè à nostris vnquàm recedat, aut reuertatur, donèc Vascho libeat. Ad regulum, his ducentibus, tendit Vaschus, nomine Pacram, tyrannũ atrocem, finitimorum regulorum hostem infensum, potentiorem cæteris. Is, siue cõscientia scelerũ territus, siue quòd imparem se fore intelligeret, aufugit. Magnos æstus se fuisse passum Nouembri mense lethalemq́ꝫ sitim scribit, quia sit ea pars montium aquis malè fortunata. Perijssent, nisì ostensum ab incolis in abdito syluarum secessu fonticulum agiles duo iuuenes è nostris, aquatum cum cucurbitis & vasis aqualibus quæ Teochenses gestabant, properè adijssent. Ex incolis ausus est nullus è turba secedere, quòd nudos obuiæ feræ impetant. In illis præsertim iugis, & fontis illius vicinia, è domibus, inquiunt, se aliquandò noctù raptari, nisì diligenter soliciteque vectibus & seris clausis domorum ostijs sibi cauerint. Operęprecium erit particularem casum, priusquàm vltrà progrediamur, recensere. A tigride aiunt infestatum fuisse anno superiore Darienem, iactura non minore q̃ ab apro quondàm rabido Calydoniam, aut à leone fero Nemeam. Integro nanque semestri noctẽ aiunt exactam fuisse nullam indemnem, quin vel iuuencam aut equam, canem aut porcũ, intra vici ipsius vias interfecerit. Armenta gregesq́ꝫ iam assequuntur: immò & minimè tutò, referunt, domo exisse quenquam eo tempore, quandò præcipuè catulos alebat: tunc nanque adoriebatur & ho-

De fera tigride.

hominés fame vrgente catulorum, si homines priùs occurrebant, quàm brutum animal. Necessitate cogente tandèm ars inuenta est, qua tanti sanguinis pœnas lueret: exploratis quippe angustijs semitarum, quibus è cauernarũ latebris ad prædã noctù prodire solebat, iter scissum est. Excauatam scrobem cratibus & egesta terra, parte superuacua dispersa, strauerunt. Veniens incautus, mas quidem erat, tigris décidit in foueã, & sudibus acutis in scrobis fundo fixis inhæsit. Rancatu suo vniuersam obtũdebat viciniam, & montes illo stridore reboabant. Saxis ingẽtibus, è fossæ supercilijs in eum sudibus infixum deiectis, peremptus est. In mille assulas & mille frustula, fixa dextra, directas hastas & ab alto iaculatas dirumpebat. Semianimis & exanguis formidine replebat intuentes: quid solutus & incolumis fecisset? Ioannes quidam Ledesma Hispalensis, Vaschi amicus & laborum socius, de tigride illo se comedisse fassus est. Bouina carne nihilo deteriorem esse mihi retulit. Vndè tigridem esse dicant interrogati, qui nũquàm tigridem viderunt: respondent, à maculis, à feritate, à dexteritate, à signisq; alijs ab authoribus datis, tigrim arbitrari. Cùm & pardos & pantheras maculatos ex ipsis plerique se vidisse prædicẽt. Tigride mare perempto, montes versùs vestigia illius secuti, antrum coniugale ipsius domicilium adeunt: duos, absente genitrice, catulos vberibus adhuc matris indigos auferunt. Mutato consilio, quo grandiusculos effectos in Hispaniam post hæc mitterent, ferreis catenis diligenter in colla cõpositis, ad maternum antrũ paruulos reportant lactandos. Post paucos indè dies regressi ad speluncam, catenis nil suo loco mutatis, vacuã reperêre

perêre ſpeluncam. Putant à matre in fruſta præ rabie dilaceratos, ablatosq́; nè quiſquam eis frueretur. Aſſeuérant nanque ſolui è catenis nullo pacto potuiſſe viuos. Pellis perempti tigridis ad Hiſpaniolam, ſiccis herbis & culmo farcta, miſſa eſt ad Almirantum & primores, à quibus hæ nouæ terræ leges & auxilia expectant. Et qui à tigride incommoda paſsi ſunt, & qui pellem eius tractârunt, hæc mihi diſſeruērunt. Quæ dant, accipimus. Ad Pacram, à quo ſumus digreſsi, redeundum eſt. Deſertos Pacræ boios, id eſt, domos, ingreſſus Vaſchus, Pacram nititur attrahere. Per legatos eadem Pacræ ſignificat, quæ cæteris ſignificata memorauimus. Diû Pacra renuit. Detrectanti minæ ſuperadduntur. Venit tandèm tribus regulis comitatus. Deformem adeò ſordidúmque ſcribit Vaſchus ac fœdum eſſe Pacram, vt non turpius quicquam ſe vidiſſe vnquàm fateatur. Humanam tantùm illi formam tribuiſſe naturam, inquit: de cætero brutum animal, agreſte, monſtroſum. Mores, inquit, habitudini ac lineamentis pares. Quatuor vicinorum regulorum vi raptis filiabus, abutebatur libidine deteſtanda. De obſcœnis Pacrę moribus, deq́; iniurijs alteriuſmodi multa per finitimos regulos coram Vaſcho, vtì coram iudice prætorio vel Hercule vltore, iactata ſunt: vt de Pacra ſupplicium ſumeretur, efflagitabant. Belluam immanem cum regulis ipſis tribus, Pacrę dicto parentibus, ijſdémque morbis laborantibus, in bellatorum canum fauces coniecit, illorumq́; lacerata cadauera cremari iuſsit. De canibus cũ quibus ꝑlia ineunt, mira referũtur. Ad indigenas armatos haud ſecùs irruũt ꝓcipites, àc in fugaces ceruos aut feros apros, ſi digito mõſtrentur.

tur. Accidit interdùm nō ensibus, aut sagittis vel telis alijs opùs fuisse ad profligandos hostes obuios: data quippe tessera canibus solutis prǣeuntibus agmen, toruo molossorum adspectu atque insueto latratu perterriti hæsitantes, pugnas ordinesq; stupidi prodigioso inuēto, deserūt. Aliter tamen accidit, quandò cum Caramairensibus & Caribibus manus cōseruntur: ferociores nanq; bellisq; gerendis aptiores sunt. In ruentes canes citiùs fulgure icto venenatas destinā t sagittas, & multos perimunt. Horum verò montium incolæ non sagittis bella gerunt: maccanis tantùm, id est, ensibus ligneis, latis, oblongis, & missilibus, hastisq; præustis, agunt in hostes. A viuente Pacra, vbinàm aurū familiares eius colligerēt, nullis vnquàm blanditijs aut minis vel tormētis potuit extorqueri. Vndè autem illud haberet, interrogatus, (ex eius quippe gazophylacio libras auri triginta fuerant assecuti) respondit: mortuos esse familiares, qui parentum suoq; tempore aurum è montibus illis colligerent: nil fuisse sibi curæ, ex quo excessit à pubertate, de auro quæritando. Diuelli ab hoc proposito instituto nunquàm potuit. Ex hac in Pacram seueritate, finitimorum sibi regulorū animos conciliauit Vaschus. Hinc exortum est, vt vocatos ad se valetudinarios, quos à tergo relictos diximus, regulus qui medius erat itinere recto, nomine Bononiama, transeuntes benignè susceperit, & libras auri puri cælati viginti dederit, esuiq; apta præbuit affluenter: neq; deserere nostros voluit vnquàm, donèc ex sua regia in Pacram illos traduxit, Vaschoq; omnes tanquàm fidele depositum ipsemet dextra tenens quenq; tradiderit, inquiens: Eccè commilitones tuos vir fortissime, eccè quales

mea

mea regia suscepit venientes, tales tibi dedo: vellem incolumiores, sed tibi socijsq́ tuis rependet ille, q tonitrua mittit & fulgura in homines nefarios: & iuccam nobis ac maizium ex bonitate sua præstat per temporum clemẽtiam. Hæc inquiens, in cælum tendens oculos, solem insinuabat. Tu nostros hostes violẽtos & superbos perimendo, nobis, domibusq́ nostris animi trãquillitatem affers. Tu monstra domas: te, sociosq́ tuos præstantes virtute viros, ex alto missos arbitramur: quo sub vestræ maccanæ tutela, nobis liceat impauidis agere vitam. Datori bonorum, ex hac tanta nobis aduecta felicitate, gratias agemus perpetuas. Hæc & huiuscemodi alia concionatum fuisse Bononianam regulum, interpretes aiebãt. Cui Vaschus de comitatu & beneficentia erga nostros gratias retulit pares: multis quippe gratissimis apud ipsos donis ornauit Bononiamam. Multa scribit ab hoc regulo Vaschus se didicisse de illarum partium opulentia: quæ se velle in pręsentiarũm pręterire ait, ad euentumq́ illa citat. Quid sibi velit hæc hyperbole implicita, non intelligo. Magna polliceri videtur, neque ab eius promisso alienum fore iudicandũ est, quin ingẽtes opes indè sperari queant: quandoquidem nullam incolarum domum adiêrunt, in qua thoraces aut pectoralia aurea, vel colli aut lacertorum aurea monilia, non repererint. E nostrorum ego domibus facio coniecturam. Si quis ferri cupiditate stimulatus, sese manu forti conferret in Italiam aut in Hispaniã, quidnam ferri reperiret in domibus? ibì ferream sartaginem, ex ferro cacabum alibì, & tripodes igni appositos ac veruum copiã ad coquinæ necessitatem. Nullibì ex ferro vsui non aptum

quicquam inueniet, magnamq́ȝ ferri copiā assequeretur. Ferrum inesse regionibus ex inuentis coniectabitur. Indigenas illos nihilo maioris facere rude aurum senserūt, quàm nostri rude ferrum æstiment. Hæc ego, beatissime Pater, ex Vaschi Nunnez & commilitonum eius literis & viua voce de rebus illis habeo: tempus autem occulta quæqȝ detegens, ea clariùs patefaciet. Nil egregium in aurifodinis quæritandis potuerunt hi perficere: quoniam è centum nonaginta viris, quos ex Dariene Vaschum eduxisse memorauimus, septuaginta solùm, aut quandò altiùs, octoginta vsus est opera in rebus gerendis: cæteris à tergo semper in regulorum domibus relictis. Sed eos præcipuè in varios ait morbos incidisse, qui recenter ex Hispaniola fuerant aduecti. Hi quippe tantam nequiuerunt calamitatem tolerare, vt ꝓuinciali pane solùm, & herbis agrestibus sine sale, sæpiùs cum fluuiali potu, atqȝ illo interdùm salubri deficiente, contēti, alerent stomachos melioribus escis assuetos. Priores autē Darienenses malis omnibus perferēdis, & esuriei vltimæ suos indurauerant. Vndè longiorem acrioremq́ȝ Quadragesimam, quàm tua Sanctitas ex Maiorum instituto iubeat obseruari, se egisse facetè iactitat. Quadriennium nanqȝ se perpetuum consumpsisse, inquit, terræ frugibus aut arboreis fructibus rarò saturos ipsum & socios: piscibus rariùs vsos, rarissimè carnibus: & eousqȝ deuētum lamentatur, vt scabiosos canes & cœnosas bufones, ac huiuscemodi alia pro delicatis epulis & lautis obsonijs, quandò illa assequebantur, edere fuerint coacti. De his latiùs in superioribus exarauimus. Priores autem appello Darienenses eos, qui Nicuesa & Fogeda ducibus terrā

primùm

primùm captârunt habitandam, è quibus pauci ſuperſtites erant. Hæc iam miſſa faciamus, & Vaſchus per celſa iterùm cacumina mõtium victor reducatur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber tertius.

IN Pacræ regia triginta dies, incolarum animos concilians, & ſociorũ egeſtati conſulens, exegit. Indè, Teaochenſibus ducibus, ripam fluminis Comogri præhendit, à quo & regio & regulus ſibi nomẽ adepti ſunt. Torpentia reperit ea montium latera, horridaq́ꝫ adeò, vt, præter herbas aut radices agreſtes, brutorum eſcas, vel arborum fructus, nil eſui aptum inuenerit. Duo reguli contubernales affines terram infelicem incolebant. Et hominũ & ſoli malè fortunatam faciem fugiens properè, fame ſtimulante, diſcedit. Cotochum ait alterũ è pauperibus regulis, Ciurizam alterum appellari. Ambos trahit viæ duces, Teaochenſibus dato cõmeatu. Per horrentes ſyluas & inuios montiũ anfractus, perq́ꝫ loca paluſtria poſtmodùm & cœnoſas lamas, quæ impoſitis cedunt pedibus, & viatorem plerunq́ꝫ abſorbent incautũ, ſocijs penè fame cadentibus, dies percurrit tres: perq́ꝫ loca benignitatis naturæ ad humanũ vſum expertia: quà rarò aperta itinera reperiebat, quia rarò inter ſe commercia contrahunt indigenæ: bellicis tantũ incurſionibus ſe inuicèm trucidant, aut raptant in ſeruitutẽ: de cætero contenti quique ſuis limitibus. Ad alterius tandèm reguli ditionẽ

appulsi, qui Buchebuéa dicitur, vacua omnia & silentia reperiunt: ad sylvas profugerant & regulus & ditionarij omnes. Missis legatis qui eum adducerent, non modò non iniuriam minantur, verumetiam patrocinium pollicentur. Respondit Buchebuéa, non iniuriæ metu aufugisse: verùm præ pudore atque animi tristitia secessisse: quòd nostros honorificè, vti merebantur, suscipere nequiret: quia nil eis poterat ad victum impartiri. In obseruantiæ tamen & amicitiæ signum, vasa pleraque aurea ad nostros, petita venia de reliquis, libens misit. Visus est miser insinuâsse, ab finitimo se hoste aliquo fuisse spoliatũ, ac superbè crudeliterque tractatum. Indè igitur hiantes fame ac macilentiores discedunt, q̃ eò venerant. Inter eundũ ex transuerso nudi quidam incolæ sese offerũt, è cliuo innuentes. Sistere agmen iubet Vaschus: expectãtur. Quid velint, interrogantur per interpretes quos secum habebat Vaschus. Ità sunt affati: Regulus noster Chiorísus vos salutat. Viros vos esse fortes & iniuriantum domitores, malorúmque debellatores, intellexit: propterea vos tantùm fama notos colit & obseruat. Nil maluisset quàm vos intra regiæ suæ tecta conuiuas habere: beatum se talibus hospitibus fore inquit. Sed quandoquidem sors illi est aduersata, restetque deuius à tergo, in amoris argumentum hæc auri frustula vobis dono dat. Patenas è puro auro triginta cum vrbano subrisu Vascho porrigunt. Maiora se præbituros, si aliquandò ad eos ierint, pollicentur. Vocat Hispanum vulgus patenas, quas collo gestant bullas: & quibus in sacris cooperiuntur calices admissi altaribus. Propterea, patellas mẽsales intelligat, an bullas, non percipio. Puto patellas escales, qa pon-

ponderis erant librarum quatuordecim octuncialium. Prætereà finitimum se habere hostem regulum, & opulentum auro, à quo infestentur quotannis, retulerunt. Quasi inferre volentes, & vos dites efficiet eius reguli excidiũ, & nos amicos à quotidiana liberabitis molestia. Id facile fore, per interpretes enunciant, nostris auxiliantibus, se ducatum agentibus. Bona spe præbita, nuncios Vaschus remisit alacres: verùm ex pensato suo munere beatos, præbitis quibusdam ferreis securibus, quas maioris faciunt, quàm grandes auri cumulos. Auro nanque parùm indigent, pecuniæ expertes mortiferæ: securibus verò ille se Crasso ditiore fieri fatetur, qui vnam assequatur. Ad mille vsus hominum accommodatas esse secures, nudi homines ferunt. Aurum verò ad inanes quosdam appetitus quæritari, quibus carere haudquaquàm est incommodum: neque enim ad eos nostra gula descendit, quæ abacos onerare multiplicibus prægnantes toreumatibus illos, vtì nostra tempora, cogat. Non mensis, non mappis, non mantilibus vtuntur: nisì fortè reguli paucis vasculis aureis mensas ornent: cæteri sumpto dextra pane patrio, & sinistra piscis asßi frustulo aut fructu aliquo, famem propellunt: carnes rarò adipiscuntur. Si verò tergendi sint aliquo vncti edulio digiti, pedum plantam, aut femoris cutem, vel genitalem interdùm crumenam, sibi habent pro linea mappa. Idem de insularibus Hispaniolæ fertur. Crebrò tamen se fluminibus immergunt, & se totos lauant. Auro igitur onusti nostri progrediuntur, sed afflictißimi, & spiritum vix trahentes præ inedia. Pocchorrosæ reguli ditionem offendunt. Maizio pane, qui est vtì paniceus

Insuber, ibì triginta dierũ intercapedine exhaustos repleuerunt ventres. Aufugit Pocchorrosa: blanditijs & promissis pellectus redijt. Mutuis se muneribus afficiunt: solitis Vaschus Pacchorrosam, atque ijsdem recipienti gratissimis: Pocchorrosa Vaschum auri cõflati libris quindecim, & mancipijs paucis. Volens indè discedere, iter sibi fore per vnius reguli ditionem, nomine Tubanama, relatum est. Is est, quem à Comogri filio, potentem esse, atque vniũersę viciniȩ formidolosum, aliâs intellexerant: apud quem è Comogri familiaribus plerique mancipium egerant, bello capti. Tubanamæ potentiam, vtì nunc constitit, à seipsis dimensi fuerant: quandò illa recensebant, q̃ culices ad elephantem illi sint reguli: si sub strenuo & felici duce militãtibus nostris cõparentur, ignaui. Neque transmontanum esse Tubanamam, vti arbitrabantur: neque auro adeò fultum, vtì Comogreus iuuenis praedicauerat, è proximo cognouerunt. De prostrando tamen cogitatur. Hostis erat Tubanamæ Pocchorrosa: propterea illi placuit Vaschi de hoste suo delẽdo cõsilium. In Pocchorrosa valetudinarios relinquit: sexaginta, quos habebat incolumes & animo pollentes, ad se vocat: quid facto sit opùs, illis aperit. Tubanamam regulum iactanter superbeque sępiùs fuisse ipsi & socijs omnibus minitatum: & necessariò per eius ditionem eundum fore, prænunciat. Imparatum censet esse impetendum. Assentiuntur consilio comites: vt rem aggrediatur, suadent & hortantur, secuturos se offerunt. Duorum iter dierum vno peragendum esse statuunt, nè cogendi armatos Tubanamę copia prębeatur. Vtì cogitatum est, ità euenit. Prima noctis vigilia cum Pocchorrosensibus vnà Tubanamæ

namæ regiam adoriuntur. Palantem & imparatum præhendunt: viros apud se duos obsequiarios habebat: fœminas autem per vim & iniuriam à diuersis regulis raptatas octoginta: ditionarijs omnibus, & eius dicto parentibus regunculis, per pagos circunuicinos dispartitis: quia sędato ociabatur animo, nil suspicans. Semotis nanque, non contiguis, habitant domibus, ob furentes ventos: crebris nanque nimbosis typhonibus fatigantur ob repentinos motus aëris ex effectibus siderum in æqualitate diei & noctis: quia sunt, vti aliâs diximus, æquinoctio proximi. Domus autem sunt ligneæ, contectæ circunseptęq; paleis, aut culmo paniceo patrio, vel herbis prouincialibus tenacibus. Tubanamę atrio domus altera tantùm inhærebat non minor primaria: centum & viginti passuum vtriusque domûs longitudinem, latitudinem verò passuum esse quinquaginta, dimensi sunt. Hæ domus ad habendos militum delectus, si quandò bella mouebat Tubanama, paratæ erant. Capitur Tubanama, capitur & Sardanapalicus eius comitatus vniuersus. Insultabant in vinctum Pocchorrosenses, conterminíque omnes reguli. Audita Tubanamæ fortuna, psallebant: nihilo nanque minùs infensum suis finitimis Tubanamam fuisse intellexerunt, quàm fuisse Pacram in diuerticulo ad austrum diximus. Vincto Vaschus dissimulãter minabatur, re autem nil mali Tubanamæ cupiebat. Debitas hîc pœnas tyranne lues, aiebat: te, si huc se conferrent, capillis raptatos Christianos omnes in vicinũ flumen obruturum sæpè apud tuos iactitâsti. In idem flumẽ raptabere miser & obruéris: & vnà iubet hominẽ

 attolli,

attolli, dato tamen socijs veniæ signo. Ità deterritus infelix Tubanama, seriò ista imperari meditatus, veniam, prostratus ad Vaschi genua, petit: se nihil horum dixisse vnquàm, iureiurando asserit. Regulos fortè suos ebrios ista protulisse: regulosq; intemperantes appellans, arguebat procacitatis. Vina quidem illorum, licèt non ex vuis, (vt iam significauimus in nostri agelli primitijs ad tuam Sanctitatem) ebrietati tamen apta sunt. Finitimos etiam in se fuisse ista commentos lamentabatur, & ob inuidiam in se cõflatam, quòd potentior esset, talia confinxisse. Auri se copiam ingentem allaturum promittit, modò ignoscatur. Dexteram affigens pectori, ait se amâsse timuisseq; semper nostros: quòd machanas, id est, enses, nostrorum audiuerit suis machanis esse acutiores, scindereq; acriùs quicqd fiat obuium, intellexisset. In Vaschum dirigens oculos, ait: Quis contra ensem istum tuum, nisi mentis inops, dextram erigere audebit? quo findere potes & soles peruicacem hominem à vertice vno ictu ad vmbilicum? Nè tibi quisquam persuadeat, fortissime viuentium, ex ore meo prodijsse quicquam eiuscemodi. Hæc & multa disseruit, nodũ mortis iam deglutiẽs Tubanama, quandò ad ipsius lachrymosa postulata se flexisse animum Vaschus dissimulat. Placido vultu illũ alloquitur, & data venia solui iubet. Afferuntur intereà ex duobus atrijs libræ triginta puri auri octunciales, in fœminea cõflati monilia. In diem verò tertiũ aliæ portantur à regulis eius missæ libræ sexaginta in temeritatis mulctã. Sed vndè id aurum assequatur, Tubanama interrogatus, negauit è proximo effodi aurum illud. Fuisse ad suos maiores importatum à flumine Comogro in

in auſtrum deriuante, inſinuabat. Pocchorroſenſes verò, cæteriq; illius hoſtes, mentitũ fuiſſe aiebant, diteſcereq; auro regnum illius affirmabãt. Cõtrà Tubanama, nullã in ditione ſua ſe noſcere aurifodinam, perſeueranter aiebat: collectos tamen aliquandò minutos quoſdã alicubì grumulos aureos: ſed de his colligendis ſe minimè fuiſſe vnquàm ſolicitum: quia id fieri ſine longo magnoq; labore nequeat. Dum hæcità tractarentur, ad Vaſchum veniunt in Pocchorroſa poſtergati, appulſiq; ſunt octauo calend. Ianuarij, calce anni M D XIII, perq; mancipia à regulis auſtralibus habita foſſoria tulerunt inſtrumenta, auro apta deligendo. Natalem Domini diem ab omni opere immunem exegerunt. Altero autem ab eo, quo beati Stephani protomartyris ſolenne agimùs, in cliuum parùm à regia Tubanamæ diſtantem, quia terræ colorem dicit ſe cognouiſſe auro gignendo teſtem, foſſores quoſdam ducit. Scrobe ad ſeſquipalmum effoſſa, grumulos lente non grãdiores aureos ſe reperiſſe, cribrata leuiter terra, ſcribit: & tominũ, vt eius vtar vocabulo, qui trapezitarum appellatione, duodecim grana cõtinet, coram notario ac teſtibus collegiſſe, quô rei fides præſtetur. Vndè arguit, finitimorum dictis quadrare telluris illius opulẽtiam, licèt id minimè potuerit à Tubanama extorquere. Putant Tubanamam nihili feciſſe exiguam adeò eam portiunculam: alij pertinaci aiunt ſtomacho Tubanamam negâſſe fortunari auro ſuam tellurem, nè aliquandò ad eam auri cupiditas noſtros trahat vſurpandam. Sed vates fuit bonus regulus. Eam quippe ac Pocchorroſenſem deſtinârunt ad habitandum eligendas, deq; nouis oppidis in vtraq; condendis, modò regi placeat, eſt cõſilium: tum

vt ſint, velutì meritoriæ tabernę, trāſituris ad auſtrũ receptaculũ: tum quia ſit vtraq; tellus quibuſcunq; frugibus alēdis & arboribus ſuſcipiendis aptiſsima. Indè iam diſcedere ſtatuens, tentat obitèr alibì terrã, colorē calculosq; monſtrantē gignendo auro cōſonos. Paulò vltra cutē effoſſa breui ſcrobe, peſum, quod Caſtellani aurei pondus eſſe diximus in primitijs primis ad Beatitudinē tuã: nō tamen vno grano, ſe reperiſſe perhibet. His rerũ argumentis lætus, Tubanamæ ſpem felicis ſucceſſûs pollicetur, modò neminem infeſtet ex his quos ipſe amicos in conterminis linqueret. De auri copia colligenda ſuadet. Sunt qui ferant abduxiſſe Tubanamæ fœminas omnes, ſpoliatumq;, nè inſoleſcere queat, reliquiſſe. Filium illi ſua ſponte prębuit alendum Tubanama, quô verſans inter noſtros, linguam & mores noſtrorũ perdiſcat, & religione imbuatur, vt aliquandò ſit eius inſtitutio vtilis genitori ad fauorē cōciliandum. Vrgebatur acri febre Vaſchus eo tempore, ex immenſo labore vigilijsq; & inedia, propterea indè diſcedens, mancipiorum humeris penſilem portari ſe iubet. Feruntur & indè penſiles in amachis, id eſt, goſſampinis lodicibus, grauibus confecti ægritudinibus. Quibus autem vires aliquæ ſuppetebãt, neq; incolumes, tamē cruribus hebetibus, dextris incolarũ ſub alas præhenſi ſubleuabantur. Ad Comogri tandèm reguli amici relicti, de quo ſuprà lata mentio facta eſt, ditionē appulſus, mortuũ eſſe reperit ſenē, filiumq; ipſius, quē aliâs à prudentia laudauimus, genitoris loco ſuffectum intellexit, Carolumq; vocari baptizatum didicit. Eſt huius Comogri regia in radicibus cliui benè culti ſita: planitiē habet à meridie lequarum duodecim latam, vberem. hanc Zauánam

vocant

vocant incolæ. Planitie ſuperata, montes occurrũt altiſsimi, quos diximus dirimere duo illa maria. A cliuis mitibus fluuius ſcatet Comogrus, qui planitiem illam interluens, montes petit arduos, perq́ illorum valles reliqua flumina ſuo alueo ſorbendo, viam reperit ad auſtrale pelagus. Diſtat à Dariene lequas circiter ſeptuaginta Occidentẽ versùs. Noſtris igitur aduẽtantibus pſallens alacerq́ prodit obuiã Carolus regulus: edulijs potubusq́ ſuauibus noſtros recreat: hoſpitio ſuſcipit honorificè. Mutuis ſeſe muneribus afficiunt. Laborati auri libras octunciales viginti porrigit Vaſcho regulus. Vaſchus non minùs grata repenſat: ſecures putà, fabriliaq́ inſtrumenta quædam, ad carpentariã artem facientia. Sagulo etiam atq́ interiore texta linea, pro temporis anguſtia, Comogrum ornauit. His donis ſe inter vicinos heroëm effectum exiſtimauit Carolus. Comogrum & reliquos omnes cõmonefactos reliquit, nè vnquàm ab obſeruantia & fide erga Caſtellæ reges diſcedant, ſi viuere vitam tranquillã exoptant. Vtq́ ſtudioſiùs poſthàc aurum magno illi Tiba, id eſt regi, offerendum cõgerant, hortatus eſt. Hac via paraturos ſibi ſuisq́ poſteris ab omni hoſtium inſolentia patrocinium, & noſtratium rerum copiam affluentem, enunciat. His ità confectis, iter ſuum proſequitur ad Ponchæ regiam: vbì quatuor è Dariene veniſſe iuuenes reperit ipſum admonituros, appulſa eſſe nauigia benè fulta commeatibus ex Hiſpaniola. Eò nanque ſe rediturum, quacunquè ab auſtro regredi fas foret, fuerat pollicitus. Quarè ſumptis viginti è cõmilitonibus incolumioribus, longis itineribus ad Darienẽ ipſe ꝓficiſcitur: cæteris, vt ſe; pedetentim ſequãtur, poſtergatis. Quartodecimo

Kal.

Kal. Febr. anni 1514. ſcribit ſe deuectum ad ſocios. Data verò literarum ipſius eſt: Ex Dariene, quarto Nonarum Martij. priùs nõ licuiſſe, nulla priùs diſcedente naui, inquit. Scribit ſe illinc duo miſiſſe nauigia, quibus poſtergati aduehantur. Et iiſdẽ literis multa ſe inijſſe certamina iactat, nunquàm verò fuiſſe percuſſum, aut è commilitonibus amiſiſſe vllum pugnando. Nulla eſt propterea magnæ ipſius epiſtolæ pagina, quæ gratiarum actionibus referta nõ ſit, quòd à tantis totq; diſcriminibus & laboribus euaſerit. Nullus eſt eius actus, nulla peregrinatio ſine cælitibus inuocatis, Deipara Virgine præeunte ſemper. E violento igitur Golia in Heliſeum, ex Antæo in Herculem portentorum domitorem, transformatus hic noſter Vaſchus Balboa fuiſſe videtur. Mutatus ergò ex temerario in obſequẽtem, honoribus & beneficentia dignus eſt habitus: & in catholici regis gratiã receptus, diplomate regio Præfectus militũ eius regionis eſt creatus. Hæc & literæ Darienenſium & viuæ venientium voces retulerũt. Quid autem ego, beatiſsime Pater, è propinquo de hiſce rebus ſentiam, fortè cupies intelligere. Mea eſt hęc opinio ſimplex: & militaris ſcribendi referendiq; Vaſchi & ſociorum ſeries, res ità accidiſſe, teſtari videtur. Nõ per effoſſos ergò cuniculos ad infernos mánes, non per milliaria multa, non per intolerandos labores, & varia vitę diſcrimina, ſcindendo montes, deſcẽdet Hiſpanus quęſitum opes in viſcera terræ: ſed ex ipſius cute, vix è ſolo ſupercilio ſcrobibus effoſsis, vel ex fluuiorum ripis æſtate ſiccatis, leuiter abluta tellure, aurum, modò perſtent inhabitãdo terram, colligetur: faciliq; indagine margaritæ reperiẽtur. Tanti muneris expers fuit, vtì Coſmetræ omnes aſſentiuntur,

tiuntur, venerãda vetuſtas: quoniam ad has gentes itum eſt nũquàm hactenùs ſtructis ordinibus: ipſæ verò nullo indigæ vel paruo, minimè hoſpites velint: immò, vtì latè oſtendimus, adeuntes feroci cõgreſſu excipiunt, nec ſe, nisì bello ſuperatos, tractari patiuntur: ſi pręcipuè in edaces humanarũ carnium nouos anthropophagos, quos diximus Caribes, aliâs Canibales, appellari, inciderint: quoniam hi ſagaces hominũ venatores, nulli alteri exercitio intenti, agunt ætatem, præterquàm vel agrorũ cultui ſuo more, vel rei bellicæ ad homocupium. Hi ergò veniẽtes noſtros, velutì apros aut ceruos in eorum venabula vel retiâ caſuros expectant, & ſecum taciti ſpe prædæ labia lambunt. Si profligauerint, epulantur lautiſsimè: ſi autem ſe impares fore arbitrantur, fuga ſaluti conſulunt, & elabuntur vento celeriùs. Si apud aquas res agitur, demerſi gurgitibus tam viri quàm fœminæ haud ſegniùs adnatant, àc ſi perpetuò in aquis degerent, & ſub aquis victum quæritarent. Non mirum ergò, ſi tractus hi vaſtiſſimi ſunt pro ignotis relicti. Per hæc inuenta igitur Chriſtiana religio, cuius tu apicem tenes, in immenſum brachia protẽdet. Multas hominum, vtì in initio diximus, myriadas, tãquàm nouum pulliculorum fœtum ſub alîs, tua Sanctitas fouebit accerſitas. Beragua nanque à Colono primùm reperta, ſiniſtris mox auibus à Diego Nicueſa tractata, nunc deſerta repetetur: ac reliquæ illius telluris amplæ regiones omnes, ex efferis & agreſtibus, ad cultum politicum & veram religionem paulatim reducentur.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE
Decadis tertiæ, liber quartus.



IC ſiſtere, Pater beatiſsime, ſtatueram: ſed igniculus quidam tortor animi, producere parũper ſermonem hortatur. Beraguã, dixi, primò repertã à Colono. Defraudare virum, & admittere ſcelus mihi viderer inexpiabile, ſi labores toleratos, ſi curas eius perpeſſas, ſi deniquè diſcrimina quæ ſubiuit ea nauiga-tione, ſilentio præterirem. Is à ſalute noſtra 1502 ſexto Idus Maij cum claſsicula nauium quatuor, cuparum in ſingulas quinquaginta & ſexaginta, cumq́ꝫ hominibus centũ ſeptuaginta, ſoluit è Gadibus: & felici curſu Canarias præhẽdit in diem quintũ. Indè appulſus eſt ad inſulã Dominicam, quæ Caribiũ eſt patria, die ſextodecimo: captauit è Dominica Hiſpaniolã die quinto. Sexto igitur & vigeſimo die, vẽtis lapſuq́ꝫ oceani ab Oriẽte in Occidentẽ fluentis adiuuantibus, ab Hiſpania nauigauit ad Hiſpaniolã: qui curſus mille ac ducentarũ lequarum à nautis eſſe perhibetur. In Hiſpaniola, ſiue libẽs, ſiue monẽte prorege, parùm moratur, Occidentẽ rectà ſecutus, Cuba Iamaicaq́ꝫ inſulis à ſeptẽtrione in dextrã relictis, in inſulã ſe incidiſſe meridionaliorẽ Iamaica ſcribit, nomine incolarũ Guanaſſa, virentẽ vniuerſam, vberemq́ꝫ ſuprà quàm credibile cuiquã ſit. Eius inſulæ littora percurrẽs, duobus occurrit prouincialibus monoxylis, de quibus ſatis latè diximus in ſuperioribus. Reſtibus iugata mãcipia nuda trahebãt, vtì

vti aduersis fluminibus solet fieri. Monoxylis pri marius insularis vehebatur, cum vxore ac liberis nudis omnibus. Nostris, qui descẽderant in terrã, superbè mancipia innuebãt, ex heri mandato, vt cederẽt veniẽtibus: minabãtur recusantibus. Tanta est eorũ simplicitas, vt nec veriti sint neq; admirati nostrorũ vel nauigia, vel potẽtiã, aut multitudinẽ. Putabant nostros, ea qua ipsi reuerentia colebãt herũ, assurrecturos. Ab alienis terris mercatorẽ esse redeuntẽ intellexerũt. Nundinas exercent: nũdinarias merces ille ferebat, aurichalcea tintinnabula, nouaculas, cultellosq; ac secures è lapide flauo, diaphano, lucido, genere quodã ligni tenaci manubriatos: vtensilia etiã, coquinariaq; vasa & fictilia, arte mira è ligno partim, partìm ex eodẽ marmore laborata: sed lodices præcipuè supellectiliaq; gossampina varijs intexta coloribus, vehebat. Dominũ & vniuersam eius familiã, remq; oẽm præhenderũt. Solui tamẽ mox Præfectus illos iussit, & rerũ partẽ maiorẽ restitui, quo beneuolos redderet, imperauit. De natura terræ vlterioris ad Occidentem didicit: rectà carpit iter ad Occidẽtem. Ad milliaria decẽ, paulò ampliùs tellurem reperit vastã, nomine incolarũ Quiriquetanã: ipse verò Ciambã nuncupauit. Rem diuinam in littore iussit celebrari. Habitatoribus nudis plenã reperit. Hi mites & simplices, posito timore, ad nostros, vt ad rẽ mirandam, prouincialibus cibis & aqua recenti onusti, cõfluebant. Oblato munere, versis vestigijs, capite obstipo, reuerẽter retro cedebant. Pẽsauit munera illorũ muneribus rerũ nostrarum, calculorum putà vitreorum sertis, & speculis quibusdã, acubusq; ac spinteribus, & huiuscemodi mercibus illis peregrinis. In magno illo tractu regiones

sunt

ſunt duæ: Taia hæc, Maia illa appellatæ. Vniuerſam ſcribit terram illam eſſe ſalubrem, amœnam, clementia cæli fortunatam optimè: nulli terrarũ vbertate agrorum poſtferendam: temperie mira præditam: & montanã refert partìm, partìm lata planitie nobilem: arboriferam vbiquè, herbidamq́ꝫ, ac perpetuo vêre autumnoq́ꝫ gaudentem: arboribus toto anno frondentibus & pomiferis. Ilicetis pinetisq́ꝫ ait eſſe refertam: ac palmarũ generibus ſeptem, quarum aliꝫ dactyliferæ, ſteriles aliꝫ ſunt. Pelgoras vuis pendentibus maturis, ſed labruſcis, terra gignit ſuapte natura inter arbores. Tantã refert eſſe apud hos ſuauiũ vtiliumq́ꝫ fructuum natiuorum copiam aliorum, quòd de vuis colendis nulla ſit cura. Ex palmarum quodã genere machanas, id eſt, enſes ligneos latos, & iaculares haſtas, conſtruunt. Goſſampinas arbores nutrit ea tellus vulgò. Myrobalanos etiam diuerſarum ſpecierũ, emblicos putà & chebulos, medicorum appellatione. Maizium & hæc terra generat ac iuccam, ages & battatas, vtì cęterę regiones illæ. Eadẽ & leones nutrit ac tigrides, ceruos, capreolosq́ꝫ, & huiuſcemodi animalia. Volucres etiam diuerſas, inter quas pro altilibus habẽt eas, quas pauonibus fœminis, colore ac magnitudine ſimiles eſſe, guſtu etiam & ſapore, diximus aliquãdò. Procéros eſſe aiunt, ac pulchrè formatos incolas vtriuſque ſexûs: quos ait pudenda tegere goſſampinis velaminibus intextis diuerſis coloribus. Ad elegantiam ſeipſos depingunt, quorundam pomorum ſucco, ad id in hortis nutritorũ, nigris ac rubẽtibus, vtì Agathyrſos legimus. Totum, inficiunt, alij corpus, partes alij, pleriq́ꝫ autem tractìm flores aut roſas effigiant, aut implicitos laqueos, prout cuiq́ꝫ ſedet appetitu. Idiomata
ſunt

ſunt penitùs alia ab inſularibus conuicinis. More torrentis, aquæ fluebant ad Occidentem. Statuit tamen Orientem eius terræ quærere, animo vertens Pariam, Osq́ꝫ Draconis, & alias quas iam deſcripſimus ab Oriēte repertas oras, cōtiguas eſſe, vtì erant, exiſtimans. Ex ampla igitur Quiriquetana decimotertio calēdas Septembris ſoluit. Ad lequas triginta fluuium reperit, extra cuius oſtiū dulces hauſtus ſumpſit in mari. Littus erat ſcopulis & rupibus purgatum: fundo ad iaciendas ancoras vbiquè apto. Tantam ſcribit vim fuiſſe oppoſiti torrentis oceani, quòd diebus quadraginta lequas vix potuerit ſeptuaginta percurrere: claudicando ſemper & gyris per altū agendo claſsiculā, procedebat: interdumq́ꝫ ſe repulſum & retrò raptum reperiebat impetu aquarum, terram captare volēs ad veſperum, nè per noctis tenebras in ignotis littoribus naufragarētur. Intercapedine lequarum octo, tria ſe ingentia flumina nitidarum aquarum ſcribit reperiſſe: in quorum marginibus cannæ craſsiores humano femore gignebantur: piſciumq́ꝫ ac magnarum teſtudinum copiam ingentem: & pleriſq́ꝫ in locis crocodilorum multitudinē, in arena vaſto hiatu ſolem captantium. Varia etiam animalia, quibus nomen non dedit. Variamq́ꝫ refert eius telluris faciē eſſe, ſaxeam alicubì & promōtorijs fultam ſquallidis ac rupibus ambeſis: alibì benignitate ſoli, nulli terræ cedentem. Varia etiam in varijs orîs regum & primariorum nomina. Vocant regulum Cacicum, vt aliâs diximus: alibì Quebi, Tiba verò alicubì. Primarium autem, alicubì Sacchum, alibì Iurá. Eum qui ſtrenuè ſe geſsit in pugna hoſtili, & ſignatam cicatricibus faciem oſtentat, cupram appellant: habentq́ꝫ pro heroē. Vulgum nuncu-

pant chyuis: hominem, alicubì dicunt homem. Accipe homo, si quis dicere voluerit, hoppa home, dicet. Alius deindè fluuius grandibus nauigijs aptus occurrit: ante cuius fauces quatuor insulæ paruæ, floridæ atq; arboriferæ iacebant, quæ portum efficiebant. Has Quatuor Tempora vocitauit. Ab his, ad lequas tredecim, ad Orientem semper cõtra vim aquarum tendens, duodecim paruas præhendit insulas: has quia præditas nouo genere fructuum, limones nostros æmulantium, Limonares appellauit. Eádem via pererrans ad lequas duodecim, magnum reperit portum, lequarum trium spatio sese in terram insinuantem, pauloq; minùs latum: in quem fluuius ingens cadebat. Ibì amissus est postmodùm Nicuesa, Beraguam quæritans, vtì suprà diximus: vndè Perditorũ fluuiũ recentiores nuncupârũt. Continuo cursu tendens cõtra pelagi furorem Almirantus Colonus, varios reperiebat montes, valles varias, fluminaq; ac portus: spiritus rerum omnium suaues fuisse atque recreantes naturam refert: Neque incidisse in aduersam valetudinem è socijs quẽquam ad regionem vsque, incolarum appellatione, Quicurí, vltima acuta: in qua portus est Cariai: ab ipso Almiranto Myrobalanus appellatus, quia natiua sit ibì arbor illa. In hoc portu Cariai sese obijciunt circiter ducentum incolę, manu gestantes terna quaternaq; iacula: mites tamẽ, & hospitales: sed quid sibi gens hæc noua quæreret, parati expectantes. Colloquia petunt: dato signo pacis, natando nostros adeunt, commercia ineunt, permutationem rerum postulant. Dari è nostratibus rebus, ad eorum beneuolentiam captandam, Almirantus, sed gratuitò, imperat. Per signa gratiam recusant: neque enim vllum

vllum ex horum idiomate vocabulum percepe-
runt: fraudem aliquam inesse nostris donis su-
spicati, quòd ipsorum oblata nostri recipere re-
nuissent. Quicquid fuerat impartitum, in littore
liquerunt. Tanta pollent Cariairenses vrbanita-
te, atque animi benignitate, vt magìs dare, quàm
accipere, studerent. Puellas ad nostros, virgines
formæ elegantis, misêre duas: quas vt abducere
liceret, insinuabant. Hæ, vt cæteræ fœminæ, pube-
tenùs fascia tegebantur gossampina. Is enim est
fœminarum Cariairensium mos: virorum au-
tem, nudè agere. Scindunt & crines fœminæ: viri
nutriunt occipite, à fronte radunt, colliguntq́;
vittis candentibus, & in orbem circunducunt ca-
piti, vtì nostrates videmus puellas. Almirantus
indutas ac benè donatas, cum rubro laneo pileo-
lo genitori earum præbendo, remisit. Sed cuncta
iterùm in littore locata sunt, quia ipsorum dona
recusâssent nostri. Duos tamen viros, & eos non
inuitos, secum aduexit, quo vel illi nostram, vel
nostri Cariairensem perdiscerent linguam. Maris
æstu parùm quati tractus illos cognouit, quòd
haud secùs littori àc fluuiorum ripis arbores in-
hærerent. Idem aiunt & cæteri oras illas tractan-
tes, exiguo fluxu ac refluxu omniū illarum terra-
rum, insularum etiam littora madefieri. In huius
terræ ꝓspectu, inquit, in mari ipso gigni arbores
quę ramos incuruent, postq̄ altiùs emerserint, ad
profundū: quo applicatæ cuspides, vtì propagi-
nes vitium, solo demersæ, radices creant, & in sui
generis arbores ꝑpetuò virētes ꝓdeūt. De huius-
cemodi arborib⁹, Plinius in duodecimo natura-
lis historiæ: sed in arido solo, non autem in mari.
Animalia nutriri in ora Cariai eadem, quæ alibì dixìmus: sed vnū reperêre naturæ longè dissonę. *Rarū ani-mal.*

 Id est

Id est grãdi cercopitheco par, cauda lõgiore proceriore'q;: cauda suspensus, & vim, ter'q; quater'q; sese deuoluens, capiendo, ex ramo transilit in ramum, & ex arbore sese proijcit in arborem, àc si volitaret. Arcuarius è nostris vnum sagitta confixit. Vulneratus sese deijcit cercopithecus, hostẽ vulneratorem rabidus adoritur. Stricto ense agit in pecus venator: lacertum cercopitheco abscidit, cepit'q; mancum ferociter renitentẽ. Ad classem perductus, mansueuit inter hoĩes parumpèr. Dũ sic ferreis vinctũ catenis seruarẽt, è littoribus trahũt paludibus aprũ venatores alij. (Cogebat nanq; carniũ desideriũ nemora perlustrare.) Cercopitheco aper & ipse ferox ostenditur: setas excutit vterq;: in aprum cercopithecus furibundus salit, cauda circunligat aprum. Cum seruato à venatore victore suo lacerto, guttur apro præhendit: reluctantem aprum suffocauit cercopithecus. Hæc & huiuscemodi monstra nutrit alia tellus illa. Seruant & Cariairenses desiccata cratibus procerum & parentum cadauera, folijs arborum inuoluta: populo nemora syluæ'q; sunt addicta sepulcris. Procedentes ex Cariai ad lequas viginti circiter, sinum reperêre amplum adeò, vt in gyrum putent lequas continere decem. Quatuor insulæ paruæ, feraces, exiguo discretæ interuallo, sinûs faucibus obiectæ, tutum efficiũt portum. Is est portus, quem aliâs diximus appellari ab incolis Cerabaró, vltima acuta: sed vnũ eius littoris latus, tantùm ita vocitatum nunc didicêre, atque id dextrum, ingrediẽdo: læuum autem, Aburéma nuncupatur. Insulis, inquiunt, vniuersum feracibus & frequentibus celebrem esse, atq; arboriferis: fundo ad ancoras iaciendas vbiquè apto nitido'q;, ac mira piscium copia pollẽntem.

Vtra-

Vtraque terra adiacens, vbertate soli, nulli terrarum eorũ iudicio cedit. Duos incolas ad manus habuêre. Colla incolæ monilibus, quæ appellant guanines, aureis, in aquilas aut leones vel animalia huiuscemodi affabrè effigiatis, ornant: sed aurum id minimè purum esse cognouerunt. A duobus illis Cariairensibus, quos abductos diximus, nostri didicerunt Cerabaroam & Aburemam regiones, auro dites esse, Cariairensesq́ue rerum suarum permutatione vniuersum aurum quo ornantur, ab his adeptos fuisse. Quinque pagos auro legendo egregios inesse Cerabarois & Aburemanis regionibus à littore in internis distantibus non longo tractu, Cariairẽses nostris aperuerũt: commercia nanque à maioribus eorum vtræque nationes frequentârũt semper. Pagorum nomina hæc esse perhibentur: Chirará, Purén, Chitazá, Iuréche, Ataméa. Viri omnes Cerabaroæ prouinciæ, nudi sunt penitùs, sed varijs depicti modis: sertis floridis, & coronis ex leonum & tigrium vnguibus contextis oblectantur. Fœminæ angusta gossampina vitta pudenda tantùm contegunt. Hinc iam tandèm egressi, per idẽ littus ad lequas octodecim, in fluminis reperti ripa occurrunt viri nudi tercentum, sublatis clamoribus minitabundi, expuentes in nostros, aqua sumpta in os, aut littoralibus herbis. Iaculando missilia, vibrandoq́ue hastas & machanas, (enses diximus esse ligneos) à littore arcere nostros conabantur. Depicti varijs modis erant: alij, præter faciem, corpus vniuersum, tractìm alij. Pacem nolle se, aut commerciũ vllum cum nostris, insinuabant. Solui tormenta quædam in illos, sed ab alto, nè perimerẽt quenquam, imperat. Hoc enim semper sedit Coloni animo, vt pacatò ageret cum nouis gentibus.

Fragore discussæ balistæ bõbardæ perterriti sternuntur omnes. Pacem optant. Commerciantur inuicèm, guaninorum aureorum, ex aduerso calculorum vitreorum atq; huiuscemodi rerũ permutatione. Tympana hi habent & marina conchylia, quibus ad excitandos animos pugnæ tempore vtuntur in bellis. In eo tractu flumina sunt, Acatéba, Quaréba, Zobróba, Aiaguitín, Vridá, Duribbá, Beragua: in omnibus aurum colligere licebat. Folijs arborum latis ab æstu pluuiaq́;, penularum loco, se tuentur. Oras indè perlustrauit Ebeteré & Embigár: in his flumina labũtur, dulcium aquarum & pisciũ copia, egregia, Zahorán & Cubigár. Hîc sistit auri vbertas, quinquaginta circiter lequarum tractu. Distat indè lequas tantùm tres ea rupes, quã in infausto Nicueſę discursu diximus appellari Pegnonem à nostris: incolarum autem appellatione, regio dicitur Vibbá. In quo etiam tractu est portus ad lequas tantùm sex, quẽ Bellũ diximus à Colono vocitatũ: cuius regio Xaguaguará dicitur ab incolis. Populis est ea tellus vniuersa frequens, sed nudis. In Xaguaguara regulus nigro, populus rubro, coloribus fucantur. Regi & primarijs septẽ, è naribus pendebat aurea lamina, labiorũ tenus. In hoc ornatu summũ putant esse decorẽ. Testa marina viri pudẽda includũt: fœminæ góssampina tegunt vitta. In hortis hi pineæ nuci fructum similem nutriunt, quem diximus aliâs è frutice nasci, velutì carduo, sed mollem & regia dignum esca. Cucurbiteas quoquè arbores ad potûs ferẽdi vsum. De his latè aliâs. Vocant arborem Hibuéro. Crocodilis alicubì occurrebant, qui cùm aufugerent aut mergerentur, odorem à tergo musco vel castoreo suauiorem relinquebant. Nili accolæ de

croco-

crocodilo fœmina idem mihi retulerunt: de abdomine pręsertim, quod Arabicos æquet odores quosque. Regressus hinc est Almirantus cum sua clasicula: tum quia nequibat aduersum aquarũ cursum sustinere, tum etiam quia magis ac magis indiès nauigia putrescebant, atque terebrabantur vermium aculeis, qui ex aquarum tepore in vniuersis tractibus illis; æquinoctio ferè suppositis, gignuntur. Bissas vermes illos mercator Venetus appellat. Hos & Alexandrini duo portus Aegyptij generant: nauesq; labefactant, si diù in ancoris morentur. Cubitales sunt, & interdũ longiores: digitulo nunquàm crasiores. Hispanus nauta pestem hanc bromam vocat. Bromam igitur veritus Colonus Almirantus, & renitente pelago vexatus, secundo oceano ad Occidentem regreditur. Hiébram fluuiũ à Beragua fluuio duas distantem lequas, quia sit maioribus nauigijs suscipiendis aptior, captat. A Beragua minore, regio nomen tenet: quia vtriusque fluminis possessor regulus Beraguam inhabitat. Quid dextrum, quid've sinistrum hìc acciderit, dicamus. Stans in Hiébra Colonus, fratrem suum Bartholomæũ Colonum Hispanioę Adelantatum, cum cymbis seruitorijs & hominibus octo & sexaginta, mittit ad fluuium Beraguã. Obuius fit Adelantato cum patrijs monoxylis secundo flumine regionis regulus, more patrio depictus, nudus, cum ingenti comitatu, sed inermis. Cùm primùm ad colloquium deuentum est, reguli familiares de quiete sui heri anxij, & maiestatis regiæ memores, nè stans regulus negocietur, saxũ è ꝓximo sumptum in ripa lauant, confricantq; decẽter, & reuerenter allatum, regulo supponunt. Sedens regulus, per signa visus est annuere, vt nostris liceat

 ditio-

ditionis eius flumina percurrere. Sexto Idus Februarij, pedes Adelantatus aduersa tẽdit Beraguæ fluuij ripa, cymbis relictis. In Durabám fluuium íncidit. Hunc Hiebra & Beragua inquit esse ditiorem auro. In omnibus quippe terræ illius fluminibus aurum gignitur. Inter arborum radices ripis inhærentes, interq́; saxa & lapillos à torrentibus relictos, & vbicunquè scrobes ad sesquipalmum effodiebant, egestam reperiebant terrã auro mixtam. Propterea figere ibì pedem fuit consilium: sed incolę futuram perniciem olfaciẽtes, vetuerunt. Facto agmine, cum horrendo clamore ruunt in nostros, qui domus ædificare iam cœperãt. Primos impetus vix sustinuêre nostri. Certârunt eminùs crebris missilibus primò Barbari nudi: mox cominùs strictis ensibus ligneis, quos diximus nuncupari machanas, rabidi pugnare cogitârunt. Dictu mirandum: tanta erat concepta in eis iam ira, vt neq; arcubus aut scorpionibus, & quod maius est, neque bombardarũ è nauibus iactarum fragore terrerentur. Cesserunt loco semèl. Iteratò, maiore numero comparato, redeũt ferociores. Satiùs emori fore iudicãt, quàm perpeti patriam occupatum iri à peregrinis. Hospites benignè susceperant, habitatores recusant. Quo magìs instabant nostri, eo maior finitimorũ multitudo cõfluebat. Nocte dieq́; à fronte modò, modò à lateribus vrgebãtur nostri. A tergo stans in littore classis, tutos reddebat. Deseruêre igitur terram hanc, & quà venerant, regrediuntur. Iamaicam insulam Hispaniolæ Cubæq́; collateralem à meridie, nauigijs in cribrorum modũ pertusatis à broma, vt Hispano vtar vocabulo, vix præhendere potuerunt: ferè ex itinere periêrunt. Viribus lacertorum, exhaurientium maris aquas per

per amplas rimas ingredientes, vitæ diſcrimen euaſerunt tandèm, & ad Iamaicam ſemianimes appulſi ſunt. Obrutis ibì nauigijs omnibus, intercepti, vitam egêre menſibus decem, Vergiliani Achemenidis vita, in nudorum Barbarorum poteſtate, calamitoſiorem: eius terræ cibis contenti, ſi quandò Barbaris placebat impartiri. Profuit noſtris odiū capitale, quo ſeſe inuicèm Barbari reguli proſequuntur: vt enim noſtros fautores haberent, ſi quandò cum finitimis hoſtibus bella ingruerent, pane aliquandò patrio famelicos recreabant. Sed quàm miſerū & & ærumnoſum, Pater beatiſsime, ſit, mendicatò panē adipiſci, coniectet tua Sanctitas: vbì præſertìm cætera deſint, vinum putà, carnesq́, vel omne preſſi lactis genus, quibus Europæorum hominum ſtomachi, à cunis ſolent enutriri. Fortunā tentare neceſsitas coëgit. Per œconomū ſuum Diecum Mendez, ducibus tamen Iamaicenſibus, duobus eorum littorum peritis, quid de ſe Deus cogitet, ſtatuit experiri. Canóam conſcendunt mari iam vndoſo. E ſcopulo in ſcopulum, è rupe in rupem quaſſatus vndis, ob nauigioli breuitatem & formam, appulſus eſt iam tādèm Diecus Mendez ad vltimum Hiſpaniolæ angulum, è Iamaica diſtantem lequas quadraginta. Spe munerum, ab Almiranto Colono promiſſorum, Iamaicenſes læti reuertuntur. Ipſe pedes ad ſanctū Dominicum, vrbem primariam metropolitanā, proficiſcitur. Duo noſtratia comparat nauigia, dominum adit. Inualidi omnes, & egeſtate rerū extenuati, veniunt ad Hiſpaniolā. Quid indè illis ſucceſſerit, non intellexi. Ad generalia redeamus. Vniuerſos tractus illos, quos percurriſſe Colonum diximus, ipſe ſcribit, idemq́ fatentur

omnes laborum socij, toto anno esse frondosos, virentes, amœnos, & quod maius est, salubres, in quibus ex vniuerso comitatu nullus vnq̃ ægrotauerit: neque horrenti frigore vnquàm, aut æstu feruido, quinquaginta leguarum intercapedine, à Cerabaró magno portu ad vsque Hiebram & Beraguam, vexatum se fuisse iactat. Cerabaroi populi, quique iacent medij ad Hiebram vsque Beraguam, non nisi certis anni temporibus auro intendunt quæritando. Suntq́ negociationis eius opifices exerciti, vtì apud nos argenti ferríque fodinatores. Quæ loca magìs auro fortunentur, à specie defluxi torrentis, à terræ colore, aut huiuscemodi argumentis, longo hi callent experimento. Credunt inesse auro numen, quandoquidem ad id negocij minimè tendunt inexpiati, ex priscorum religione: putà qui à coitu & omni oblectamento abstinent, cibisque ac potu parcissimè vtantur, vniuerso legendi auri tempore. Viuere tantùm ac mori datum hominibus, vt cæteris animantibus, arbitrantur, propterea nihil colunt aliud. Solem tamen venerantur, & surgentem ab horizonte reuerenter excipiunt. De montibus & terræ situ sermo trahatur. Ex vniuersis illarum regionum littoribus, vastos attolli montes à meridie, sed protentos ab Oriente in Occidentem continuo tractu, prospicitur. Quarè ità disterminari duo illa magna maria, de quibus aliâs latè fecimus mentionem, his aggeribus, nè inuicèm collidantur, existimamus: velutì Tyrrhenum Italia dirimit ab Adriatico. Quacunquè enim proficiscantur, ab ea cuspide sancti Augustini, quæ ad Portugallenses attinet, ad Atlantem spectante, Vrabam vsq; ad Cerabaroum portum, atque vltimas ad Occiden-

Religiosè aurum legitur.

cidentem terras alias ad hunc vſque diem repertas, perpetuo tractu eminùs cominúsque ſeſe montes nauigantibus offerunt: nunc lenes, elati nunc, modò aſperi & petroſi, arboriferi, herbidíq; atque apti culturæ modò: vtì accidere ſolet in Tauro, noſtríq; Apẽnini coſtis varijs, reliquis etiam huiuſcemodi vaſtis montibus. Vallibus quoquè egregijs horum, vtì aliorum, montium interſecantur iuga. Ea pars montium, quæ Beraguæ fines recipit, ſuperare ſuis verticibus nubes creditur: raróque cerni eius culmina dicunt, ob nubium & nebularum ferè continuam denſitatem. Quinquaginta ampliùs attolli milliaria Beraguenſia cacumina contendit Almirantus ipſe, qui ea omnium primus explorauit. In eádem prætereà regione, inquit, ad montium radices iter eſſe apertum ad auſtrale pelagus: & Venetias comparat cum Genua, ſiue mâuis Ianua, vtì eius ciues iactitant, qui à Iano eam conditam eſſe fabulantur: protendíque vult terram ad Occidentem vſque, & capere hinc initium lati corporis: quemadmodùm ab alpibus noſtris ex anguſto Italiæ femore videmus amplas eas Galliarum terras, Germaniarúmque ac Pannoniarum, diſtendi ad Sarmatas Scythásque varios, aduſque Riphæas rupes, & glaciale pelagus: complecti etiam nexu continuo Thraces & Græciam omnem: & quicquid Malæa promontorio & Helleſponto à meridie, à ſeptentrione verò Euxino & Mæotide concluditur. Vult ergò Almirantus iſte à læua tendentibus ad Occidentem, terram hanc India recipi Gangetide: à ſeptentrione verò in dextram ad glacialem Oceanum, vltra Hyperboreos & arcticũ polũ diſtendi: ità vt vtrunque mare, auſtrale illud ſcilicet & no-

noſtrum Oceanum, in eius telluris angulis ſeſe inſinuet: non autem ſepiant aquæ terram ipſam, veluti Europa Helleſponto Tanaiq; & Oceano tum glaciali, tum Hiſpano ac noſtro mari circumambitur. Sed furor delabentis Oceani ad Occidentem vetat, meo iudicio, clauſam eſſe, coniungiq; ſeptentrionalibus orìs terram illam, vtì ſuprà diſputauimus. Sit ſatìs de longitudine tractatum, beatiſsime Pater. Quid de latitudine ſentiatur, intelligamus. Diximus aliquandò anguſtis limitibus dirimi auſtrale pelagus, & hunc noſtrum Oceanũ: atque ità conſtitit experimento: quandoquidem Vaſcho Nunnez & commilitonibus eius iter patuit. Sed quàm variè noſtrę alpes in Europa exanguſtantur hîc, alibíque latè pateſcunt, eodem naturæ cõſilio tellus hæc modò protenditur & vagatur latè, modò ab vtroq; mari repertis vallium aditibus perſtringitur, & breuibus contenta eſt interuallis. Vbì Vrabam & Beraguam diximus iacére regiones, parua diſcluduntur intercapedine maria. Eam autem quam Maragnonus amnis interluit, latè patére regionẽ credere oportet: ſi flumen, non mare, Maragnonum eſſe fatebimur: fateamur verò, ſuadẽt aquarum eius dulces hauſtus. Nequeunt enim in anguſtis terræ ſpecubus voragines adeò vaſtæ conſidere, quæ aquarum eam amplitudinem queant enutrire. Idem de flumine magno Dabaibæ, quẽ diximus ex angulo ſinûs Vrabæ vlnarũ quadraginta, quinquagintaq; alibì profunditate, latitudine autem milliarium trium, in mare defluere. Latam ibì terram dare neceſsè eſt, quæ ab altis Dabaibæ montibus, non ab auſtro, ſed ab Oriente fluuium demittit. Hunc aiunt conſtare fluminibus quatuor à Dabaibæ montibus collabentibus:

bus: (sancti Ioannis flumen nostri appellant) Indè in sinum, vtì Nilum, per septem cadere ostia ferunt. In eadem regione Vrabæ angustias esse alicubì miras, quæ vix lequas colligunt quindecim: at inuias, ob perpetuas paludes medias, frequentesq; lamas, aiunt, quas Hispani tremedáles appellant, aliâs trampales, cenegales etiã & sumideros ac zahondadéros. Priusquàm vltrà progrediamur, operæprecium erit, vndè illi montes nuncupentur, enarrare. Dabaibam ferunt fuisse fœminam, apud Maiores eorum, magni animi & prouidentiæ, quam viuentem antiquitas obseruabat: mortuam, inquiunt, reuerenter coli ab vniuersis regionum illarum incolis. Ab ea regiones nomen sumpsisse aiunt: & mitti fulgura tonitruaq; ac segetum stragem, si quandò irascatur. Irasci nanq; pueriliter sentiunt Dabaibam, si negligenter sacris eius intendatur. Eam miseris inculcat superstitionem genus hominum fallax, sub nomine religionis, quô frequẽtia dona portent ad Dabaibæ sacra, quibus ipsi fruantur. De hoc satìs. Paludes illas angustæ telluris crocodilorum, draconumq; ac vespertilionum & culicũ valdè noxiorum, altrices esse dicunt. Ad montes propterea diuertitur, quandò ad austrũ carpere iter consilium est, & paludum illarum vicina fugiuntur. Sunt qui putent vallem vnã, qua fluuius labitur, Perditorum à nostris dictus, ob Nicuesæ sociorumq; infortunium, à Cerabaró non multùm distantem, findere montes illos ad austrum. Sed cùm potabiles sint eius aquæ, fabulatos eos esse putant qui talibus argumentis innituntur. Hoc perpendiculo perficiamus opus. A dextra læuaq; Darienis prædicant viginti flumina decurrere auri feracia. Quæ dant, accipimus:

mus: nemo est qui non id ferat. Sed interrogati, cur paruam auri copiam indè absportent: fossoribus opùs esse inquiunt: qui autem eas adiêre terras, minimè sunt assueti laboribus.Ættereà dicunt minorem auri copiam indè vehi, quàm tellus ipsa sua benignitate polliceatur. Videtur & nitidas promittere gemmas. In cuius rei argumentum est, quòd, præter ea quæ dixi in Cariai & sanctæ Marthæ vicinia reperta, Andreas quidam Morales nauclerus per ea maria, Ioãnis Cossæ amicus & socius, dum Cossa viueret, ad manus habuit adamantem à iuuene Pariensi in Cumana nudo, mirè preciosum, longũ, vtì signant, duos infamis digiti articulos: magni autem pollicis primum articulum æquantem crassitudine, acutum vtrobiq; : & costis octo pulchrè formatis constantem. Eo, inquiunt, infixisse incudibus vibices, vectesq; ac limas corrosisse, adamante illæso. Collo gestabat pendulum adamantem iuuenis ille Cumananus, & Andreæ ipsi Morali precio quinque calculorum vitreorum nostratium viridium & glaucorum, varietate colorũ delectatus, vendidit. Offenderunt & topazios in littore. Sed cùm auri faciem animo gestent, nulla est his de gemmis cura. Auro tantùm inuigilant, aurum sectantur. Maior præterea Hispanorum pars annulatos aut gemmatos derident, & probro asscribunt gemmarum gestamina: populares præcipuè. Nobiles autẽ si quandò nuptiales, vel aliâs regiæ parentur pompę celebres, torquibus aureis gemmis consutis gaudẽt, & vestibus margaritas gemmis admixtas intertexunt: aliâs minimè. Effœminatorum esse huiuscemodi ornatus: atque Arabicorum odorum spiritus & suffumigationes continuas dijudicant. Obscœna Venere obuolutum putant, si cui castoreũ vel mu-

Quo genere ornatûs Hispani potissimũ vtantur.

ſcum olenti occurrant. Ab vno pomo ab arbore decerpto, pomiferam intelligemus eam eſſe arborem. Ab vno piſce in fluuio capto, piſcium eſſe nutritorem fluuium dignoſcemus. A modico igitur auro & ab vno lapillo, auri & lapillorum eſſe genitricem terram hanc, aſſentiamur oportet. Quid etiam in portu ſanctæ Marthæ in regione Cariai repererint, tranſeunte claſſe integra, duce Petro Aria, commilitones eius, & è regijs magiſtratibus quidam, loco ſuo diximus. Pullulant, germinantur, coaleſcunt, matureſcunt, leguntur'que quotidiè opimiora præteritis. Vileſcit, quicquid manu Saturni, Herculis, & aliorũ huiuſcemodi heroum, patefecit antiquitas: ſi quid indefeſſus labor Hiſpanorum detegat, animaduertemus. Valeat tua Sanctitas, & crebrò, quid ſentiat de his ſuæ ſedis apoſtolicæ culturis, mihi ſignificet, quô animum ſubleuet ad laborem futurorum ſubeundum.

PETRI MARTYRIS
MEDIOLANEN. OCEANEAE
Decadis tertiæ, liber quintus.

SVB orbe lunæ, Pater beatiſsime, q̃cunque parturiunt aliquid, vbì primùm ediderint, aut claudunt vterum, vel ſaltem aliqua temporis intercapedine quieſcunt. Noſter autẽ nouus orbis recentes quotidiè ſine intermiſsione fœtus procreat & emittit: quibus continuo tractu queant homines ingenio pollentes, & magnarũ rerũ nouarum præcipuè ſtudioſi, præ manibus habere, vndè paſcere animũ queant. Quorsùm hæc, dicet Beatitudo tua. Vix benè redegeram in ordinẽ, quæ Vaſcho Nunnez Balboę,

& cōmilitonibus eius in australis pelagi discursu acciderunt: (ad Beatitudinem tuam mittenda per Ioannem Ruffum Foroliuiensem, Cusentinum archipræsulem, & Galeatium ipsum Butrigarium, sacræ tuæ sedis Apostolicæ nuncios, mei sopiti ingenij excitatores in præsentiarùm) quandò eccè literas à Petro Aria, quem anno superiore cum exercitu & classe Oceanum conscendisse, ad nouas has terras traiecturum, diximus. Classem, seq́ȝ ac exercitum appulsos incolumes significat. Easdem literas Io. Cabedus à tua Sanctitate, supplicatu regis Catholici, illius prouinciæ Darienensis episcopus creatus: atque vnà tres alij, è primarijs illi gubernationi addictis, Alfonsus de Ponte, Diecus Marques, & Ioannes de Tauira, suis subscriptis nominibus authorârunt. Hanc ergò nauigationem tua Sanctitas accipiat.

Pridiè Idus Aprilis anni millesimi quingentesimi decimiquarti, vela dedit Petrus Arias, ex oppido sancti Lucari, de Barrameda dicto: in faucibus Bætis fluuij, quem Hispani dicunt Guadalchebir, sito. Distant oceaneæ septem insulę Canariæ millia passuum circiter quadringenta à Bętis lapsu in Oceanum. Has Fortunatas putant esse, licèt alij negent. Harum insularū recentia nomina sunt, occursu primo pares duæ, Lanzelota & Fortis Ventura. A tergo iacet magna Canaria. Sequitur illam Tenerife. Gomera tantillo ad septentrionem à Tenerife. A tergo videntur agere agmen Palma & Ferrea. Gomeram præhendit Petrus Arias intra diem octauum à discessu, cum classe nauium septendecim, & hominibus mille quingentis. Licèt mille ducentorum tantùm illi fuerit assignatus numerus: immò & fertur reliquisse à tergo duo millia ampliùs suspirantes & mœstos,

mœstos, qui propria impensa, auri fama & visendi res nouas desiderio stimulati, adduci postulabant. In Gomera lignandi & aquandi, reficiendarumque nauium gratia, quas tempestates quassauerant, sed præcipuè prætoriæ, quæ temonem amiserat, dies moratus est sexdecim: commodæ nanque sunt insulę, vastum illud æquor captare volentibus. Indè in Nonis Maij capit altum, nec terram vidit vltra vsque ad tertias Iunij Nonas: quo die de Canibalium, humanarum carnium edacium, insulis vnā adijt, quæ dicitur Dominica. Ea distat à Gomera lequas octingentas circiter. Quatuor ibì dies egit, aqua recenti & lignis sumendis intentus. Neque homini vlli, neque hominis vestigijs occurrerunt. Cancrorum littoralium & magnorum lacertorum copiam repererunt. Per Matininam dehinc, Guadalupeam & Galantam insulas (de quibus prima in decade nostra latè mentionem fecimus) iter cepit. Mare etiam percurrit herbidum longo æquoris spatio. Neque Almirantus Colonus, quem diximus primum has insulas & mare hoc herbidum pernauigâsse, neque isti, rationem vllam produt herbarum. Putant aliqui cœnosum esse ibì mare, & herbas illas in profundo gigni, tenderéque ad superna, vt videmus in lacubus, sæpè in magnis quoque fluminibus etiam currētibus accidere. Volunt alij non ibì natas, sed è scopulis frequentibus raptatas vi tempestatum enatare per ea maria. Ità rem in dubio relinquunt: quoniam an fixæ cedant nauium proris, an erutæ vagentur, nōdùm habent exploratum. Natas ibì, credendum est: aliter impulsu nauium conglobarentur, (sicutì scopæ domorum conglobant scobes) & cursum impedirent. Quarto à discessu à Dominica

die, qui erat Iunij tertio Idus, niuales illi apparuerunt montes. Decurrere inquiunt ibì maria, veluti è montibus rapidus torrens, ad Occidentem: licèt non Occidentem ipsi rectà sequantur, ad meridiem nanque paulò magìs tendebant. Quod aliquandò demõstratiuè p tabellã huius cosmographiæ nouæ quã animo cõcepi, si viuere dabitur, colligere licebit. E montibus illis Gaira fluuius decidit, strage nostrorũ, transeunte Roderico Colmenare, vti aliâs diximus, insignis. Multi prætereà defluunt alij. Portubus egregijs duobus nobilitatur ea prouincia, in qua diximus esse Caramairam regionem: Carthaginensi, vtputà, & sanctæ Marthæ altero, sic à nostris appellato: cuius regiuncula est Saturma incolarum appellatione. Est sanctæ Marthæ portus niualibus propinquior montibus: in ipsorum nanque montium radicibus iacet. Carthaginensis verò, illo est occidentalior lequas circiter quinquaginta. De sanctæ Marthæ portu mira scribit: itidèm fatentur & qui rediêrunt: inter quos est Vesputius Americi Vesputij Florentini nepos: cui moriens maritimam & polarẽ artem reliquit hæreditariam. Is enim iuuenis missus est à rege vnus è prætoriæ nauis magistris, quòd quadrantibus regere polos calleat. Temonis nanque gubernandi cura præcipua Ioanni cuidã Serrano Castellano, qui sępiùs eas oras permeauerat, credita est. Vesputiũ ipsum sæpiùs habeo conuiuã, q sit iuuenis ingenio pollens: & qui percurrens eas oras, diligenter annotauerit quæcunque oblata sunt. Scribit Petrus Arias, & hic idem Vesputius disserit, quæ modò referã. E genere Caribium siue Canibaliũ ortos harum regionum incolas volunt: propterea feroces & crudeles admodùm esse, vtputà qui trãseuntes

euntes nostros sæpiùs hostiliter à littoribus reiecerunt, & terram præhendere optantes malè exceperunt. Tanta est his nudis Barbaris innata vis animi, tanta fortitudo, vt integram classem nostram adoriri sint ausi, prohiberéque à littore tentauerint. Venenatis, vtì aliâs scripsimus, agunt sagittis. Rabido cursu pectore tenus, neque numero neque magnitudine nauium territi, mare intrabant: atque indè iaculabātur telorū mille genera: sed nostri spondis nauiū & scutis protecti, ictus illorum suscipiebant. Vulnerati tamen duo fuerunt, qui periêre. Excussis tādèm in illos puluerarijs tormentis, rapuêre fugam Barbari, tonitruis machinarum & furore globorū stupidi, quos fulgura esse arbitrātur: crebrò quippe fulguribus ob natiuam regionis & montium altorū viciniam vexantur. Licèt palantes & profligatos conspicerent hostes, hæsitauerunt tamen, & inito consilio in diuersa studia vertebantur, descenderent ad hostes nécne. Timor hinc, pudor indè trahebant. Venenatæ sagittæ, quas certissimas iaculantur incolæ, formidabantur. Cum tanta classe tótque militibus sicco pede præterire, verecundum erat atque indignum & infame. Vicit tandèm pudor, fugientes ac dispersos sequuntur. Leuioribus cymbis terram præhendunt. Portûs circunferentiam, scribit dux ipse classis, & idem Vesputius perhibet, esse lequarum trium, tutum, nitidum adeò, vt in fundo cubitorum viginti liceat calculos numerare. Duo in portum descendere inquiūt dulciū aquarum flumina: sed minimè tam apta maioribus nauigijs sustinendis, quàm patrijs monoxylis. De copia & varietate saporéque piscium, tam fluuialium quàm marinorum, auditu suaue est.

Protereà piſcatorias ibì multas reperêre naues, id eſt, lembos patrios, multaq́ retia miris modis ex tenacibus herbis contuſis, & neti goſſampij funibus contexta. Piſcariam artem callent hi, Caramairenſes, Cairenſeſq́ ac Saturmani. Piſcium nanque permutatione prouentus optatos quibus ipſi carent, aſſequuntur ab internis populis finitimis. Reiectis à littore Barbaris, boios eorum, id eſt, domos, ingrediuntur. Iterùm atq́ iterùm feroci curſu noſtros impetunt, & ſagittis venenatis conficere tentãt: ſed rabidiores irruũt, quandò domos occupari ſpoliariq́ ſenſerũt: quia prçcipuè fœminas pueroſq́ pleroſq́ duci in prędam cernerent. Supellectilia domorum è littoralibus cannis, & varijs herbis, contuſo ſparto ſimilibus, erant: ſtoriæ cõtextæ varijs fucatæ coloribus: è goſſampino quoq́ aulęa arte induſtria laborata, leonibus, aquilis, tigribus, & imaginibus alijs effigiata. Domorum & cubiculorum oſtia, fornicesq́ liminares, putaminibus cochlearum tenuibus funiculis appenſarum, quô faciliùs vento agitatæ colliderentur inuicèm, quo ſono delectantur, ornatos reperiebant. Mira de hiſce rebus mihi retulerunt multi. Gonzalus quidam Fernandus Ouiedus præter cæteros, è regijs magiſtratibus is, qui dicitur ab Hiſpanis Veedor, ſe longiùs in terram iactat deſcendiſſe. In Saphiri putamen ouo anſerino grandius incidit. In collibus ab eo tractatis cum triginta viris, Smaragdinas plaſmas ſe vidiſſe ait multas, Calcedoniasq́, & Iaſpides ac montani ſuccini magnos globos. Auro intexto admixtas in aulæis conſutas gemmas: eas à fugientibus Caribibus in domibus relictas, is & cæteri omnes ſe prædicant reperiſſe. Eſt & coccinearum genitrix ſyluarum tel-

lus illa: est & auro opima: margaſsitas auri indices vbiquè littorum & vbiq; riparũ inuenerunt. Inquit is Ouiedus, in regione quadam dicta Zenú, ad Orientem à Dariene iacente milliaria nonaginta, nouum mercaturæ genus exerceri. In incolarum domibus ſerias ciſtasq; ingentes & caniſtros pulchrè contextos ex arborum folijs ad id aptis, repererunt: cicadis, gryllis, cancris, cochleis, locuſtis agros ſternẽtibus, deſiccatis & ſalitis plenos. Ad quem vſum illa cogerent interrogati, reſponderunt, vt ad internos populos ea venum portarent: harum nanq; precioſarũ volucrum & ſalitorum piſcium permutatione, peregrina quæ optant aſſequuntur harum terrarũ incolæ. Hi ſparsìm habitant, non contiguis domibus. Sed terram incolunt elyſiam Caramairenſes, amœnam, feracem, acris hyemis & furentis æſtûs expertem, cum paruo diei & noctis diſcrimine. Vallem ingreſsi ſunt, Barbaris fugatis, lequas latam duas, tres longam, ad montes vſque quoſdam herbidos & arboriferos: in quorũ radicibus duæ valles aliæ iacent dextra læuaq; ſingulis ablutæ fluminibus: quorum vnus eſt Gaira: alteri verò non dedêre nomen. In his vallibus cultos reperêre hortos, agrosq; rigari per deductas ordine miro foſſas: haud ſecùs àc Inſubres aut Hetruſci noſtri ſuos colunt atq; irrigant. Sũt & iſtorum edulia communia, ages, iucca, maizũ, battatæ, arboreiq; fructus, vt reliquis, & piſcariæ dapes: humanas autem carnes rarò vorant, quia rarò peregrinos aſſequuntur: nisì venatum ipſi exercitu compoſito per alienas tendant terras: à ſeipſis quippe abſtinent. Sed auditu miſerandum, myriadas hominũ ad edendi vſum creduntur hi obſcœni anthropophagi conſumpſiſ-

se. In paradiseas mille insulas, in regiones mille incidunt elysias nostri, quas nefarij depopulati sunt. Propterea licèt amœnas & benè fortunatas, desertas reperiunt plures. Colligat hoc exemplo tua Beatitudo, quàm perniciosum sit hoc genus brutorum hominum. Sancti Ioannis insulã diximus esse Hispaniolæ proximam: quæ ab incolis Burichena dicebatur: ab ea, nostra tẽpestate, rapuisse ferũtur edenda quinq; millia hominũ ampliùs: ex vicinis tantũ insulis, quas hi habitant, putà sanctæ Crucis, quę Hayhay, & Guadalupea, quę Queraquéira nuncupabantur. Satìs vagatũ sit per obscœnorum edacitatem. De radicibus parumpèr sermo sit, quandoquidem sunt futuræ Christianorum escæ, panis triticei loco, & raparum aliarumq; radicum nostratium. Iuccam radicem esse diximus sępè aliâs, qua nobilior panis & apud insulares omnes & continentes hos efficitur: sed quomodò colatur, germinętque, q̃ etiam varia sit, minimè adhuc dixi. Quãdò plantare iuccam statuunt, terram égerunt tenus genu, & effossam erigũt in tumulos quadratos nouempedales: duodecimq; ex ipsius iuccæ trũcis sexquipedalibus aut circiter, tumulo ternos cuique lateri præbẽtęs infigũt transuersè, vt ferè in ipsius tumuli centro cuspides eorũ conueniant. Ex illorũ internodijs & infixa cuspide radiculæ, capillares prodeunt. Hæ paulatìm auctæ in eas conuertuntur, superantq; maturæ lacerti ac sæpè femoris humani crassitudinem longitudinemq;. Ità cumulata illa terra ferę vniuersa digeritur in radices. Sed maturescere iuccam, inquiunt, non breuiore spatio q̃ sesquianno. Inquiunt quoquè, quo vlteriùs, ad biennium vsque, sinatur, eo fieri meliorem, perfectioremq; ad panem conficiendum.

endum. Euulſam, lapidibus duobus ad id paratis, velutì ſcalpro noſtræ fœminæ caſeum conterunt & premunt demùm, aut ſacco ex herbis vel canniculis fluuialibus confecto imponunt, ponderoſo lapide ſuperiecto, diemq́ꝫ naturalem appenſum ſinunt, & ſuccũ eijciunt: diximus nanqꝫ eſſe apud inſulares mortiferum: attamen ſi coquatur, ſalubris eſt ſuccus ille, vtì è noſtro lacte ſerum. Hoc aduertendum, apud hos continentes minimè noxium, inquiunt, iuccæ ſuccũ. Multa dicũt eſſe iuccarum genera. Vnum altero ſuauius, atque aliud alio precioſius eſt, quo regulis edulium paratur. Sunt quibus veſcantur nobiles, ſunt & quibus populus. Exuccatam verò iuccam in tabellas fictiles ad id compactas, velutì preſſum noſtri caſeum, diſtendunt coquendam. Is eſt eorũ panis primarius, hunc vocãt Cazabbi. Agium ſimiliter & Battatarũ varias dicũt eſſe ſpecies. Sed agibus & battatis magìs pro ferculis aut fructibus vtũtur, q̃ ad vſum conficiendi panis: vtì noſtri rapis, raphanis, tuberibus, napis, paſtinacis, & huiuſcemodi rebus: ſed battatis præcipuè, quæ terræ tubera egregia ſuperent mira quadam dulci mollitie, ſi præſertim in nobiliores incidatur. De radicibus iam ſatìs: ad aliud iam panis genus ſermo vertatur. Diximus habere frumenti genus quoddã, panico ferè ſimile, ſed grãdioribus granis nobilius. Id in farinã contuſum, vi lapidũ manu actorũ pinſunt, iucca deficiente: eſtq́ꝫ vulgarior panis. Singulis annis ter ſeritur: modò agri vbertas ferat ob æquitatem temporum: de qua ſatìs multa in ſuperioribus. Et radicum omnium & maizij grani cultum hîc reperêre: arboreorúmque fructuum varia genera cultiſsima. Inter hos Caramairenſes & Sa-

Saturmanos itinera inquiunt esse lata rectaq́ꝫ, ità vt distenta rubrica, credi queant notata. Hydrias, cantharos, ollas, orcas, paropsides, patellasq́ꝫ fictiles, apud hos repererunt: & variorum colorum aquales vrnas, in quibus aquæ seruari feruntur frigidæ. Edicto, vt vel parerent regi Catholico, religionemq́ꝫ nostram induerēt, vel terram linquerent, venenatis sagittis respondebant. Ceperūt nonnullos, è quibus plerosque indutos priùs, soluerūt ilicò: alios ad naues priùs ductos, & rerum nostrarum amplitudine ostentata, quô cæteris illa referrēt, ad beneuolentiā eorū captandam, posteà dimiserunt. In omnibus fluminibus se vidisse aiunt auri argumenta. Recentes in eorum domibus ceruinas & aprinas carnes passìm reperiebant, quibus lautè sunt epulati. Volucribus & hi abundant, nutriuntq́ꝫ domi volucres, tum ad esum, tum ad delicias. Eius cæli spiritū esse benignum hinc arguunt, quòd noctù apud flumina in ripis sub dio dormierint, nullusq́ꝫ grauedinem capitis senserit vllam, aut humorē conceperit insalubrem. Magnos etiam neti gossampij glomos, & fasces diuersarum pennarum, quibus sibi cristas, nostrorum cataphractorum more, contexunt, & sagulos ad decorem formant, passìm repererunt. Delectantur & hi elegantijs eiuscemodi. Arcuum & sagittarū multitudo fuit innumera. Maiorū & ibì cadauera combusta, ossibus in collis conditis alicubì, alibì integra in sepulcris, in ipsis boijs, id est, domibus, alibì reuerenter auro gemmisq́ꝫ ornata, seruantur. Habitas eorum bullas pectorales, aliaq́ꝫ monilia, quę vocant ipsi guanines, reperêre orichalco magìs quàm auro fabrefacta esse. Propterea esse his commercia cum vafris peregrinis arbitrantur, qui

qui ad eos monilia hæc confecta importent, vt purum aurum àb eis adipiſcantur pro vili metallo. Neque perpenderunt noſtri fraudem, donèc ad conflationem ventum eſt. Architecti plerique pererrantes à littore parumpèr, in fruſta candidi marmoris ſe incidiſſe dixerunt. Putant peregrinos ad eas terras veniſſe quondàm, qui marmora è montibus aliquandò ſciderint, & putamina illa in plano reliquerint. Ibì didicêre Maragonum fluuium è montibus niualibus deſcendere, augeriq́; inter labendum magna fluminum aliorum copia in eum cadente: propterea ingens eſt, quia è longinquo ad mare fluit per terras aquoſas. His actis, receptui ſigna dantur. Noningenti erant ad terram miſsi: hi omnes ſublatis clamoribus præ lætitia, compoſitis ordinibus, & præda prouincialium rerum onuſti, criſtisq́; & coronis, lænis quoquè ac ſagulis plumeis militaribus incolarum ornamentis redeunt fulgentes. Ancoras eleuant XVI calend. Iulij, nauibus refectis, quas tempeſtates pleræque cōcuſſerant: ſed prætoria præcipuè diſcrimen ingens ſubierat, amiſſo temone, vtì iam diximus. Capiunt altum, vt Carthaginenſem portum petant, & inſulas quaſdam medias, trucium Caribium receptacula, infeſtant ex regio mandato. Sed velox aquarum decurſus, & Ioannem Serranum prætoriæ nauis nauclerum primarium, & reliquos fefellit, quanuìs fluxuum illorum naturam ſe optimè callere iactarent. Quadraginta ſe lequas fuiſſe vna nocte tranſportatos præter opinionem, conqueruntur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber sextus.



Opiniones variæ, cur mare ab Oriẽte in Occidentẽ torrentis modo tendat.

IC philoſophandum eſt parumpèr, beatiſsime Pater, & à coſmographia digrediendum ad naturæ arcanorum cauſas. Decurrere ad Occidentẽ ibì maria, veluti è montibus torrentes delabuntur, omnes vno ore prædicant. Propterea trahor ego in ambiguum, quonàm aquæ illæ tendant, quæ rotante ac perpetuo tractu ab Oriente fluunt, veluti fugientes, ad Occidentem, indè nunquàm rediturae: neque Occidens propterea magìs repleatur, neque Oriens euacuetur. Si ad centrum eas tendere de natura grauium, dixerimus, cẽtrumq́; lineam eſſe æquinoctialem voluerimus, vtì plerique aiunt, quod centrum dabitur tot tantarumq́; capax aquarum? quæ´ve circunferentia reperietur madida? Rationem veriſimilem, qui ea littora perluſtrârũt, præbent nullam. Putant plerique vaſtas eſſe fauces in angulo ſinuali magnæ illius telluris, quam diximus Italia octuplo maiorem, ab Occidente Cubæ inſulæ, quæ rabidas has aquas abſorbeant, & indè ad Occidentem illas emittant, quo ad Orientem noſtrum redeant: alij dicunt, ad ſeptentrionem. Volunt nonnulli, clauſum eſſe ſinum illum magnæ telluris: tendereq́; ad ſeptentrionem à tergo Cubæ: ità vt ſeptentrionales terras, quas glaciale circunſepit mare, ſub arcto complectatur, ſintq́; vniuerſa littora illa contigua: vndè credunt eas aquas obiectu magnæ

telluris circumagi: vt in fluminibus licet conſpicere, riparum gyris ſeſe obiectantibus. Sed hoc minimè quadrat. Eodem nanque modo, non acri tamen, ſed leni, fluere ad Occidentem aquas perpetuo lapſu, inquiunt, qui glaciales tentârunt oras, & Occidentem poſteà ſecuti ſunt. Scrutatus eſt eas Sebaſtianus quidam Cabotus genere Venetus, ſed à parentibus in Britanniam inſulam tendentibus (vtì moris eſt Venetorum, qui commercij cauſa terrarum omnium ſunt hoſpites) tranſportatus penè infans. Duo is ſibi nauigia propria pecunia in Britannia ipſa inſtruxit, & primò tendens cum hominibus tercentum ad ſeptentrionem, donèc etiam Iulio menſe vaſtas repererit glaciales moles pelago natantes: & lucem ferè perpetuam, tellure tamen libera gelu liquefacto. Quarè coactus fuit, vtì ait, vela vertere & Occidentem ſequi: tetenditq; tamē ad meridiem, littore ſeſe incuruante, vt Herculei freti latitudinis ferè gradus ęquârit; ad Occidentemq; profectus tantùm eſt, vt Cubam inſulam à læua, longitudine graduum penè parem, habuerit. Is ea littora percurrens, quæ Bacalláos appellauit, eoſdem ſe reperiſſe aquarū, ſed lenes, delapſus ad Occidentē, ait, quos Caſtellani, meridionales ſuas regiones adnauigantes, inueniūt. Ergò non modò veriſimiliùs, ſed neceſſariò cōcludendum eſt, vaſtos inter vtranque ignotam hactenùs tellurem iacére hiatus, qui viam præbeant aquis ab Oriente cadentibus in Occidentem. Quas arbitror impulſu cælorum circulariter agi in gyrum circa terræ globum: non autem Demogorgone anhelante vomi, abſorberiq;, vt nonnulli ſenſerunt: quod influxu & refluxu forſan aſſentire daretur. Baccalláos Cabottus ipſe terras illas

appel-

appellauit, eô quòd in earum pelago tantam re-pererit magnorum quorundam piſcium, tinnos æmulantium, ſic vocatorum ab indigenis, multitudinem, vt etiam illi nauigia interdùm detardarent. Earum regionum homines pellibus tantùm coopertos reperiebat, rationis haudquaq̃ expertes. Vrſorum ineſſe regionibus copiam ingẽtem refert, qui & ipſi piſcibus veſcantur. Inter denſa nanque piſcium illorum agmina ſeſe immergunt vrſi, & ſingulos ſinguli complexos, vnguibusq́ inter ſquamas immiſsis in terram raptant & comedunt. Propterea minimè noxios hominibus vrſos eſſe ait. Orichalcum in pleriſq; locis ſe vidiſſe apud incolas prædicant. Familiarem habeo domì Cabottum ipſum, & contubernalem interdùm. Vocatus nanque ex Britannia à rege noſtro catholico poſt Henrici maioris Britanniæ regis mortem, cõcurialis noſter eſt: expectatq́ indiès, vt nauigia ſibi parentur, quibus arcanum hoc naturæ latens, iam tandèm detegatur. Martio menſe anni futuri M D XVI puto ad explorandum diſceſſurum. Quę ſuccedent, tua Sanctitas per me intelliget, modò viuere detur. Ex Caſtellanis nõ deſunt, qui Cabottum primum fuiſſe Baccalaórum repertorem negent: tantumq́ ad Occidentẽ tetendiſſe minimè aſſentiuntur. De faucibus & Cabotto iã ſatis. Ad Caſtellanos redeamus. Carthaginis portum & adiacentes Caribium inſulas, quas appellant ſancti Bernardi, præterlapſi ſunt, vniuerſamq́ Caramairẽſem regionem intactam poſtergârũt. Hic ab exorta tempeſtate ad inſulã, quam diximus aliâs Fortẽ appellari, ab Vrabenſis ſinûs faucibus diſtantem leuquas circiter quinquaginta, proiecti ſunt. In ea inſula caniſtros, ex cannis marinis contextos, reperêre in barbarorũ tugu-

tugurijs multos ſale plenos. Salinis egregijs nobilitatur inſula: eius ſalis permutatione, aliena comparant incolæ. Ad prætoriam nauem volitauit onocrotalus auis ingens, vulture maior, quæ guttur demittit multicapax: paludum Rauennatum quõdàm domeſtica, authorum teſtimonio: neſcio an & noſtra tẽpeſtate: capi facilè paſſus eſt, & circunductus per vniuerſæ claſsis naues, tandèm interijt. Viginti aliorum in littore ſtantium agmen viderunt procùl. Grandiorem nauẽ prætoriam, putà iam quaſſatam & minimè vtilem, à tergo reliquerunt, vt paulatìm & ſedato mari ſequeretur. Vndecimo calẽdas Iulij appulſa eſt claſſis ad Darienem: in quartum indè diem prætoria nauis, ſed vacua, ſuperinducta eſt. Darienẽſis populus, duce Vaſcho Nunnez Balbóa Præfecto, de quo aliâs latam fecimus mentionẽ, cum pſalmo, Te Deum laudamus, obuiàm tria prodit milliaria. Intra domos, in prouincialium domorũ modum ædificatas, habitatorum quiſque venientes ſuſcepit libens. Prouincias has omnes regiones liceat appellare: quandoquidẽ procùl victæ ſunt, omnibus regulis eiectis. Prouincialibus reficiuntur fructibus, & pane recenti, tam radicali quàm maizio. Catera ſecum claſsis afferebat: ſalitas putà carnes, ſalſos etiam piſces, & triticeam in cupis farinam. Eccè regiam in abſtruſis terris claſſem: eccè nõ modò intra cancri tropicum, verumetiã ipſi æquinoctiali circulo ferè ſuppoſitos Hiſpanos, contra multorum ſapientum ſententiam, vt ibì pedem figant, & colonias conſtruant. Poſteà verò quàm in vnum conuenêre, quid conſilij ceperint, intelligamus. Altero die ab appulſu claſſis, quadringentorum quinquaginta hominũ Darienenſium fit conuentus. Publicè arcaneq́ꝫ, con-

iunctìm simul & viritìm, indagatum est de rebus scriptis à Vascho Præfecto australis pelagi: (Is est magistratus, quem diximus ab Hispanis vocari Adelantatū) compertū est, vera fuisse quęcunque de australi pelago terræ illius, regi significauerit: debere in Comogri, Pocchorrosæ ac Tubanamæ ditionibus, ex ipsius Vaschi Præfecti iudicio, erigi arces inpræsentiarùm, vt coloniæ postmodùm produci queant. Missus est propterea Ioannes Aiora nobilis Cordubēsis proprætor, cum hominibus quadringentis, quatuor carauelis & vna minore naui aduectis. Is primò Comogrensem captat portum, lequas ab Dariene distantem fortè quinque ac viginti, vtì scribūt literis præsentibus. Indè ad austrum ex quadringentis centum quinquaginta missurus est, nouo itinere rectiore reperto: quà inquiūt sex & viginti tantùm lequarum esse intercapedinem ab Comogri regia ad sancti Michaëlis sinûs fauces. Reliqui è quadringentis, pedem ibi fixuri sunt, & indè auxilia præstituri euntibus redeuntibusque. Centum verò illi & quinquaginta ituri ad austrum, aptos secū interpretes australium linguarum ducūt è nostris: qui ea didicerunt idiomata à mancipijs habitis à Vascho, cùm eas terras peragraret: & ex ipsis mancipijs, qui linguam iam callent Hispanam. Aiunt hi distare Pocchorrosæ portum à Comogræo lequas septem tantùm. In Pocchorrosa proprætor ex prætoris & aliorum sanctione viros relicturus est quinquaginta, cum naui leuiore, qua fungātur officio cursorū: & velutì terra per equos dispositos fieri solet, ità mari certiores hi faciant prætorem & Darienenses de rebus emergentibus. Locaturi etiam sunt in Tubanamæ solo domicilia: à Pocchorrosa inquiunt distare Tubanamæ atria lequas

lequas viginti. Ex quadringentis hominibus his, ex priscis Darienensibus rerum experientia pollentibus, quinquaginta, qui decurionũ loco nouos dirigant & ducant ad res gerendas, destinati sunt. Ità dispositis rebus, fuit consilium regi hæc significare, atq; vnà certiorem reddere, esse in illis terris regulum nomine Dabáibam, cuius regnũ auro sit opulentum: sed intactum adhuc relictũ ob potẽtiam. Hunc secundo magno flumine illo, de quo aliâs mentionẽ fecimus, habere regnum, vniuersamq; ditionis ipsius tellurem auro vberẽ, fama est vulgaris. Lequas inquiũt distare ab Dariene Dabáibæ regiam quinquaginta. Indè aiunt incolæ auri copiam per confinia spargi. Licèt & ab Dariene, vtì aliâs diximus, lequas tantùm tres, nostri habeant aurifodinas nõ ignobiles, quibus inpræsentiarùm fruantur, multisq; in locis effodiendo aurum colligunt: feracius tamẽ esse Dabaibæ regnum credũt. In primis nostris ad tuam Sanctitatem primitijs, mẽtio de hoc Dabaiba facta est: sed errore ducti, cùm Dabaibæ piscatores reperissent, Dabáibã ipsum inter palustria loca se offendisse arbitrati sunt. Ad Dabáibam igitur tercentum deligere volunt egregios ex vniuerso exercitu bello aptos iuuenes, telorum omnis generis & armorum copia magnificè instructos, qui eum adeant, & detrectantem pacem sternãt, & debellent. Iterùm atq; iterùm repetũt, in argumentum opulentiæ futuræ, se paucis in locis effodere, vbì non commixtis terræ grumulis aureis occurrant. Quæ scripserint, refero. Consulunt & regi, condendam esse in sanctæ Marthæ portu, in regione, appellatione incolarum, Saturma, coloniam, quæ sit futura refugium nauigantibus ex Dominica insula: à qua cursum ferũt esse

qua-

quatuor aut quinq; dierum ad eum Saturmæ regionis portum: & ex sancta Martha trium ad Darienē, eundo inquio: reditus nanq; illis adeò durus est, ob eum, quem diximus, decursum aquarum, vt arduos videantur mōtes redeundo conscendere. Nō est huius torrētis vis ex Hispaniola & Cuba redeuntibus in Hispaniam tāta, quanuìs & ipsi laborent contra labentem oceanum: quia sit hîc pelagi amplitudo ingens, qua vagari queant aquæ fluētes. In Pariæ tractu stringūtur aquæ lateribus eius terrę & multarum insularum adiacentium ex aduerso compressæ: vtì liquet in Siculo freto coniectari, vbì est aquarū impetus is, quem tua Sanctitas nouit, qui Scyllam & Charybdim efficiunt, ob angustias illa maria receptantes, Ionium videlicet ac Libycum & Tyrrhenū. Ex Guanassā insula & Iáia Máiaq; & Cerabaróno, regionibus Beraguæ occidentalibus, scriptū reliquit Colonus huius inuenti princeps, reperisse furorem tantum in proram, ea littora versis vestigijs Orientem quæritando, vt neque licuerit interdùm plumbata fundum tentare, quin illam secum pensilem raptaret aduersus impetus. Neque ipse quiret aliquandò integro die, licèt vētus aliquis flaret in puppim, vel vnico milliari decursum vincere. Hinc est quòd sæpè cogantur Cubā, Hispaniolam demùm, præhendere priùs, vt mox lato pelago ad septentrionem captato, cursum dirigant in Hispaniam, quô boreales flatus illis adiumento sint ad impellendum naues, quas itinere recto minimè quirent perducere. De motibus oceani vltrò citroq; iam satìs multa. Quid de Dariene & colonia in eius ripa deducta, quam diximus sanctā Mariam Antiquam ab ipsis appellari, scribant, recēsendum est. Loci situs est inualidus, pestifer,

pestifer, Sardo cælo perniciosior. Pallent omnes, ictericis similes. Neq; à natura regionis id euenit: multis nanque in locis sub ijsdem latitudinis gradibus signorum, salubrem benignamq; reperiunt aëris clementiam: vbì scilicet nitidos terra fontes gignit, vbi've flumina ripis meant currẽtibus haudquaquã cœnosis: sed præcipuè vbì cliuos, non valles, inhabitant. Locus autem ille, in Darienis fluminis ripa situs, in profunda est valle locatus, collibus vndiquè arduis circũseptus: qua de causa solares radios meridianos suscipit suos in verticem ferè perpendiculares, & à montanis labentibus radijs à fronte tergoq; ac lateribus grauiter vexatur. Radiorum quippe solariũ feruorẽ repercussio parit, nõ accessus ad terram: quia in se minimè sint passibiles: quod ex niuibus altorum montiũ colligi potest, vtì optimè callet tua Sanctitas. Propterea cadentes in montibus radij per obiectum decliuem ad ima rotantur, vtì saxũ ingens rotundum, à culmine montis deiectum. Valles ergò & contingentem sibi radiorum partẽ ex directo, & præcipitem cliuorum ac montiũ ex transuerso, suscipiunt. Est ergò Darienis habitatio à natura loci particularis, non à regione perniciosa. Est & pestifer à natura soli locus, quòd cœnosus paludibus fœtidis septus sit. Immò vicus ipse palus est, vbì ex guttis mancipiorum dextra cadentibus, dum irrigant pauimẽta domûs, ilicò bufones gignuntur: vtì alicubì egoipse vidi in pulices guttas illas æstate conuerti. Vbicunquè prætereà effodiunt ad sesquipalmum, scaturiunt aquæ insalubres omnes & corruptæ à natura fluminis, qui ad mare cœnoso atque inerti alueo per vallem profundam delabitur. Prop tereà de loco mutando cõsulunt. Ibì figere pedem primos necessitas

Ex guttis bufones.

cesſitas coëgit: tanta enim vrgebantur egeſtate, qui primi ad eas terras appulſi ſunt, vt de loco mutando cura defuerit. Iniqua igitur ſoli ſedes, illos vexat ob ſolares radios. Deterior aquarum & corrupti aëris, ob cœnoſos vapores, inclementia reddit inualidos. Nec portu nobilitatur vllo locus ipſe, qui diſtat à ſinûs faucibus lequas tres: eſtq́ iter arduum aſperumq́ ad comportandum cõmeatus à mari. Ad alia contingentia veniamus. Vbì primùm appulſi ſunt, multa illis acciderunt hactenùs incognita. Medicum quendã eximium Hiſpalenſem, quem antiſtitis authoritas, & auri ſimul cupiditas, tranquillam linquere vitã in patria ſtimulârunt, adorta eſt dormienté cum vxore vis fulguris: domus cum vniuerſa ſupellectile illi exarſit. Attoniti vir & vxor penè nudi proclamantes & ſemiuſti vix euaſerũt. Stantibus in littore, moloſſum ſeſquianniculum rapuit crocodilus ingens: & vtì miluus pulliculum ſolet, miſerum cané, domini auxiliũ vaſto latratu implorantem, ante omniũ oculos abſportauit. Noctù veſpertilionũ morſibus torquebantur: ſi dormienté fortè momorderint quempiã, exhauſto ſanguine, trahũt in vitæ diſcrimen: & mortuos fuiſſe nõnullos ea tabe compertũ eſt. Si gallũ, aut gallinã ſub dio noctù veſpertiliones depræhéderint, in criſtã aculeo fixo, interimunt. Crocodilis, leonibus ac tigribus & hi aiunt infeſtari terram: ſed inuentas iam eſſe artes quibus multi capiantur. Reperiſſeq́ ſe in ſociorũ domibus tigriũ ac leonum interfectorum pelles, ſcribunt. Boues, porcos, atq́ equos, adoleſcere ibì maioré in modũ, & grandiores fieri genitoribus dicunt, ob vbertaté ſoli. De arborũ proceritate, deq́ terræ varijs fructibus, de hortenſibus, & ſatis omnibus noſtratibus:

bus: de ceruis & quadrupedibus feris, varijs etiã generibus auium ac piſcium, eadem referũt, quę ſcripſi aliâs. Caretam regulum, regionis Coibæ principem, triduo habuerũt hoſpitem: & admiratũ noſtra harmonica inſtrumenta, equorumq́ phaleras, ac cætera illi peregrina, beneq́ donatũ remiſerũt. Is noſtris ſignificauit, arbores gigni in prouincia, quarum tabulis naues conſtructæ, tutæ ſunt à corrodentibus marinis vermibus. Eſt nanque dira hæc peſtis noſtris nauibus in portubus illis. Ait eſſe amaritudinis tantæ ligni genus illud, vt facilè abſtineant ab eius guſtu. Eſt & alia peculiaris terræ arbor, cuius ſi folia nudum alicuius corpus tetigerint, vibices eleuent ingentes: & niſi illis aqua marina vel ſaliua matutina medeatur, ilicò lethalem ſuo veneno excitẽt dolorem. Hanc arborem & Hiſpaniola parit. Eius etiam lignum olfactu aiunt eſſe mortiferum, nec portari quoquam lignũ poſſe ſine vitæ periculo. Cùm excutere à ſe tantæ ſeruitutis iugum ſæpè inſulares Hiſpaniolæ tentauerint, nec ceſſerit vnquàm aperto Marte vel inſidijs, reperti ſunt eo ligno voluiſſe primarios noctù dormientes ſuffumigatos interimere. Sed admirati ligni reperti nouitatem Chriſtiani, fateri fraudem miſeros coëgerunt, & commenti authores pœnas dedêre. Habent ipſi genus herbæ, cuius odore fulti, remediũ ſibi comparant, ab eius ligni veneno, vt portare illud queãt indemnes. De his leuibus iam ſatìs. Sperant ex inſulis auſtralis pelagi maiorem multo copiam habituros. Parabat enim Petrus Arias (nuncio qui ad nos literas tulit diſcedente) profectionẽ ad eam inſulam quæ prominet medio in ſinu, ſancti Michaëlis à noſtris appellato: à Vaſcho intacta relicta, ob perturbatum eo tẽpore

Præſentis veneni arbor.

mare. De qua latè in transitu Vaschi ad austrum. Multa indiès maiora præteritis expectamus. Captæ sunt enim & prouinciæ plures aliæ, quas non inutiles aut non parùm mirandas fore putamus. Ioannes ille Diaz Solisius Nebrissensis, de quo fecimus aliquandò mentionẽ, missus est per Frontem illam sancti Augustini, quæ lineam superat æquinoctialem gradus septem, & ad Portugallẽses pertinet, vt latus australe à tergo Pariæ, Cumanæ, Cuquibacóæ, portuumq; Carthaginis & sanctæ Marthæ, Darienis & Beraguæ, nostris nauigijs percurrat, quô apertior & plenior de tractibus illis habeatur notitia. Missus est alius nauium trium ductor Ioannes Poncius, qui Caribiũ terras depopuletur, & in seruitutem obscœnos hominum voratores redigat, quô liberæ sint ab ea peste iam tandèm adiacentes mitiũ insulæ, & vnà prouentus earum insularum & arcana liceat vestigare. Missi sunt & alij per diuersa. Gaspar Badaiocius, vt Occidẽtem percurrat: Franciscus Bezerra, vt per sinûs ipsius angulum: & Valleius, vt per fauces eius ad orientalem sinûs oram traijciant, ad arcana telluris eius exploranda: in qua Fogeda nupèr sinistris auibus pedẽ figere cœperat, arce ac pago ædificatis. Cum octoginta priùs militibus instructis ex Dariene Badaiocius discessit: quem secutus est cum quinquaginta Ludouicus dictus Mercado: Bezerræ verò addixerunt octoginta, Valleio septuaginta. Portus'ne tutos capturi sint, an in malefidas stationes casuri, summi rerum artificis prouidentia nouit. Nos autem homines casuum notitia, postquàm emerserint, includimur. Ad alia veniamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber ſeptimus.



IX benè domo exierat Petrus Arias putati continentis gubernator, appulſus ad Darienem, cum pleriſque appendicibus: quandò ad curiam, negociationis gratia, ſenſi veniſſe quendam Andream Moralem, nauium ea littora noua percurrentium nauclerum: qui & crediti continentis oras, & inſularum adiacentium tractus, & Hiſpaniolæ interna omnia diligenter ſoliciteq́ꝫ ſcrutatus eſt. Veſtigandæ Hiſpaniolæ curam viro huic frater Nicolaus Ouandus, militiæ Alcantaræ maior Commendatarius, Hiſpaniolæ gubernator, demãdauit: quòd ingenio polleret, eſſetq́ꝫ ad huiuſcemodi rem explorandam cæteris aptior. Super his Andreas hic indices & tabellas formauit egregias: quibus præbetur fides à reliquis rem intelligentibus. Is ad me venit, vtì ſolent alij ab Oceano redeuntes. Quæ ab eo & pleriſque alijs hactenùs ignorata didicerim, tractemus. Sit Hiſpaniolæ particularis deſcriptio, quæ primam huius narrationis frontem amplectatur: quandoquidem caput eſt & emporium vniuerſæ liberalitatis Oceani: habetq́ꝫ mille, atqꝫ iterùm mille, formoſas, comptas, ditesq́ꝫ Nereides nymphas, quę ipſam, tanquam Tethym alteram dominam & genitricem, circunſepiant, comantq́ꝫ, decenter. De Nereidibus ipſis, id eſt, circumambientibus inſulis, pauca mox diſſeremus. Inſula demùm Margaritæa, Diues à noſtris

appellata, in australis pelagi sancti Michaëlis sinu iacens iam trita (quæ nobis miranda præbuit in-præsentiarùm, & maiora de futuro pollicetur) superueniet: candentibus armillata, torquata & coronata Cleopatræis vnionibus: de quorũ conchylibus in calce narrationis par erit aliqua pertingere. Ad elysiam iam Hispaniolã veniamus: & à prima nominum impositione exordiamur: de forma & cæli clementia mox: de ipsius diuisione demùm conferemus. Ex insula Matininó, de qua in prima decade, cum accéntu in vltima, vtì tua Sanctitas noscet per virgulam superimpositã in omnibus eorum vocabulis, nè totiès repetẽdum sit, vbì accẽtus nouorũ vocabulorũ iaceant: inquiunt hi transuectos suis monoxylis canóis, dico lintribus vniligneis, primos habitatores, è patria per aduersæ factionis partes eiectos: vt Dardanũ ex Corytho legimus, & ex Creta Teucrũ in Asiã, & solũ posteà Troianũ appellatũ: Tyriosq́ ac Sidonios, fabulosa ducẽte in Libyam Didone, classem appulisse. Extorres igitur Matininóẽses è proprijs laribus, in Hispaniola & ea insulæ parte quæ Cahonáo dicitur, ad ripã fluminis appellati Bahaboní, sedẽ posuêre: vtì est in Romanis initijs de Aenea Troiano in Italiam ad Latium Tibrim deuecto. Intra Bahaboní fluminis ostiũ iacet insula, vbì dicuntur aduenæ primam domum erexisse: hanc appellauêre Camotéiam. Domũ eam sacrârunt postmodùm, & reuerenter coluerunt semper, ad aduentum vsque nostrorum, & donis perpetuis salutabant: vtì nos initialem nostræ religionis Hierosolymam, Mahometęi Mecham, & veteres Fortunatarum insularum cultores in magna Canaria Tyrmam super alta rupe structã: vndè sese multi lætis animis & psallentes præcipita-

pitabāt, à ſacrificulis eorum perſuaſi, animas indè ſe amore Tyrmæ deijcientium beari, ad æternasq́ delicias perduci. Reperêre id obſeruatum ad noſtra vſque tempora Fortunatarum debellatores: nec decidit hodiè à communi ſermone ſacrificiorum memoria: nomenq́ rupes ipſa retinet. Didici etiam nupèr eſſe in inſulis ipſis, à Betanchóro Gallo, primo Fortunatarum cultore, habita tamen ab Caſtellanis regibus venia, vtì aliâs dixi, Betanchoránam factionem, quæ adhuc & linguam & mores Gallicos ſeruet, licèt Betanchóri hæredes, Caſtellanis viris, vtì ſuprà memorauimus, domitas duas inſulas precio reliquerint. Habitatores tamen qui Betanchórum ſecuti fuerāt, & ſibi domicilia fabricauerant, familiasq́ ibì auxerant, perſtiterunt: atque vnà cum Hiſpanis fortunatè viuunt, Gallicorum frigorū expertes. Ad Matininoénſes pedem referamus. Nomina Hiſpaniolæ à primis habitatoribus impoſita fuêre, primùm Quizquéia, dehinc Haíti. Neque hæc ad imponentium voluntatem ſolùm, ſed ab effectu credito ab eis. Quizquéiam dicunt rem grandem, qua nulla ſit maior. Quizquéiam interpretantur vaſtitatem, & vniuerſum ac totum: vti Græci ſuum Pánem. Quia ſunt arbitrati, ob eius magnitudinem, eſſe vniuerſum orbem terrarum, neque ſole calefieri quicquam aliud, præter eam inſulam cum adiacentibus cæteris: propterea Quizquéiam dici debere ſtatuerunt. Haíti verò dicitur aſperitas, eorum vetere lingua: atque ideò inſulam appellauêre vniuerſam Haíti, per metonymiam à parte totum denominantes: quia hæc inſula pleriſque in locis horreſcat aſpera montium facie, ac tetra ſyluarum denſitate, vallibusq́ ob altitudinem montium

formidolosis & obscuris: licèt alibì sit amœnissima. Hîc est aliquantispèr, beatissime Pater, digrediendum. Mirabitur Beatitudo tua, quonam pacto simplices homines recolant huiuscemodi principia à distantibus, quandoquidem nullum genus literarum assequũtur. Mos est apud eos ab æterno, in regum domibus præcipuè, vt filios eorum boitij, id est, sapientes, in rerum agnitionem memoriter erudiant. In ea præceptione duabus maximè rebus intendunt: generali alteri, de rerum origine ac successu: particulari alteri, de parentum, auorum, atauorúmque ac maiorum omnium præclarè gestis bello & pace. Quæ duo præcepta rhythmis habent composita eorum lingua. Hos Aréitos appellant. Et, vtì citharœdus apud nos, cum tympanis illi suo more fabrefactis suos aréitos concinunt, & choreas cantando ductitant. Tympanum maguéy dicitur. Habent & aréitos amatorios: habent & querulos & excitantes ad pugnã, cum suis quenq; sonis rei quadrantibus. Vtũtur & saltationibus, in quibus sunt nostris multo agiliores, quia nulli alteri rei magìs inuigilant, suntq; nudi, nec vestibus occupantur. In Areitis à maioribus habẽt vaticinatũ nostrorũ aduentum: quibus gemẽdo, vtì per elegias, perniciẽ suam detonant. Maguacochíos aiunt, id est, vestitos homines, venturos ad insulam, armatos ensibus, hominem scindentibus vno ictu: quorũ iugo posteritas eorum subdẽda foret. Nec miror quidẽ vaticinatos eorum maiores seruitutẽ filiorum: si verum est, quod de lemurũ familiaritate referunt. De quibus satìs latè in primæ nostrę decadis libro nono (vtì de zemibus, id est, de eorum simulacris, quæ colebant) disseruĩmus. Nũc autem fatentur, zemibus sublatis, nusquàm vltrà

Insularium filios instituendi ritus.

trà quenquam apparuisse. Asscribunt nostri signo crucis, quo se omnes muniunt: sunt nanque baptismatis lauacro abluti. Est & vniuersis ingẽs cura de noscendis finibus & regnorum terminis: sed hæc generalis mitaínis omnibus, id est, nobilibus: mitainos enim appellant nobiles: ità vt suæ sint & hi patriæ non inepti cósmetræ. Vulgo nulla est cura alia præterquàm de sementibus & sationibus. Piscationibus sunt & aptissimi: quia toto anno omnibusq; diebus sese fluminibus immergunt: neque minùs agunt in aquis vitam, q̃ in terra. Venatu etiam inuigilant. Habent nanq; duo genera quadrupedũ, vti aliâs diximus: vtías, hæ sunt cuniculi parui: & serpentes iuánas, de quibus in prima decade satìs, crocodilis assimiles, octipedales, terrestres, suauissimi saporis. Volucres autem innumeras nutriunt omnes insulæ: putà palumbes, anates, anseres, ardeas: psittacorum prætereà nõ minorem, quàm apud nos passerculorum, copiam. Quisque regulus suos habet ditionarios dispartitos, venatui hos, illos piscatui, agriculturæ alios addictos. Ad nomina redeamus. Quizquéiam, diximus, & Haitín esse antiqua nomina. Cipángam etiã à regione montana, auro ferace, plerique vniuersam insulã appellauêre: vtì poëtas vidimus nostros Italiã appellâsse aliquandò Latium à parte ipsius. Eccè, vtì Ausoniam Hesperiamq; maiores Italiam dixêre: ità hi Quizquéiam, Haitín, Cipángam. Nostri autẽ primò Isabellam ab Elisabeth regina, quam Hispanum idioma nuncupat Isabellam, à prima colonia condita in littore septentrionali insulæ. De qua satìs in prima decade. Ab Hispania postmodùm appellant diminutiuè Hispaniolam. De nominibus satìs, de forma nunc loquamur. Qui

Nomina Hispaniolæ.

primi percurrerant insulam, castaneæ folio similem cum sinu ad Occidentem, mihi depinxerũt, Cubam insulam prospectantem. Hic autem Andreas Morales nauclerus, aliter depictã, parùm tamen differentẽ, ad me tulit: ab vtroque quippe angulo, orientali putà & occidentali, magnis sinubus cauatam esse describit, cornuaq; protendere longissimè. Intráque magnum sinum orientalem portus locat amplos tutósque. Dabimus operam, vt aliquandò ad Sanctitatem tuam is index particularis Hispaniolæ mittatur. Eodẽ nanque modo suum indicem affert, quo Hispaniam & Italiam cum suis quanque montibus, vallibus, fluminibus, vrbibus, & colonijs, arbitror Beatitudinem tuam sæpè conspexisse. Comparemus sine rubore, comparemus, beatissime Pater, Italiæ, reginæ quondàm orbis terrarum, Hispaniolam: quandoquidem si quãtitatem dimetiemur, paulò minor reperietur. Est nanque Hispaniola ab Oriente distenta in Occidentem milliaria (vtì iuniores volunt) quadraginta supra quingenta. Almirantum diximus in prima decade produxisse mensuram. Lata verò alicubì tercentum ferè, angustior tamen alibì, vbì cornua iactat. Sed Italia est hæc multo beatior, beatissime Pater: maiori quippe ex parte suî est adeò temperata & amœna, vt neque frigore vrgeatur molesto, nec calore vexetur immodico. Habet vtrunque solstitium Hispaniola penè par æquinoctijs. Vix enim horam integram asscendit dies vt noctem superet, aut econuerso, in meridionali latere, in septentrionali aliter. Pleræque regiones in ea iacent, in quibus aliquandò frigus viget. Sed id accidere Beatitudo tua intelligat, ex consono ad id obiectu montium, vt infrà

Hispaniola multis nominibus præfertur Italiæ.

infrà latiùs dicemus: neque tamen eſt atrox adeò, vt habitatores niues moleſtent vnquàm. Perpetuo prætereà gaudet vêre, perpetuóque autumno felix hæc inſula. Frondeſcunt ibì toto anno arbores, & prata vireſcunt. Fortunantur ibì omnia mirìficè. Quantùm hortenſia coaleſcant intra ſextumdecimum diem, caules, lactucæ, boragines, raphani, & huiuſcemodi ſata: cucurbitæ, melones, cucumeres, & ſimilia intra trigeſimum, ſatìs latè alibì. De animalibus autem diximus, boues ex Hiſpania tranſuectas in multo maiores euadere. Boues elephantis, porcos mulabus, cùm de augmento eſt ſermo, comparant, hyperbolicè tamen. Diximus & ſuillas carnes ſapidas eſſe ac ſalubres, propter myrobalanos & patrios fructus alios, quibus veſcuntur, ſuapte natura naſcentibus: vtì apud nos fagineæ ſunt, iliceæ, quernæ´que glandes. Vites etiam, ſi cura inſit, mira coaleſcunt vbertate: & ſi cui animus aliquandò fuit, de ſerendo in montibus tritico, vbì parumpèr frigoris vigeat: in plano minimè, ob nimiam agrorum pinguedinem. Eſt incredibile auditu. Spicam ſuperare lacerti craſsitudinem, ſpithama longiorem, granáque nutrire quamlibet duo millia ampliùs, aſſeueranter inquiunt, & iureiurando affirmant. Sed ſalubriorem inſulæ panem iuccæ prȩſertim, aiunt, quem vocant cazábbi: quia ſit digeſtioni aptior: quódque ſeratur & colatur faciliùs atque vberiùs. Id autem temporis quod ſupereſt, auro intendunt legẽdo. Eſt tanta omnium quaprupedum copia, vt iam & equi & coria boum & pecudum portentur in Hiſpaniam. Genitrici iam ſuccurrit filiola multis in rebus. De coccineis arboribus, de aromatibus,

Rara terræ fœcunditas.

bus, de colore glauco, de mastice, gossampio, de electro, & multis alijs eius prouentibus, satis multa alibi. Quid felicius ergò, beatissime Pater, in terris, quàm viuere vbi fas sit, tot tantáque passim videre & frui? quid beatius, quàm agere vitam, vbi non cogaris angustis includi cubiculis, horrenti gelu, aut anxio calore? neque hyeme oporteat ponderosis vestibus corpus onerare, aut suras perpetuo igne cremare, quæ senefaciunt homines in ictu oculi, ac vires labefactant, trahuntq; mille morborum genera. Salubrem prætereà inquiunt esse aërem, salubres & fluminum aquas, vtputà quæ auro perpetuò superlabuntur. Nullus est nanque fluuius, nulli montes, pauca planities, auro immunes. Ad particularem tandèm internam huius beatæ insulæ cosmographiam deueniamus. Habere Hispaniolam quatuor flumina, quę ferè portionibus ęquis eam diuidant ex altis montibus: vno ad Orientem, hoc Iunna dicitur: ad Occidentem altero, quod Attibunícus: tertio ad meridiem, quod Háiba: ad septentrionem quarto, quod Iáche, aliâs narrauimus. Nouam hic nauclerus affert ab incolis ab æterno obseruatam descriptionem. In quinque partes vniuersam diuidemus: dehinc cuiusque prouinciæ regiunculas veteribus nominibus appellabimus: quodq; memoratu dignum in singulis erit, recensebimus. Insulæ initium ab Oriente amplectitur prouincia nomine Caizcimú: sic appellatam, quia eorum lingua cimú frontem siue initium significat. Sequitur illam Huhábo, indè Caihábo. Quarta est Bainóa. Angulum occidentalem tenet Guaccaiaríma: sed penultima Bainóa latioribus cõstat terminis, quàm tres eam præcedentes. Caizcimú à prima insulæ

Iunna. *Attibunicus.* *Háiba.* *Iáche.*

insulæ fronte protenditur ad flumen per vrbem primariam sancti Dominici labens, quod est Hozáma. Ad septentrionem autem terminatur ad montes asperos, dictos ob suî horrorem Haití particulariter. Huhábo montibus Haití & flumine Iáciga includitur. Caiábo tertia amplectitur quicquid iacet inter Cubáho & Dahátio ad ostium vsque fluminis Iácchæ, vnius è quatuor ęquè diuidentibus insulã: & asscẽdit ad montes Cibáos, vbì est maior auri copia. In quibus nascitur fluuius Demáhus, cadítque per fontes fluminis Naibæ, alterius è quatuor ad mare australe, ad aliam fluminis sancti Dominici ripam. Bainóa capit initium à finibus Caiábi, ad insulam vsque Cahiní: quæ iacet ferè contigua littori septentrionali ipsius insulæ, vbì primam diximus ædificatam fuisse coloniam. Reliquum ad Occidentẽ occupat Guaccaiarima prouincia. Atque ideò Guaccaiarimam appellant, quòd sit insulæ extrema pars: marimam ipsi appellant podicem: insulæ podicem vocant. Gua, est apud eos articulus: & pauca sunt, regũ præcipuè nomina, quę non incipiant ab hoc articulo gua: vt Guarionexius, Guaccanarillus: & hinc multa etiam locorum nomina. In Caizcimu, regiones sunt, Higuéi, Guanamá, Reyré, Xaguá, Aramaná, Arábo, Hazóa, Macoríx, Caiacóa, Guaiágua, Baguanimáho, & asperi montes Haitienses. Hîc de adspiratione pauca referamus: quæ aliter se habet, q̃ apud Latinos. Aduertendum est, nullam inesse adspirationem vocabulis eorum, quæ non habeat effectum literæ consonantis: immò grauiùs adspirationem proferunt, quàm nos f consonantem. Proferendumq; est quicquid est adspiratũ, eodem halitu quo f, sed minimè admoto ad superio- *Adspiratio quomodò sit proferenda in his insularibus vocabulis.*

periores dentes inferiore labello: ore aūt aperto, ha, he, hi, ho, hu, & cōcusso pectore. Hebræos & Arabicos eodem modo suas proferre adspirationes video. Hispanos etiam in his quæ ab Arabibus diù possessoribus vocabula acceperūt, experior idem seruare: multa quippe retinent: vt almohádda, quæ dicitur puluinar: almoháza, q̄ interpretatur strigilis: & huiuscemodi multa, q̄ anhelante pectore promunt. Placuit hæc recensere, quia apud Latinos accentus plerunq; solus aut adspiratio mutant significatum: vtì hora pro parte diei, & ora pro plurali huius dictionis os: aut ora ꝓ regione, vt, Troiæ qui primus ab orîs. In accentu autē, accentu mutato, occído vel óccido. Ità & in horum simplicium lingua maximè seruandi sunt accentus, & adspiratio promenda. De accētu suprà diximus, & articulo gua. In Huhábo prouincia sunt regiones, Xamána, Canabacóa, Cuhábo: multæq; aliæ, quarum nomina nondùm didici. Caiábus prouincia regiones habet, Maguá, Cacacubána. Huius regionis incolæ longè aliam habent linguam ab Hispaniolis reliquis, & Macoryxes dicuntur. Cubaná est alia regio: & ipsa lingua differens à cæteris. Baioh※igua regio, diuersum & hæc idioma tenet. Aliæ sunt regiones, Dahabón, Cybáho, Manabáho. Cotoy est in insulæ medio: flumen interlabitur Nizaus: montes autem Mahaítin dicti, Hazuá, Neibaymáo. In Bainóa regiones sunt, Maguána, Iagohaiúcho, Baurúco, Dabiágua, Attibuní à nomine fluminis, Caunóa, Buiaicí, Dahabonicí, Maiaguarití, Atiéi, Maccazína, Guahábba, Anniuicí, Marién, Guarícco, Amaguéi, Xarágua, Yaguána, Azzuéi, Iácchi, Honorúcco, Diáguo, Camaíe, Neibaimáo. In Guaccaiarima, prouincia

cia vltima, regiones sunt, Mauicaráo, Guahágua, Taquenazábo, Nímaca, Bainóa parua, Cahaymí, Iamaizí, Manabaxáo, Zauána, Habacóa, Ayqueróa. Ad particularia nunc de regionibus ipsis quædam descendamus. In prouincia Caizimu, intra vastum initij sinum est antrum ingens, in rupe caua, sub radice mõtis altissimi, ad stadia duo circiter à mari: cuius ostium est magni templi foribus assimile, falcatum, ingens. Tentauit cum nauigijs antrum ex gubernatoris mandato hic nauclerus. Per latentes vias, inquit, velutì ad sentinam concurrere ad antrum multa flumina. Et desiêre post id mirari, quò tenderent flumina plura delabentia, quæ à nonaginta milliaribus venientia fluendo absorbentur, nec appareant vltrà. Per eius saxei montis voragines deglutita, iam arbitrantur ad id antrum proficisci. Ingressus antrum nauclerus ferè absorptus est. Inesse rebullitus & vortices inuicèm conflictantes & ora hiantia multa, inquit. Velutì pilam, cum horrendo mugitu, nauiculã eius vortices hinc, ebullitus indè, modò hác, modò illac, diù iactitârunt. Ingressum fuisse pœnituit: nec quà regrederetur intelligebat. In obscuro iam vagabantur, tum ob ipsius antri tenebras, quæ longissimè petunt montis specum: tum quia perpetuæ ibì sint nebulæ ex salientibus vaporibus humidis in continua conflictatione venientium aquarum. Casui Nili è montibus Aethiopũ, strepitum illum comparat. Surduerũt adeò, vt, quid inuicèm loquerentur, haudquaq̃ audirent. Euasit tandèm pauidus de antro, velutì de tartaro, putans redijsse ad superos. Ad milliaria fortè sexaginta, ab vrbe primaria sancti Dominici, sunt ferè in prospectu montes alti, super quorum ver-

Flumina in antro absorbentur.

vertice ſtagnum eſt inacceſsibile: à iunioribus nunquàm viſum ob aſperitatem montis, neque quòd ſemita pateat vlla. Per vicinum tandẽ regulum ductus nauclerus, vt gubernatoris mandatum expleret, montem aſſcendit. Stagnũ adijt. Vigere ibì frigus ait. In hyemis argumentum, filices & rubeta mora gignentia, quæ duo calidã regionem minimè patiuntur, inuenêre. Montes vocant Ymizuí Hybaháino. Circuit in gyrum lacuna milliaria tria. Dulcium eſt aquarum: varijs piſcibus egregia eſt. Cadunt in eam riui plures: nec habet exitum lacus, quia ſit vndiq; montium verticibus circunſeptus. De altero nunc Caſpio ſiue Hyrcano, Mediterraneo mari dico, cum vicinis alijs quibuſdam dulcibus lacubus parumpèr conferamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber octauus.



BAINOA prouincia, quę triplo ſuperat tres primas, Caizimu ſcilicet, Vhabo & Caiabon, vallem includit Caiouani: in qua lacus eſt ſalſus, amarus, horridus, vtì de Caſpio legitur: propterea Caſpiũ eſt animus vocitare: licèt non ſit Hyrcania regio. Voragines habet, è quibus & ſaliunt aquæ marinæ, & venientes è montibus abſorbentur. Putant eſſe amplas adeò, profundasq; cauernas eius, vt è mari per eas magni etiam marini piſces emergant: inter quos piſcis quidam ab eis dictus Tiburonus, qui hominẽ in ictu dentis ſecat medium

Piſcis homines vorans.

dium & vorat. In Hozamam vrbis primariæ fluuium, è pelago aſſcendunt tiburoni, & multos dilacerant ex incolis: præcipuè qui ſe nullo pacto abſtinent, quin quotidiè lauandi gratia immergant fluuio. Flumina in ſtagnum delabuntur ſalſum à ſeptẽtrione Guaninicabón, à meridie Xaccoéi, ab Oriente Guannábo, ab Occidente Occóa. Magna hæc flumina, perpetuaq́ꝫ eſſe inquiunt: & parua in Caſpium cadere viginti ampliùs. Scatent etiam à ſeptentrione proximi ſtagno, non ampliùs ſtadio: ſtadiumq́ꝫ occupant in circuitu fontes pluſquàm ducenti, aquarum æſtate frigidarum & dulcium potabilium. Hæ fluuium efficiunt minimè vadoſum, qui è proximo cum cæteris ad ſtagnum labitur. Hîc eſt ſiſtendum parumpèr. Regionis regulus, vxorem, in ſacello à Chriſtianis in eius ditione ſtucto orantem reperit, concubitum petit: habendam eſſe rationem loci Deo ſacri, vxor arguit. Cuius verba hęc fuerunt: Teítoca teítoca: quod ſonat, eſto quietus: técheta cynáto guamechyna: quod ſonat, Dñs multùm iraſcetur. Guamechyna dicitur dominus, técheta multùm, cynáto iratus. Inquit excuſſo brachio maritus: Guaibbá, id eſt, vade: cynáto machabúca guamechyna: interpretatur, Quid ad me quòd iraſcatur Deus? Vim vxori intulit: repentè mutus effectus eſt, & ſemimancus. *Vindicta mira polluti ſacelli.* Pœnitentia ductus, & miraculo perculſus, donèc vixit, egit vitam religiosè: nec paſſus eſt vltrà ſacellum verri aut ornari aliena manu. Eo miraculo & incolæ multi & Chriſtiani omnes cõmoti, ſacellum pientiſsimè frequentant. Aequiſsimo libentiq́ꝫ animo ferunt regulum fuiſſe paſſum eius contumeliæ vindictam. Ad Caſpium retrocedamus. Is lacus ſalſus procellis agitatur & tem-

pestatibus, ità vt piscatorias sæpè nauiculas in præceps trahat, & cum nautis absorbeat. Neque repertus est naufragatus quispiam emersisse, aut proiectus ad littus, vtì assolet de cadaueribus deglutitis in mari. Sunt hæ tempestates Tiburonorum lauta conuiuia. Dicitur id Caspiũ hagueygabón. Iacet media insula, in quam se piscatuŕi recipiunt, minimè tamen culta. Est insulæ nomen Guarizácca. Amplectitur lacus ipse longitudine millia passuum triginta: latitudine, duodecim, alibì quindecim. Est alius in eadem planitie lacus huic proximus, aquarum salsodulcium, quæ nec potui sunt benè aptæ: neque, si necessitas vrgeret, ineptæ. Longitudo est eius milliarium quinq; & viginti, latitudo octo: nouem & decem alicubì. Fluminum est multorum receptor: absorbentur & ibì aquæ: caret exitu. E mari etiam prosiliunt in eum aquæ, sed paucæ, proptereà commixtus. In eadem prouincia lacus alius dulcis, nomine Iainaguá, ad Occidentẽ, parùm distans à Caspio. Habet & aliũ lateralẽ idem stagnum salsum ad septentrionem, sed paruum, trium & quatuor milliariũ in latitudine, in longitudine vnum & paulò ampliùs. Hic est potabilis. Dicitur is paruus Guaccaa. Ad meridiem lacûs eiusdem salsi, iacet alius lacus trium milliarium in longitudine ferè circularis, dictus Babbareo. Dulcis est, vt superiores duo. Hic lacus, q̃a caret exitu, nec voraginibus deglutiatur, ad mare insalsum, si torrentibus augeatur, superfluas mittit aquas. Hic est in Xamaná Bainoæ prouinciæ regione. Est alius inter Orientem & meridiem iacens ad latus Caspij, dictus Guanybám, milliarium in longitudine X. est ferè rotundus. Sunt prætereà per insulam sparsi lacus alij parui, quos

præ-

prætermittimus, nè diù morando in re eádem, fastidium generemus. Hoc vnum claudat de lacubus sermonem. In omnibus ingens piscium, ingens & volucrum copia nutritur. Hi omnes lacus iacent in valle amplissima, quæ ab Oriente tendit ad Occidentem milliaria centum viginti. Lata verò est milliaria octodecim, vbì angustior: vbì amplior, quinque ac viginti. Collaterales habet montes, ad Occidentem versa facie Daiguani à sinistris: à dextris, ab ipsius vallis nomine montes Caiguani dictos. Iacet ad radices montiũ Caiguaniensium ad latus eorum septentrionale vallis altera, superiore longior, latiórque. Ducenta nanque ferè milliaria complectitur eius longitudo: latitudo, vbì amplior, triginta: vbi angustior circiter viginti. Dicitur vallis Maguana hîc, ibì Iguamu, alibi Hathathiei. Quandoquidẽ de hac parte vallis, quæ dicitur Atiei, mentio incidit, diuertendum est ad inauditum de marino pisce miraculum. Huius regionis regulus piscatione delectabatur: Caramatexius dicitur. In eius retia piscis catulus incidit, de genere piscium immanium, qui dicũtur Manati ab incolis. Minimè notum arbitror genus id monstri per nostra maria. Est nanque testudineæ formæ quadrupes: squamis tamen, non concha, munitus: corio durissimo, ità vt neque sagittam vereatur: mille verrucis armatus, tergo autem plano, & capite penitùs bouino. Aquatilis est, & terrestris piscis, mitis, iners: vtì elephas, vtiq; delphin, hominibus sociabilis, sensu mirabili. Infantulum piscem domì regulus aluit dies aliquot pane patrio, ex iucca & panico putà cõfecto: radicibus etiam alijs quibus homines vescuntur. Adhuc paruulũ, piecit piscem in lacũ suis ædibus

proximum, tãquàm ad viuaria: qui lacus & ipſe ſuſcipit aquas, nec illas euomit. Eſt lacui nomen Guaurábo: qui dehinc lacus Manati eſt appellatus. Líber in aquis piſcis annos vagatus eſt quinq; ac XX. Adoleuit in immenſum. Quæ de Baiano, quæ've de Arionęo delphinis feruntur, diſtant ab huius piſcis geſtis. Piſci nomen eſt impoſitũ Matum: quod ſignificat generoſum aut nobilem. Quandò ergò ex reguli familiaribus ei notis præcipuè, quiſquam in lacunæ ripa Matum Matum, hoc eſt, generoſe generoſe, proclamabat: humani beneficij memor, caput eleuans, ad vocantem pergebat. Paſcebatur hominum manu. Si verò quiſpiam transfretandi cupidus, ſigna dabat: ꝓſtratu ſuo traiecturos inuitabat. Decem aliquandò monſtrum conſcendiſſe vno receptu, tranſportatosq; fuiſſe omnes incolumes pſallendo & cantando, compertũ eſt. Sed ſi Chriſtianũ quenquam erigens caput cerneret, ſummergebatur, & parére recuſabat: quia fuerat à Chriſtiano iuuene quodam petulante affectus iniuria. In piſcem nanque mitem & domeſticum fuerat iaculatus haſtam acutam: licèt haudquaquàm læſus fuerit ob duritiẽ corij, quod habet verrucoſum, aſperumq;: illatam tamen ſenſit iniuriam. Et ſi quandò vocabatur à notis, ex illo die circumadſpectabat priùs diligentiſsimè, nè quis veſtitus Chriſtiano more adeſſet. Luctabatur in ripa cum reguli cubicularibus: ſed præcipuè cum adoleſcente regulo grato: cum quo domì cibos aliquandò ſumpſerat. Cercopitheco lepidior erat. Fuit longo tẽpore vniuerſæ inſulæ ſingulari ſolatio: nam & incolarũ & Chriſtianorum multitudo ingens ad monſtri miraculum quotidiè confluebat. Sapidas inquiunt eſſe illius ſpeciei piſcium carnes, mul-

Monſtrum marinum in delicijs habitum.

multósque maria illa generant. Amiſſus eſt tandèm facetus piſcis Matum: ad mare deuectus ab Attibuníco, vno è quatuor æquè diuidentibus inſulam fluminibus: ex alluuie inaudita typhonibus horrendis comitata, quam ipſi vocârunt furcanum. Superauit Attibunicus ripas adeò, vt vniuerſam impleuerit vallem, & ſeſe lacubus omnibus immiſcuerit. Secutus ergò Attibunici torrentem bonus matúmus, facetus, ſociabilis, matrem antiquam & natales aquas repetiuit, nuſquàm aliâs viſus. Satìs digreſſum. Ad vallis ſitum veniamus. Habet vallis hæc collaterales montes Cibáuos & Cayguanienſes: ad mare auſtrale illam deducunt. Eſt & vallis alia vltra Cibauos montes ad ſeptentrionem, quæ dicitur vallis Guarionexij: quia regulus ille Guarionexius ab auis & maioribus alijs ab hominum memoria vniuerſæ valli ſemper hæreditario iure imperitauerit. De hoc regulo multa in primis inſulæ narrationibus & prima noſtra decade. Eſt vallis centum octoginta milliarium longa ab Oriente ad Occidentem: lata verò à meridie ad ſeptentrionem, triginta, vbì anguſta: vbì latior, quinquaginta. Initium capit à regione Canabocóa, per prouincias Huhábũ & Caiábum: terminatúrque in prouinciam Bainóam & regionẽ Mariénam. Iacet autem media inter Cibáuos montes & Cahonáos & Cazacubúnam. Nulla eſt prouincia, regio nulla, quæ non ſit celebris maieſtate montium, vbertate vallium, amœnitate collium, & fluminum interluentium copia. Nulla montium aut collium latera, nulla flumina, quæ non abundent auro, & ſuauium piſcium dapibus: vno fluuio excepto, qui ab origine ſua & montanis fontibus eius, ſalſus egreditur, labi-

turq; salsus donèc pereat. Is dicitur Bahuán: & regionem Maguánam prouinciæ Bainóæ intersecat. Existimant per meatus aliquos gypseos aut salinas subterraneas iter sibi fecisse fluuium. Sunt in insula salinæ celebres: de quibus latiùs infrà dicemus. Per quatuor ea flumina, perq; prouincias quinque, diximus insulam diuidi. Datur & alia partitio. Constat insula vniuersa quatuor montium cacuminibus, quæ mediam secant ab Oriente in Occidentem. Succosa cuncta: auro feracia cuncta: è quorum cauernis & faucibus vniuersæ aquæ fluminum euomuntur. Sunt in eis antra horrenda: sunt & tractìm obscuræ valles: sunt saxeæ rupes. Nullum animal noxium in ea repertum vnquàm. Nullum quadrupes rapax, non leo, non vrsus, non tigres feroces, non insidiosæ vulpes, non lupi voraces: beata omnia: beatiora nunc, quòd intra tui gregis oues, beatissime Pater, sint recepta tot hominum millia: zemibus omnibus, dæmonum simulacris, eliminatis. Si res huiuscemodi aliquandò in discursu nostræ narrationis repetiero, siq; digredior interdùm, vt hæc referam, beatissime Pater, nè mihi succenseas. Feruor animi præ lætitia, cùm audio, cũ video, cùm scribo ista, me velut Apollineus & Sibyllineus quidam spiritus exagitat, cogítque idem sæpè referre: quandò præcipuè sentio, quò tendat nostræ religionis amplitudo. Hoc tamen inter sata hæc vberrima iacet medium, quod me angit non mediocriter. Simplices hi nudi homines, paruo erant assueti labori. Pereunt multi ex immensa fatigatione in aurifodinis: despérántque adeò, vt sibi mortem multi consciscant, nihílque curent de procreatione filiorum. Sumere matres grauidas medicamina, in-

Quid non mortalia pectora cogis, Auri

inquiunt, quo immaturos partus edant, cùm cernant se parituras Christianorum mancipia. Licèt ex regio diplomate liberos esse sancitũ sit, seruire tamen coguntur vltrà quàm homini libero placeat. Extenuatus est miserorum numerus in immensum. Duodeciès centena capitum millia ampliùs fuisse aliquandò censita multi ferunt. Quis nunc sit, horresco referre. Missa hæc faciamus. Ad oblectamenta mirandæ Hispaniolæ regrediamur. In montibus Cibáuis, qui ferè mediam insulæ sedem in prouincia Caiábo, tenent, vbì diximus natiui auri vberiorem esse ortum, regio est dicta Cotóhi, in nubibus sita, celsis montium culminibus circunuallata, frequens habitatoribus: planitie constat milliariũ quinque & viginti longa, lata quindecim. Superat ea planities cæterorum montium cacumina, ità vt reliquorum montiũ hi montes videãtur esse principes & genitores. Planities hæc quatuor sentit anni tempora: Ver, æstatem, autumnũ, & hyemem. Siccescũt ibì herbæ, nudantur frõdibus arbores, prata canescunt: quod minimè diximus accidere cæteris in locis insulæ, quæ ver tantùm & autumnum hospites habent. Filices nutrit ea tellus & hortos, serpentia rubeta mororum altricia, quæ frigus inesse regioni ostendunt. Amœna tamẽ regio est: neque horridum est frigus, putà quod rigore niuibúsque haudquaquàm incolas premat. Vbertatem eius regionis à filicibus arguũt, quorum frutices inquiunt hasta crasſiores generari. Auro ditia sunt eius montana latera. Non itur ad id effodiendum, quia vestitis opùs esset fossoribus, ob frigora, & laboribus assuetis. Habitatores autem paruo cõtenti, molles sunt: propterea minimè ferre quirẽt hyeme sub dio vitã. Flumi-

sacra fãmes?

na regionem interluunt duo, è cacuminibus prę-ſentium montium delabentia. Vnus Comoiay-xa, qui tendit ad Occidentem, & in Náibæ al-ueo nomen amittit. Alter Tirecótus dicitur: hic ad Orientem fluens, Iúnnæ fluminis aquas au-get. In inſula Creta prætereunti mihi ad Sol-danum, retulêre Veneti, regionem huiuſmodi iacére intra Idæorum montium cacumina, quæ cæteris feracior ſit inſulæ regionibus ſatione fru-mentaria. At quoniam ob anguſtas ad culmina vias, Cretenſes illi aliquandò defecerint, diúq; contra Senatûs Veneti authoritatem regionem armis tutati ſint: quandò poſt longa tempora ſe, iam bello feſsi, dediderunt, regionem deſertam relinqui Senatus voluït, portis anguſtiarũ clau-ſis, nè quiſquam, iniuſſu Veneti Senatûs, ad eam conſcenderet. Eo autem anno, qui fuit ſecundus à quingenteſimo ſupra milleſimum, iam venia dabatur agricolis colendi regionem, aptis au-tem ad arma minimè. Eſt & alia regio in Hi-ſpaniola nominis eiuſdem Cotóy. Ea prouincias diſterminat Vhábum & Caiábum. Montes val-léſque & plànities habet: ſed quia ſterilis, mini-mè frequens eſt habitatoribus. Maior eſt in ea auri copia. Eſt ibì auri origo: non grumatìm, non minutìm legitur. Inter tophos & rupium venas ſolidum purúmque aurum inuenitur: ſcin-dendo ſaxa ſequuntur auri veſtigia. Eſſe arborẽ viuam auri venam comperiunt. Quacunquè pa-teat iter è radice per apertas molleſq; ſcatebras, ramos ad ſuperna ſupercilia montis emittit: neq; vnquàm datur quieſcere, donèc cæli auram aſ-ſequatur. Formare ibì, viſo aëris fulgore, ba-ctras & grumos pro fructu, animaduerterunt. Hæ ſunt quæ per vniuerſam diſſeminantur in-ſu-

ſulam per alluuies raptatæ ad ima, de natura ponderoſorum. Non autẽ illic procreari putant, vbi leguntur, in ſicco pręſertim, in fluminibus aliter. Radicem arboris aureæ tendere ad terræ centrũ, inquiũt, & ibì coaleſcere. Quo nanq; profundiùs effodiatur, eo truncos reperiunt craſsiores, ſi per montis ſcatebras liceat. E ramis autem filo ſubtiliores aliquos captant: digitos æquantes alios, pro ſciſſurarum hiatu. Accidit & incidiſſe in cauernulas auro fultas: per ramorũ tamen aſſcendentium vias: quibus repletis ex ſubſtantia trunci ſerpente ab imo carpit iter ramus quà pateat. Intercipitur ſæpè ſaxi ſoliditate. In cæteris rimis tamen nutritur ex halitu & virtute radicũ. Quid ergò auri efferatur, interrogabis, beatiſsime Pater? Ex ſola Hiſpaniola vehitur in Hiſpaniã quotannìs quadringentorum & quingentorum interdùm millium ducatorũ auri ſumma. Id ex quinta regia intelligitur, quæ ad fiſcum venit: octoginta, nonaginta, & centum millium caſtellanorum auri, & aliquãdò maior. Quid ex Cuba, quid ex inſula ſancti Ioannis, fœcundis & ipſis auro, ſperetur, infrà dicemus. De auro ſatìs dictum.

Quantum auri vehatur quotannis ex Hiſpaniola in Hiſpaniam.

De ſale, quo cõdiamus quæ auro emuntur, ſit ſermo. In regione Bainóæ prouinciæ in montibus Daiagónis ad milliaria duodecim à Caſpio ſalſo lacu, ſalinæ ſunt mõtanæ ſaxeę, cryſtallo lucidiores, cãdidioresq;. Sunt & huiuſcemodi ſalinæ quę creſcunt mirum in modum in Laletania, quę Catalonia dicitur, ſub duce Cadona, regionis illius optimate primario. Sed nobiliores has Bainóas eſſe aſſeuérant, qui vtraſque noſcunt. Sine cuneis & ferreis clauîs hoc ſcindi minimè poſſe aiunt. Laletanum autem facilè frangi, & ego expertus ſum. Hoc topheæ, illud marmoreę comparãt du-

ritiei. In prouincia Caizcimú regiunculis Iguanamá, Caiacóa, Guariágua scatent admirabilis naturæ fontes, superficie prima dulces: quæ medium tenent, aquæ salsodulces: quæ fundo iacent, amarę salsæq;. Putant salsas maris aquas leniter emanare: in supercilio fluere de montibus per terræ meatus dulces. Hæ summerguntur, emergunt illæ: nec sufficiunt hæ corrumpere penitùs illarum latices. Quæ sunt mediæ, vtrasque suscipiunt, & vtrarunque fiunt participes. Si autem quis in alicuius fontis margine stratus aurem fixerit, concauam esse adeò ibi terram noscit, vt reboet à milliaribus tribus veniẽs eques: pedes autem ab vno milliari sentitur. In vltima ad Occidentem regione Guaccaiarima, in regiuncula Zauána homines viuere aiunt, montium cauernis & syluestribus fructibus contentos, qui nunquàm mansueuerint, neque aliorum vnquàm hominum commercio vsi sint: sine certis sedibus, sine sationibus aut cultura vlla, vtì legitur de aurea ætate. Hos certo aiunt idiomate carere. Cernuntur aliquandò. Habuerunt ad manus neminem. Si quandò venientes ad conspectum hominum, quenquam ad se moueri cognouerint, ceruo celeriùs confugiunt. Canibus aiunt Gallicis agiliores esse. Quid ex his soliuagis lepidissimè vnus egerit, audi beatissime Pater. Prædia nostri habent in densarum syluarum & nemorum marginibus. Solatij gratia Christiani quidam Septẽbri mense anni M D XIIII prædia visunt. E nemore salit insperatus elinguis homo: subridens à Christianorũ lateribus puerum rapit, domini possessionis filium, habitum ex insulari fœmina. Aufugit soliuagus: vt sequantur, innuit. E nostris & è nudis insularibus multi currunt ad

rap to-

raptorem: præhenderunt minimè. Vbì vidit facetus soliuagus desijsse Christianos à persequendo, puerum reliquit in biuio, quà subulci vagabantur, porcos cogentes ad pascua. In puerum subulcus incidit: in vlnis susceptum ad genitorem, sese torquentem, portat. Esse de genere Caribium genitor soliuagum arbitrabatur. Voratum iam filium deflebat. In eadem insula maritimis locis è scopulis picem legunt, arborea pice duriorem amarioremq́ꝫ, propterea nauibus fucandis contra vermes corrodentes, quos dicunt bromam, de quibus latè aliâs, commodior est. Gignit ex duobus arborum generibus picem insula: ex pinu, putà, & arbore dicta copei. De pinea prætereo, quia vulgò vbiquè generetur. De copéia arbore dicamus: de pice fructuq́ꝫ pauca, quia pix non aliter ex ea legitur, quàm ex pinu: licèt dicant plerique stillicidio colligi, comburendo eius lignum. Fructus autem eius paruus est, vtì prunum, esui satìs aptum. De folio auditu nouum est, pulchrum naturæ consilium. Arborem esse hanc existimãdum est, cuius folijs Chaldæi, literarum primi repertores, conceptus mentis absentibus significabãt, priusquàm vsus chartæ reperiretur. Spithameum est latitudine folium, rotundumq́ꝫ ferè. Acu aut spintere vel stylo quouis ferreo siue ligneo inscribunt nostri, non ineptiùs quàm charta, vt libet. Risu dignum est, quæ insularibus nostri de folio persuadeant. Nostrorum imperio folia loqui putant boni homines. Missus est ex vrbe Dominica primaria insulæ, insularis quidam ad mittentis amicum, qui distabat in interna colonia, cum vtijs (diximus esse cuniculos) assis. Ex itinere, siue fame, siue gula impellẽte, nũcius tres vtias edit. (Sũt muribus

non

non maiores.)Folio reſcripſit amicus quot receperit. Ad ſeruum herus inquit: En quid? vbi tua fides fili? potuit´ne tantum gula, vt creditas vtias comederis? Tremẽs miſer & admiratus, faſſus eſt errorem: ſed vndè id habuerit, herum rogat. En folium, quod tuipſe affers, mihi recẽſet. Horasq́ illi acceſsûs ad amicum ac diſceſsûs, cùm regrederetur, edicit. Ità lepidè fallunt ſtolidos inſulares: & pro dijs habent noſtros, quorum imperio folia promant, quæ ipſi arcana eſſe putârũt. Sparſo per inſulam rumore, quòd folia noſtrorũ nutu loquantur, in fide depoſiti retinet inſulares. Vtraq; folij facies literas vtì charta noſtra ſuſcipit. Membrana duplicata craſsius eſt folium, tenax mirũ in modũ. Dum eſt recens, literas oſtendit candidas in ſuo viridi: quãdò ſiccatur, vtì tabella lignea, candeſcit dureſcitq́, ſed characteres flaueſcũt. Minimè autem corrumpitur, nec ſi madefiat: notas dimittit nũquàm, nisì comburatur. Arbor eſt alia, nomine Xaguá, cuius pomi acerbi ſuccus glauconiger pingit qcquid tetigerit, adeò cohærenter, vt nequeat vllo lauacro abradi intra dies viginti: vbì maturuerit pomum, vim eam ſuccus amittit. Comeditur, & ſapidũ eſt pomum illud. Eſt & herba, quæ, vtì de ligno aliâs memorauimus, ſuffumigio perimit. De noſtris interimendis reguli quidam conuenerunt, cùm nõ auderent aperta vi prouinciam ſumere, ſtatuerunt locare intra quandam domum multos eius herbæ faſces, vt domum poſteà ſuccenderẽt, quô accurrentes noſtri ad extinguendum ignem, eo ſuffumigio lethalem conciperent morbum. Patefacto conſilio, luerunt pœnas ſceleris authores. Extra ordinem pleraq; nunc inſeramus, beatiſsime Pater, quandoquidem tua Sanctitas placere ſibi

Arboris foliũ ſcribendo aptum.

ſcribit

ſcribit quæcunque de nouis oris referantur. De maizij, agiũ, iuccæ, battatarũ & radicum omniũ eſcariarum ſatione, cultu & vſu, ſatis multa hactenùs. Vndè autem venerint in hominum commoda, minimè adhuc diximus: id referamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber nonus.

PRIMOS aiunt habitatores contentos vixiſſe diù radicibus his, palmarum putà, maguéiorum, quę eſt herba, ſedo ſiue aizoo, quã vulgus ſemperuiuã appellat, ſimilis. Guaiegárum, vtì tubera terræ, ſunt rotundæ radices hæ ac maiores. Guaiéros & edebãt, ſunt vtì paſtinacę. Cibáios, vtì nuces ſunt hæ. Cabaióes, vtì cepæ. Macoánes idem vtì cepæ: multis prætereà radicibus alijs. Boitium, id eſt, ſapientem ſenem, aiunt, poſt multa annorum curricula in vnius fluminis ripa fruticem vidiſſe ferulæ ſimilem: indè euulſam radicem, ex agreſti fecit hortenſem. Et qui primi iucca veſcebãtur cruda, breuì peribãt. Cùm eſſet eius guſtus ſuauis, decreuerunt diuerſis experiri modis pertinaciter eius vſum. Aſſa elixáq; minùs nocebat. Deuenêre tãdèm ad agnitionem veneni, ſucco latentis: & eo modo exiccata conditáq; & deducta in cazáby, panẽ prębet ſtomachis humanis triticeo ſaniorẽ, quòd aptior ſit digeſtioni. Idem de cæteris radicibus, & maizio inter naturæ ſemina ab ipſis electo. Vtì Cererem legimus triticum hordeumq́; huiuſcemodi etiã alia frumenta, quibus humanum genus fruitur, dele-

Triticum hordeũq́; quis primò ad culturam redegerit.

delegiſſe in Aegypto, ex granis raptatis cum limo è montibus Aethiopum per incrementa Nili, relictaq́ in Niliaca planitie, Nilo regrediente ad alueum, ad culturam redegiſſe. Vndè diuinis Cererem honoribus dignam iudicauit antiquitas, ad culturam redactis electis ſeminibus. Agium ſpecies innumeræ ſunt. A folijs & floribus earum varietas dignoſcitur: harũ ſpecies vna dicitur guanaguáx, hæc eſt intùs forisq́ albida: alia guaraguéi, colorẽ habet violaceũ foris, intùs autẽ candidũ. Appellant alios ages zazauéios, hi rubeſcũt forìs, intùs candeſcunt. Alios ſquiuétes, intùs forisq́ albidi ſunt. Eſt túnna vbiquè violaceus. Hobos flaueſcit pelle carneq́. Eſt alius dictus atibuniéix pelle violaceus, carne candidus. Aniguámar cute violaceus eſt, interiùs albeſcit. Guaccarácca pelle candeſcit, violaſcit carne. Sunt multa prætereà, quæ nondùm ad nos delata ſunt, quibus recitãdis ſcio me nimiùm excitare inuidorum calcaria, qui ridebunt, ſi quandò ad eorum manus mea ſcripta deuenient, quòd ad ſupremè occupatum heroẽm Beatitudinem tuam, cuius humeris vniuerſi Chriſtiani orbis onus inhæret, minuta mille ſcripſerim. An Plinius, cęteriq́ inſignes doctrina viri, quandò huiuſcemodi & ab his diuerſa dirigebant ad potẽtes, principibus, quibuſcum diſſerebant, prodeſſe ſolùm intenderunt, ab inuidis cuperem intelligere. Illuſtribus obſcura, magna paruis, craſsis minuta, commiſcebant, quô poſteritas, principum cauſa, agnitione rerũ vniuerſa frueretur: particularibus autem rebus intẽti, & nouarum rerum cupidi, particulares oras tractusq́ ac terrarum prouentus & mores gentium naturasq́ rerum intelligere quirent. Ridebunt ergò ipſi noſtras curas: deridebimus nos

eorum

eorum, non inſcitiam, non incuriam, non deſidiam, ſed pernicioſam ſolertiam: & eorum torturæ pectoris miſerebimur, colubriſq́; inuidorum edulijs eos commendabimus. Si vera ſunt quę de tua Sanctitate Galeatius ipſe Butrigarius & Ioannes Ruffus, inpræſentiarùm Cuſentinus archipræſul, nuncij tuæ Sedis apoſtolicæ retulerunt, placitura omnia non dubitauero: nec incultas veſtes noſtras, quibus res mirandas teximus ſolùm, non ornauimus: collegimus, non deſcripſimus, abiecturá exiſtimamus. Satis rebus ipſis factũ videatur, quòd tua cauſa inuigilauerimus, nè perirent. Tollat hinc quiſq; ſuæ crumenæ quadrantem monetam. De boue veruecéq; à lanijs ſecto, propterea nihil ad veſperam ſupereſt, quia humerus huic placet, illi femur, alteri collum, nec deſunt quibus & ilia ſatisfaciant, aut crura conducant. Satìs euagatum cum liuore rabido. Quibus modis naſcentes regulorum filios, reguli ſalutent: quo´ve pacto vitæ finem principio commodent: cur´ve quiſque regulus multis nominibus vocitetur, parumpèr referamus. Naſcente alicui regulo prole, finitimi accurrũt, reginæ cubiculum intrantes. Hic natam ſobolem vno nomine ſalutat, alius alio. Salue lucida lampas, hic: Relucens, ille: Domitor hoſtiũ, alius: Fortis herois atnepos, alius: Auro ſplendidiorẽ appellat alius, & inania multa. Propterea vti Adiabenicus, Parthicus, Armenicus, Dacicus, Germanicus, Romanorum quiſq; dicebatur, pro parentum & maiorum titulis: ità hi à regulorum impoſitione, vtputà Beuchius Anacauchóa, Xaraguæ regionis dominus. De quo, ſororéq; ipſius Anachaóna prudente fœmina, latè in prima decade. His nominibus appellabatur Turéigua Hóbin, quod ſonat,

rex

rex resplendēs vtì orichalcum. Alius solùm Starei, id est, relucēs. Alius Huiho, hoc est, altitudo. Duiheyniquē alius, interpretatur diues fluuius. Cum his Beuchius omnibus nominibus, & alijs quadraginta ampliùs se ornat, quandocunquè sit aliquid imperaturus, aut per præcones edictuorus. Horum si quis incuria vel negligentia vnum prætermitteret, summa se affici contumelia rex iudicaret. Idem de cæteris. In testamētis autem quàm fatuè sese habeant, intelligamus. Ex sorore prima primogenitū, si insit, relinquunt regnorum hæredē: sin minùs, ex altera. vel tertia, si ex secunda proles desit: quia è suo sanguine creatam sobolem eam certum est. Filios autem vxorū suarum pro non legitimis habēt. Si ex sororibus defuerint, fratribus: si fratres, tunc filijs legant. Si filij desint, ei qui potētior habetur in vniuersa insula, regnum commendant, quo suos ditionarios ab auitis hostibus tueatur. Vxores ducunt quotquot placet. Ex vxoribus chariores cum regulo sepeliri patiuntur. Anachaóna soror Beuchij Xaraguæ regis, qui in componendis areitis, id est, rhythmis, vates habebatur inter egregios, iussit formosiorē ex fratris vxoribus & pellicibus, quę Guanahattabenechéna dicebatur, viuam cum viro sepeliri, duasq; comites. Censuerat vt plures, nisì crepidati fratres sui Francisci, qui fortè aderāt, precibus obstitissent. Guanahattabenechénā aiunt parem nullam in vniuersa insula habuisse pulchritudine: secum sua monilia sibiq; viuenti gratos ornatus sepeliuit. Aquę phialam & cazáby panis portionem cuiq; locāt in sepulcro. In huius Beuchij reguli regno Xaraguá, & in Hazúa Caiábi regionis parte, in valle etiam egregia lacuum salsi & dulcium, & in Yáquino Bainóæ prouincię regione

Hæredes insularis regni.

Regi mortuo vxor viua consepeliri patitur.

regione rarò pluit. Hæ habent omnes auitas fossas, quibus aquas nõ ineptiore ducunt ordine per campos irriguos, quàm nouæ Carthaginis & regni Murciensis habitatores in Spartaria, ob pluuidarum aquarum infrequentiam. Maguána verò regio Bainóam à Caiábo dirimit, & Zauána à Guaccaiaríma. In profundis etiam vallibus crebrioribus vexantur pluuijs, quàm opùs esset. Vrbis etiam primariæ sancti Dominici circũuicina, plerunquè plùs æquo humectantur. In reliquis tẽperatè pluit. Varij sunt ergò in Hispaniola motus elementorum, vtì de alijs multis legimus regionibus. De colonijs in ea positis, satìs in prima decade. Villulas postmodùm posuêre, Portũ Platæ, Portum Regalem, Láres, Villanouam, Azuã, Saluaterram. Nunc iam de adiacẽtibus insulis innumeris (quas immensæ Tethydis Nereides diximus, eam comantes) notas describamus. A viciniori, Arethusa altera nobilitata, licèt aliâs inutilis sit, exordior. Ad milliaria à suæ Tethydis littore sex iacet paruula, à nostris Duas Arbores, antiquo nomine prætermisso, appellata: quia duabus polleat arboribus tantùm: quibus vicinus est fons, ex Hispaniola subter mare per latẽtes meatus scatens, vt ex Elide in Arethusam Siculam Alpheus. Ex hóbis, id est, myrobalanis, & multis arboribus Hispaniolæ, folia in fonte salientia, quibus insula caret, rem testantur. Originem capit fons à flumine Yiamiróa regionis Guaccaiarímę, Zauánæ terrę proximo. Piscaria tamen est insula, cuius circunferentia milliare vix complectitur. Rectà ab Oriente sancti Ioannis insulam, velutì ianuæ custodẽ nostra Tethys habet. De qua multa aliâs. Auri ferax est, & vbertate soli æquè fortunata àc sua genitrix Hispaniola. Coloniæ sunt

& in eam iam deductæ, auroq́ꝫ legendo intēditur.
Ab Occidente septentrionali tergū Tethydi seruat ingens Cuba, putata diù continens, ob suî lon gitudinem: longior nanqꝫ est ipsa Hispaniola. Secat mediam ab Oriente in Occidētem cancri circulus. Hispaniola verò & reliquæ, meridionale ipsius latus seruantes, clauduntur medio ferè spatio à tropico ad æquatorem intra zonam, quam ardore solis desertam, multi veterum arbitrati sunt. Sua illos opinio fefellit. In Cuba insula ditiores reperiri aurifodinas aiunt, quàm in Hispa niola. Hac hora qua hęc scribo, coacta esse in Cu ba referunt castellanorum auri centum octoginta millia conflanda: magnū opulentiæ argumentum. Est his australior Iamaica, læta fertilisq́ꝫ insula, benignitate soli fortunatissima: vno tātùm monte contenta, sationibus recipiēdis aptissima, ac belli studijs aspera. Nequeūt vniuersa quę prę manibus habēt complecti paruo tēpore. Iamaicam aliquandò Colonus huius rei princeps, Siciliæ comparauit magnitudine. Minorem esse, non multò tamen, qui eam exactiùs tractauêre, aiunt: de illius felicitate nil negant. Auro & gemmis expers esse creditur. Idem in initio de Cuba existimabant. Guadalupéa insula, Caraquéira priùs dicta, gradus ab australi latere Hispaniolæ quatuor propior est æquinoctio. Circuit milliaria quinqꝫ ac triginta supra centum. Corrosa duobus sinubus, (vtì de Britānia maiore legimus, & Calydonia, quæ Scotia nunc est) ità vt penè fiant duæ insulæ. Portubus est celebris. Id gummi reperêre ibì generari, quod pharmacopolæ Animen album vocant: ad capitis grauedinem sua suffumigatione tollendam. Cuius arbor fructum producit cariotis similem spithamalem. Aperta, fa-
rinam

rinam videtur includere dulcem. Vtì noſtri rurales caſtaneas & huiuſcemodi pleraque ſeruant hyemandas, ità hi huius arboris cariotas. Eſt arbor ficulneæ ſimilis. Pineas hortenſes & cætera naturæ edulia cuncta, de quibus latè in ſuperioribus, & hi aſſequuntur. Immò & putãt, ab huius inſulæ habitatoribus alias inſulas tot ſuauiũ fructuum ſemina habuiſſe. Quia Caribes vagi circunuicina omnia, homocupij cauſa, pertriuerũt: quicquid verò vtile peregrinũ vbiquè inueniebant, domum portabant ſerendum. Intractabiles ſunt, non patiuntur hoſpites: magna vi opùs eſt ad hos debellandos. Sagittis vterque ſexus, & his venenatis, valet plurimùm. Si quandò foràs viri proficiſcantur, ab iniuria veniẽtium fœminæ ius ſuum viriliter tuentur. Indè puto creditum, inſulas eo eſſe oceano, quæ ſolas mulieres ferãt: vtì mihi perſuaſit Almirãtus ipſe Colonus: & in prima noſtra decade diximus. Mõtes planitiesq́ue aſſequitur vberes hæc inſula, & fluminibus nobilis eſt. Mella in arboribus & ſaxorum ſpecubus nutrit: vtì de Palma Fortunatarũ inſula, quæ mella colligit inter rubeta vepresq́ue. Ad Orientem ab hac inſula, iuniore vocabulo dicta Deſiderata, ad millia paſſuum octodecim, cõcluditur millibus paſſuum viginti, & ipſa elegans. Ad milliaria verò decem ab ipſa Guadalupea ad meridiem, circunferentiæ milliarium triginta, iacet Galanta, plana. A pulchritudine ſua, appellata eſt Galanta: quia Hiſpanum idioma elegantes, galanes appellat. Ad milliaria nouem à Guadalupea, ſex paruæ ſitæ ſunt inſulæ ad Orientem, vocatæ Todos, Sanctos, & Barbata. Hæ ſcopuloſæ ſunt ac ſteriles, ſed cognitu neceſſariæ nauigantibus. Ab hac inſula Guadalupea ad ſeptentrionem

milliaria quinq; & triginta, est insula dicta Monsferratus. In gyro hæc millia passuū continet quadraginta, altissimo monte celebris. Insula dicta Antiqua, à Guadalupea millia passuum triginta, circuit milliaria circiter quadraginta. Almirãtus ipse Diecus Colonus, primi repertoris filius, mihi retulit, vxorem suam, quam, venturus ipse ad curiam, in Hispaniola reliquit, scripsisse ad eum, repertam esse inter Canibalicas insulam auro feracissimam. Ad eam nondùm itum est. Læuo Hispaniolæ lateri ad meridiem, Portui Beatę proxima inhęret insula, Altus bellus appellata. Mira ferunt de huius insulæ belluis marinis, sed de testudinibus præsertim. Magno ancili scuto inquiunt esse grandiores. Quo tempore genitalis & improbus eas furor exagitat, è mari prodeunt. Egesta in profundam scrobem arena, ter & quater centum oua dicitur in scrobem demittere. Geniali vulua iam exhausta, remittit arenæ tantum quãtum ad oua cooperienda sufficiat, reditq; ad marina pascua, de sobole nil solicita. Ad statutos illi belluæ procreandæ à natura dies, pullulat, vtì è formicario, testudinum multitudo, solo calore solis sine parentum adminiculo generata. Anserina ferè oua, inquiunt, æquare magnitudinem. Carnem testudineam vitulinæ comparant sapore. Sunt & innumeræ aliæ insulę, quas neque benè tritas habent, neque opùs est tam tenuiter farinam hanc cribrare. Satìs est intelligere, paratas nobis esse terras immensas, quæ & nostras gentes & linguas & mores ac religionem, aduenientibus annorum curriculis, sint amplexurę. Non Teucri Asiam, nõ Tyrij Libyam, nõ Græci & Phœnices Hispaniam sic repentè impleuerunt. De insulis autem quæ Hispaniolæ latus septẽtrionale custodiunt, mentionem

tionem prætereo: quia licèt piscationibus & culturis aptę sint, relictę tamen sunt à nostris tanquàm pauperes.

Iam valeant annosa Tethys, nymphæq; madentes
Ipsius comites: veniat coronata superbè,
Australis pelagi cultrix, re ac nomine diues.

In libello epistolari, ad Beatitudinem tuã anno superiore per proprium meum familiarẽ misso, quem tua Sanctitas ipsa, audientibus plerisque sacrę sedis apostolicæ Cardinalibus & Amata sorore, perlegit, quo die Michaëlis archangeli festum tibi credita celebrat ecclesia: diximus Vaschum Nunnez Balboam, eorum ducem qui montes arduos superauerant ad austrum, fama didicisse, iacére insulam in prospectu littorum margaritis grandioribus opimam: cuius regulus potens esset ac diues, qui bello sæpè littorales regulos infestaret, Chiapen & Tumaccum præsertim. Scripsimus & relictam fuisse intactã ob furentes tempestates, quæ mare illud australe rabidè tribus anni mẽsibus infestant. Nunc iam tritam habemus. Nunc mitem ex ferocissimo regulum eius effecimus. Hunc cum vniuerso eius dite regno tua Sanctitas amplectatur: quandoquidem ad baptismatis lauacrum admissus est. Cuius ducis auspicijs, quo've modo res acta sit, haud alienum erit ab instituto nostro commemorare. Quarè, quo res acta sit ordine, tua Beatitudo serena fronte ac placidis auribus intelligat.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE

Decadis tertiæ, liber decimus.



Ppulso Petro Aria gubernatore, Gaspari cuidam dicto Morali, Ditem insulã adeundi prouincia demãdatur. Ad Chiapem, quem alij Chiapeium vocãt, & Tumaccum, regulos australes, relictos à Vascho amicos, tendit. Amicè magnificeq; suscipiuntur nostri. Classem instituunt qua traijciãt ad insulam. Hanc Ditem insulam appellant, non autem Margaritam, licèt margaritis abundet, quia Margaritam vocârunt priùs aliam, quæ proxima est Ori Draconis in Paria regione, & ipsam margaritis vberem. Sexaginta tantùm traducit Gaspar armatos ad insulam. Non licuit transmittere plures, quòd essent nauigia, quę ipsi culchas appellant, exigua. Ferox horridusq; fit nostris obuius regulus. Huius nomen non didici. Minabundus prodit cum armatorum familiarium magno comitatu. Guazzáuara, in pugnæ tesseram, inclamitant: & vnà vibrant missilia. Non arcubus hi pugnant. Guazzáuara sonat idem, quod certamen inimicum. Quatuor inuicèm guazzáuaris, id est, pugnis, consertum est. Nostri superiores euaserunt, vnà cum Chiapeis & Tumaccheis insularis reguli hostibus: quia ex insperato regulum adorti sunt. Studebat regulus cogere maiorem exercitũ: sed persuasus à vicinis littoralibus, nè vltrà confligeret, perniciem & florentis regni excidium illi, exẽplo suî & aliorum, ostendentibus, monstrantibusq; nostro-

noſtrorum amicitiam, ſibi ſuisq́ amicis gloriam & vtilitatem parituram. Quid Pōchæ, quid Pocchorroſæ, Quaréquæ, Chiapæ, Tumacco, & reliquis conſerere manum volentibus, acciderit anno ſuperiore, recolunt. Ceſsit ab armis regulus. Noſtris venit obuiàm. In atrium ducit. Id ferunt miris eſſe modis ornatū & benè regium. Noſtris, vbi primùm ingreſsi ſunt eius regiam, caniſtrum arte ſumma laboratum, margaritis plenū dono dat. Octuncialium librarum decem ſupra cētum ea fuit vnionum ſumma. Habitis è noſtris rebus, ſertis vitreis putà, ſpeculisq́ ac tintinnabulis orichalceis, delectatus eſt: & fortè ſecuri aliqua ferrea, quas hi multo maioris faciūt, quàm auri cumulos. Noſtros derident, qui rem adeò grandem & vtilem pro vlla auri ſumma præbeant: cùm ſit ſecuris ad hominū multa cōmoda vtilis, aurum autē ad laſciuiā tantùm faciat nō neceſſariā. Alacer ergo lętusq́ noſtrorum cōmercio, manu pręhenſum prætorem & primarios, ad eminentem atrij turrim, qua diſpectare licebat pelagus vniuerſum, ducit: & oculos circunuoluens, ait: En apertum mare infinitum, neq́ ſole terminatū: & dextram protendit ad Orientem priùs. Verſus dehinc ad meridiē & Occidentē, in immēſum diſtēdi terras, quarū vaſtæ magnorū montium moles videbātur, inſinuabat. Propiùs demùm ſeſe recipiens, inquit: En inſulas à dextra læuaq́ noſtræ huic regiæ collaterales, noſtro imperio parētes. Omnia opima, beata omnia: ſi beatas eas vos appellatis terras, quæ auro & margaritis abundent. Auri apud nos eſt parua copia: ſed margaritis plena ſunt omniū, quæ adſunt, inſularum profunda littora. Ex his quotquot appetiueritis, à me habebitis, modò in amicitia inita mecum perſiſtatis.

Prouentibus vestris magìs ego fruar & delectabor, quàm margaritis. Propterea haudquaquàm me à vestro commercio discessurum dubitetis. Hæc & huiuscemodi multa inter eos acta sunt. Volentibus iam nostris indè reuerti, pacti sunt, vt quotannìs præparet regi magno Castellæ donandas vnionum libras octunciales centum. Postulata suscepit libens: nec magni quidem fecit, nec se vectigalem propterea effectum putauit. Apud hunc regulum tanta est ceruorum & cuniculorũ copia, vt è domibus liceret nostris, quotquot optarent, sagittis transfigere. Lautè ibì vitam agunt & affluenter. Gradum vix sextum ab æquatore distat ea regia. Radicalis & maizij panis ac vini è granis & fructibus eadem est ratio, quæ Comogro: quę cæteris tam continentibus quàm insularibus. Baptizatus, beatissime Pater, hic regulus est cum suis omnibus. Ad tuos ergò greges hæ oues additæ sunt cum suo pastore. A nomine gubernatoris, Petrus Arias voluit nominari. Amicè conuenerunt, amiciùs secedunt. Suorum naualium culchis, id est, lintribus monoxylis, aliorum modo fabrefactis, nostros iuuit, quô commodiùs redirent in continentẽ. Comitatusq; nostros est ad littus. Margaritas allatas, quinta parte magistratibus regijs præbita, inter se diuiserunt. Mirum in modum preciosas esse aiunt. Eccè vno argumento quanti fiant quę ab insula Dite feruntur. Candidas & pulchrè ornatas, auellanã & aliquid maius æquantes, multas tulerunt. Vna præcipuè margarita, quam manu Bartholdi Mediolanẽsis cuiusdã affinis mei, summus Põtifex Paulus prędecessor tuæ Beatitudinis, à Veneto emit mercatore, precio quatuor & quadraginta millium ducatorum, mihi memoriã suscitauit. Inter

nanq;

nanque allatas ex insula, vna reperta est mediocrē æquans nucem. Venum sub hasta posita, fuit empta precio mille ac ducentorum castellanorum auri, inter Darienenses ipsos. Ad manus tandèm Petri Arię gubernatoris aduenit. Hanc eius vxor, de qua discedente cum marito mentionem aliquandò fecimus, honoratam apud se habet. Arguimus speciosam necessariò esse debere, quæ tāti constitit in ea margaritarum multitudine, vbi nō iam singulæ coëmuntur, sed libratìm, & quandò tenuiùs, vnciatìm. Neq; Venetus ille mercator Paulinam magno emit in Oriente. Incidit demùm in tempora huiuscemodi lasciua, propterеà non defuit helluo margariteus. De conchylibus pauca nunc dicamus. Non præterit beatitudinem tuam, Aristotelem, Pliniumq́; Aristotelis in hac ratiocinatione sectatorem, varia sensisse de margaritarum generatione. Igitur hi pedem, & vna in re tantùm, sistunt, nil assentientes in reliquis: neque quòd pelago vagentur, neque vllo vnquàm tempore moueantur, ex quo natæ sunt, fateri volunt. Esse in maris fundo prata, gramen thymosum quoddam gignentia, volunt: & ea se vidisse affirmant. Generari, ali, coalescereq́ue ibì, &, vt in ostreis videmus, circum se multiplices natos nepotesq́; procreare, inquiunt: neq; marinorum canum commercio delectari conchylia: neque vno esse aut tribus, & quandò numerosiùs, quatuor vnionibus contenta prædicant. Centum viginti vniones fuisse vno conchyli repertos in insularis reguli prædijs, quos Gaspar ipse Morales dux, & commilitones eius diligenter annumerauerunt. Regulo nanque placuit, nostris præsentibus, piscationem fieri per vrinatores suos. Gallinæ loculis quibus oua generantur innume-

De vnionum generatione, opiniones variæ.

ra, conchylis matricem comparant: & ſic eniti conchyle. E labijs prodeuntes margaritas, vt maturas & iam genitricis oſcitantis aluo egredientes, reperiebant has: alias ſubſequentes, vt paruo ſucceſſuro interuallo ſoluerentur & ipſæ. In ventre medio clauſas eſſe margaritas animaduertebant, quo priùs nutritæ coaleſcerent, veluti ſugens vbera matris in aluo infans, priuſquàm è latebris vteri vnio moueatur. Etſi quæ interdùm conchylia, vtì egoipſe vidi oſtrea in diuerſis maris oceani littoribus, arena inuoluta in littore qs viderit, ea raptata eſſe tempeſtatibus è fundo dicunt, non ipſa vltrò veniſſe. Quòd rore nitido matutino candeſcant, quòd turbido flaueſcant, quòd ſereno cælo gaudeant, quòd tonante torpeſcant, & cætera huiuſcemodi, non ſunt ab his literarum ignaris ad vnguem quæritanda. Pingui res tractanda Minerua. Maiores tamē margaritas iacére profundiùs, mediocres altiùs, minimas in ſupercilio, fatentur. Sed à ratione reliquorum deuiant. Non eſſe in inſecta bellua torpenti rationem hanc arguunt. In animo ſic & induſtria halituq́ꝫ vrinatorum. Grandiores propterea nō vagari, ſed creari, nutriríque in profundiori loco, quòd pauci, quodq́ꝫ raro audeant vrinatores ad eas legendas ad ima ſeſe immergere: tum polyporum metu, inter conchas venatûs cauſa vagantium, quia ſunt carnium concharum auidi: & monſtrorum formidine aliorum: tum etiam, nè deficiat in longo tractu halitus. Vndè datur conchis profundi maris hoſpitibus, creſcēdi copia. Quoq́ꝫ grandior concha eſt annoſiorq́ꝫ, eo ferunt in eius capaciori vulua maiores generari margaritas: propterea è grandioribus paucas adipiſcuntur. Emiſſas in profundo maturas, putant eſcas

eſcas fieri piſcium: recenter nanque ſolutæ, molles eſſe creduntur. Differunt hi etiam à maioribus in tympano. Negant eſſe vnionem, qui ſeneſcens conchæ cohæreat: ſed eſſe in concha ipſa verrucam, quæ lima raſa, vna facie rotunda lucidáque contenta ſit: nec precioſam quidem, putà quæ naturam conchylis habeat, non margaritæ. Pati appellat Hiſpanus tympanum. In ſcopulis ſe aliquas vidiſſe conchas fatentur cohærentes, ſed raras, ac minimè vtiles. Credendum eſt, Indicas Arabicáſque ac Erythræas aut Taprobanicas conchas eo regi ordine, quo ſcripsêre viri adeò celebres. Neque horum ſententia penitùs abijcienda eſt: putà qui longo iam tempore in hac agitatione verſati ſunt. Iam ſatìs de marinis his belluis, & earum ouîs, gallinaceis & anſerinis, ex humana luxuria ineptè carioribus. Particularia quædam extra teſſeram memoremus. Deſcripſimus latè aliâs Vrabæ ſinûs fauces, & varias interſectas ipſo mari ſinuali regiones, eſſe valdè diſſonas. De occidentalibus orîs, in quibus noſtri domicilia ſtatuerunt, in Darienis ripa, nil habeo de recenti quod referam: dè orientali autem nupèr hoc didici. Orientalem ſinûs regionem, inquiunt, à protento cornu in mare ac labio, venientes maris aquas ſuſcipiente, adusque Os Draconis & Pariam, generali vocabulo Caribanam appellari terram vniuerſam: quia Caribes ſic appellatos à regione Caribana, in vniuerſo tractu illo reperiantur. Sed vndè particularem habeant originem, vndéque natale ſolum deſerentes, ſeſe tam latè diffuderint, vtì morboſa contagio, dicendum eſt. A prima fronte producta in mare, in cuius tractu Fogedam diximus fixiſſe pedem, angulum ver-

versùs, iacet Caribanæ vicus ad milliaria nouem, nomine Futeracá. Ab eo ad milliaria tria vicus Vrabá, vndè ſinus vniuerſus nomen ſumpſiſſe creditur, quia fuerit aliquandò vicus is regni caput. Ab hoc vico ad milliaria ſex eſt Fetí. A Fetí ad milliaria nouem Zeremæ. Ad duodecimum ab eo, Soraché. Populis plenos hos vicos noſtri reperêre, qui omnes homocupijs inuigilant: & ſi hoſtes deſint, quibus cum bella gerant, in ſeipſos ſæuitiam conuertunt, & proſtrāt aut fugant. Indè tanta labes fluxit in miſeros & continentis & inſularū habitatores. Aliud, meo iudicio non magìs tacendum, intellexi. Legum peritus quidam, dictus Corrales, Darienenſium prætor vrbanus, inquit ſe occurriſſe cuidam fugitiuo ex internis occidentalibus magnis terris, q. ad regulum repertum à ſe profugerat. Is legentem cernens prætorem, inſiliuit admirabundus, aitq; per interpretes, qui reguli hoſpitis ſui linguam callebant: En quid & vos libros habetis? en & vos characteres quibus abſentes vos intelligant, aſſequimini? orauit vnà, vt apertus ſibi libellus oſtenderetur, putans ſe literas patrias viſurum. Diſsimiles reperit eas eſſe. Mœnibus ſeptas vrbes, & veſtiri ciues aiebat ſuos, legibusq; gubernari. Sed quid colant, non didici: recutiti tamen diſpreputiatiq;, ab exemplo & ſermone fugitiui compererunt. Quid hîc dices, beatiſsime Pater? quid ſanctiſsimus præſagit animus tuus? ſub cuius throno tempus hæc omnia ſubijciet. Immiſceamus nunc magnis parua quædam. Prætereunda minimè puto, quæ Ioanni Soliſio acciderint, qui tentaturus auſtrale latus putati continentis, ex portu Ioppæ, parùm diſtanti à Gadibus in Oceano, diſceſsit cum tribus nauigijs,

js, quarto idus Septẽbris anni superioris M D XV. quæ ve Ioanni Pontio, quem diximus electũ ad Caribes siue Canibales anthropophagos, humanarum carnium helluones, debellandos. Quæ Ioanni Aioræ, quæ etiam Gonsalo Badaiocio duci alteri, & Francisco Bezerræ alij, atque iterùm alij dicto Valleio. Solisius infaustè prouinciam sumpsit. Caput siue Frontẽ sancti Augustini, de qua milliès traiecit, meridionale latus putati continentis captans trans æquinoctialem circulum. Diximus nanque septimũ antarctici gradũ Frontem ipsam pertingere. Sexcentum lequas processit. Reperit sancti Augustini Frontem adeò in latum distendi ad meridiem trans æquinoctium, vt trigesimum ampliùs gradum antarctici præhenderit. A tergo iam Capitis Draconis & Castellanæ Pariæ, iacentium ad boream & arcticũ inspectantium, nauigabat, quandò incidit in obscœnos & anthropophagos Caribes, de quibus latè aliâs. Hi tanq̃ insidiosæ vulpes, signa pacis videbantur innuere, sed animo lautum aliquod conuiuium gestabant: & visis à longè hospitibus, ganeonum more saliuam deglutire cœperũt. Descendit ipse miser Solisius cum socijs quotquot ingredi maioris nauigij scapham potuerunt. Salit ex insidijs incolarum multitudo ingens. Fustibus ante sociorum oculos trucidârunt omnes: scpaham raptatam in ictu oculi dilacerârũt. Euasit nemo. Trucidatos & in frusta sectos in ipso eodem littore, socijs è mari horrendum spectaculũ prospicientibus, parârũt ad futuras epulas. Cæteri atroci exemplo perculsi, nõ ausi sunt descendere neque de sui ducis & sociorum vltione cogitare. Crudelia hæc littora deserunt. Nauigia coccineis truncis onerant: diximus vocari ab Ita-
lis

lis verzinum, ab Hispanis brasilum, ligni genus, id, ad lanas fucandas aptum. Rediêre cæteri in patriam. Hæc breuiter mihi scribenti relata sunt per literas. Quid aliud egerint, aliquandò particulariùs intelligemus. Ioannes autem Põtius fuit & ipse à Caribibus in insula Guadalupea, reliquarum insularum Caribium primaria, reiectus. Visis nanque nostris ab alto mari, latuerunt in insidijs Caribes, vndè descendentes quirent inspicere. In terram transmiserunt lotrices fœminas, & pedites paucos, ad subuculas & linteamina fricanda: (Neque enim ex insula Ferrea Fortunata ad eam vsque insulam, spatio milliariũ quater mille ac biscentum, terram viderant vllam. Vacuus est eo spatio insulis Oceanus) quô dulces aquas assequerentur. Insiliunt ex insperato Caribes, fœminas raptant, pedites disturbant. Trepidi euadunt pauci. Territus Pontius, non ausus est impetere Caribes, venenatas verit⁹ sagittas, quas homocupes hi nudi figunt certissimis iactibus in quencunque locum viderint. Ità re infecta, & sine lotricibus bonus Põtius terga vertit Caribibus: quos, sub tecto in tuto positus, iactanter se deleturum minitabatur. Quò indè tetenderit, quid've noui repererit, nondùm intellexi. Solisius vitam, Pontius honorem in sumptis prouincijs amiserunt. Veniat alius qui eodem & ipse anno malè rem gessit. Ioannes Aiora ciuis Cordubensis, nobili genere ortus, missus pro prætore, vtì aliâs diximus, auri magìs cupidus, quàm rei benè gerendæ amator aut laudis: nactus occasiones in regulos, spoliauit multos, & contra ius fasq; aurum ab eis extorsit, & crudeliter, vt aiũt, tractauit: ità vt ex amicis facti sint hostes infensissimi, & animis desperatis iam quacunquè datur

tur vi aut insidijs nostros perimunt. Vbì pacatò commerciabantur, & volentibus regulis, nunc armis agendum est. Multis auri ponderibus hoc modo coactis, vtì fertur, aufugit, sumpto furtìm, vt vulgò dicitur, nauigio: neque ad hanc vsque horam qua hæc scribo, quò sit appulsus, intelligimus. Non desunt, qui Petrum Ariam ipsum gubernatorem, eius fugæ assensisse arbitrentur: quia sit hic Ioannes Aiora historici regij frater, Gonsali Aioræ viri & eruditi & rei bellicæ periti, amici gubernatoris adeò, vt ferè liceat inter amicorum paria pauca ipsos numerare. Sum vtrique deuinctus & ego intima necessitudine: sed ignoscat vterque. Nil mihi ęquè displicuit in vniuersis oceaneis agitationibus àc istius auaritia, quæ pacatos regulorum animos ità perturbauerit. Tragicus veniat Gonsali Badaiocij ac sociorum casus: quorum prosperis initijs successus acres subsecuti sunt. Gonsalus mense Martio anni superioris MDXV cum viris armatis octoginta discessit ex Dariene. Rectà tetendit ad Occidentem, neque vllibì pedem fixit, donèc partem illam præhendit, quam Gratiam Dei diximus aliâs appellatam à nostris. Hæc distat ab Dariene millia passuum circiter cētum octoginta: dicunt lequas sexaginta. Ociosè ibì dies aliquot egit: quia neque precibus, neq; precio, aut minis potuit vnquàm eius terræ regulũ ad se trahere: cui rei auidè studuerat. Intereà dum sic ociatur, ad eum veniunt alij quinquaginta viri ex Dariene missi, duce Ludouico Mercado, qui ex Dariene in Calend. Maij discesserant, vt vnà tentent eius terræ interna. Vbì conuenerunt, inito consilio, traijcere montes ad meridiem, & australe pelagus iam repertum, captare constituũt.

En

En mirum, in tanta vaſtitate longitudinis, vnum tantùm & quinquaginta milliaria repererunt intereſſe ad auſtrale pelagus. Inquiunt, lequas ſeptendecim. A milliaribus Hiſpani nũquàm computant. Lequam tamen aiunt cõſtare milliaribus tribus, terra dico: mari quatuor, inquiunt. In culmine mõtium & aquarum diuortio regulum reperiũt, nomine Iuánam. Regnum huius & ipſe, Cóiba dicitur, vtì de Caréta diximus. Sed quia Iuanæ regio ſit auro feracior, Cóibam ditem eam vocitârunt: vbicunq; enim fodiebant, ſiue in ſicco, ſiue in riuorum alueis aquoſis, egeſtam auro mixtam reperiebant arenam. Aufugit Iuána noſtris aduentantibus. Adduci nunq̃ potuit. Vniuerſam ipſius regiæ viciniam depopulati ſunt. Auri parùm habuerunt. Secum nanq; ſupellectilem omnem abſtulerat. Mancipia ibì adepti ſunt, acribus ſignata ſtigmatibus. Ex oſſe ſiue ſpina ſtylo confecto foramina mancipijs in faciem efficiunt: & mox pulueris quodam genere foramina inſpergunt, ac nigranti ſucco vel rubenti madefaciunt. Tenax adeò ea eſt materia, vt nullo vnquàm tempore aboleatur. Secũ abduxêre mancipia. Aiunt eſſe ſucci eius acrimoniam adeò torquentem, vt præ nimio dolore non liceat mancipijs per dies aliquot comedere. Mancipiorum opera & reguli captores, & noſtri vtuntur ad aurum quæritandum, & ſementes curandas. Ex Iuánæ regia ſecuti delapſus aquarum ad auſtrum ad milliaria decem, reguli alterius ditionem intrãt. Hunc ſenem appellârunt noſtri, quia ſenex eſſet, nil de vetere ipſius nomine curantes. In huius reguli etiam regno, tam fluuialibus quàm aridis, vbiquè aurum reperiebatur. Et flumina celeberrima, & tellurem vberem atque amœnam, regulus

lus hic poſsidebat. Abeuntes indè, deſertam reperêre terram intercapedine dierũ quinque. Putant inteſtinis odijs depopulatos eos agros, eô ꝙ ſint maiori ex parte vberes, ſine habitatoribus & culturis. Quinto die duos vident ex tranſuerſo venientes à longè incolas onuſtos: ad eos tendũt, capiunt, ſacculos ferebant humeris maizio pane plenos. Ab his intellexêre, duos eſſe in eis tractibus regulos: littoralem vnum, nomine Periqueté: continentẽ alterum, dictũ Totonogá, qui cæcus erat. Duo illi piſcatores erant, ad Periquetém à Totonogá rege ſuo miſsi cum ſarcinis piſcium: & ea permutatione panem referebãt. Prouentuum nanq; permutatione cõmerciantur, nõ lethali pecunia. Duobus illis ducentibus, Totonogám littoralem auſtralis pelagi, ad occidentale ſancti Michaëlis latus, regulum petũt. Ab hoc regulo caſtellanorum auri millia ſex, tum rudis, tum affabrè laborati habuerunt. Inter eos rudes grumos, vnus repertus eſt duorũ ponderis Caſtellanorum, qui arguit vbertatem auri. Idẽ littus ſequentes ad Occidentem, ad regulũ tendunt, qui dicitur Taracurú, à quo peſos habuerũt octiès mille. Diximus peſum appellari põdus Caſtellani non decuſsi. Ad huius reguli fratris ditionẽ, qui dicitur Pananomé, tranſierunt. Aufugit Pananomé, neq; vſquàm appáruit vltrà. Ditẽ auro prædicant Pananomés regionem. Regiã eius depopulati ſunt. Ad ſex indè lequas ad aliũ, qui dicitur Tabór. Indè ad regulum Cherú. Is amicè ſuſcepit noſtros, deditq; libens peſos quater mille. Is Cherú ſalinas poſsidet egregias: & auro tellus eius abundat. Ad milliaria indè duodecim, ad regulũ eunt, qui dicitur Anatá. Ab eo peſos habuêre quindeciès mille: quos ipſe adeptus fue-

ratà finitimis regulis bello ſtratis. Cōbuſtumq́
erat id aurum, quia ex incendijs domorum ho-
ſtilium ereptum fuerat. Seſe inuicèm & ſpoliant,
& trucídant, ac vicos ſternunt, & depopulantur
vniuerſa. Barbarè bella gerunt ad internicië vſq;,
ad vltimū excidium ſæuiunt, cùm vicerint. Va-
gatus eſt ſolutis habenis ad hūc vſq; regulum bo-
nus Gonſalus Badaiocius cum ſocijs, & à regulis
auri aceruos cumulauit egregios. Octoginta mil-
lia caſtellanorum auri cōgeſſerat, in braculas, ve-
ſtesq́; muliebres pectorales ad mãmas ſuſtinen-
das, ſi cadant, in elicteres ad aures, in galeas eti-
am ac torques, aliaq́; monilia, tum rerum noſtra-
rum permutatione, tum vi & armis, quia tranſitū
vetare ac reijcere noſtros pleriq; tentârūt. Qua-
draginta quoq; mancipia, quorum opera inpræ-
ſentiarùm ad viaticum & reliquarū rerū ſarcinas
importandas vtebantur pro iumentis onerarijs.
Ad infirmos etiã & longis itineribus atque inedia
fatigatos proderãt ſubleuandos. Per Scoriæ re-
guli ditionē, ad reguli regiam qui Pariza diceba-
tur, veniūt. Nil tale timētes noſtros Pariza ado-
ritur: circuit cum ingenti bellatorum multitu-
dine. Sternit incautos & palantes. Armorū capi-
endorum non data eſt copia. Septuaginta ſauciat
aut trucídat, reliquos in fugam vertit. Quicquid
auri, quicquid mancipiorū fuerãt aſſecuti, deſe-
runt. Pauci veniūt ad Darienem. Falſa eſſet, bea-
tiſsime Pater, ſapientū omnium ſententia, de re-
rum vicibus & inconſtantia caſuum humanorū,
ſi cuncta ſecundè feliciterq́; ſuccederēt. Ordo eſt
immutabilis: vt qui radicibus ēruendis inuigi-
lant, dulci modò glycyrrhizæ, amaræ modò zi-
zaniæ occurrant. Væ tamen Parizæ. Non diù ſe-
curus dormitabit. Sumetur propediè̀m de tanto
facinore

facinore vindicta. Gubernator ipse cum delectis militibus tercentum quinquaginta ad id proficiscebatur: in aduersam decidit valetudinem. Eius loco progreditur cum potestate prætoria, peritus legibus Licentiatus Gaspar Spinosa, iuris dicundi Darienensibus prætor. Eodem tempore ad insulam Ditem appellatam itum est, ad exigendũ margaritarum regulo impositum tributũ. Quæ succedent, colligemus. Tentârũt alij duo transsinuales incolas. Per angulum sinus & Dabaibæ fluminis fauces tranans Franciscus Bezerra, cum duobus alijs primarijs, & viris centum quinquaginta, optimè instructis, ad bellum Caribibus in ipsa Caribana gerendum, versùs vicum Turufy: de quo aliâs in aduentu Fogedæ mentionem fecimus. Instrumenta etiam bellica secum tulerũt. Tormenta quæ ouo grandiorem iactãt plumbeũ globum tria, sagittarios quadraginta, sclopetarios etiam quinque ac viginti, vt eminùs queant Caribes ferire, qui venenatis certant sagittis. De hoc nulla mẽtio, quò se applicuerit, aut quid egerit: verebantur in Dariene, nè sinistris auibus iactaretur, quandò naues discesserũt in Hispaniam venturæ. Alius autem dux, nomine Valleius, anteriorem sinus partem prehendit: sed alia via traiecit à Bezerra. Initium nanque hic sumpsit Caribanæ, ille calcem. Valleius regressus est: sed è septuaginta viris, quos transuexerat, octo & quadraginta reliquit trucidatos in Caribium potestate. Hæc aiunt qui ex Dariene referunt: hæc refero. Pridiè Idus Octobris huius anni, MDXVI. Rodericus Colmenares, de quo suprà, & Franciscus quidam dictus Delapuente, ad me venerunt. Franciscus hic vnus fuit è decurionibus huius cateruæ, cuius erat dux Gon-

ſalus Badaiocius, qui è manibus Parizæ reguli profligatoris euaſit. Colmenares autem è Dariene poſt profligatorum aduentum, ad nos venturus, diſceſsit. Ambo referunt, hic audiuiſſe, ille vidiſſe, varias eſſe in auſtrali pelago inſulas, ſancti Michaëlis, & Ditis inſulæ ſinui occidentales: in quarum pluribus aiunt, procreari colíque arbores, fructus gignētes eoſdē quos terra Collocutea gignit. Eſt Collocuti, vnà & Cochini, & Camemori, Portugallenſiū nūdinaria aromatū terra. Indè arguūt nō longè abeſſe aromatū omniū initialem tellurem. A littore illo noſtro auſtrali, plures ex ijs qui tractus eos percurrerūt, dari ſolùm veniā poſtulant: impenſa propria ſeſe offerunt nauigia paraturos, & prouinciam quæritandæ illius regionis aromatariæ amplexuros. Nauigia debere fabricari, pararíque in ipſo ſancti Michaëlis ſinu cenſent. Nō autē per ſancti Auguſtini cuſpidē capiendam eſſe viā, quæ longa nimìs eſt ac difficilis, & mille diſcriminibus plena: protendíque dicitur ad gradus antarcticos quadraginta ampliùs. Dicit idē Franciſcus, laborū & periculorū cum Gonſalo particeps, ſe reperiſſe, inter diſcurrendū terras illas, ceruorū & aprorū agmina: cepiſſéque multos, incolis demonſtrātibus artē, per foſſas egeſta terra in eorū ſemitis factas, & ramis coopertas. Hoc nanque modo incolę feras quadrupedes fallūt. Volucres autē, vti apud noſtros fit, palūbes putà, cū domeſtico mitíque palūbe inter arbores volitante, ligato tamen: ad quē venientes ſui generis volucres, ſagittis transfiguntur. Aut in purgato arboribus ſolo cum retibus, eſca in gyrum ſparſa, palumbe medium tenente. De pſittacis alijsque volucribus idem. Sed pſittacos aiunt adeò ſimplices eſſe, vt ad crocitantem pſittacū ex arbore, in cuius

cuius ramis auceps latet, multitudo ingens conuolitet, capiq́ facilè patiuntur: Nil enim viso aucupe terrētur, sed vt laqueo trahantur ad collum coniecto, expectāt: neq́ aufugiūt alij, vno rapto, & in mātica qua præcinctus est venator, ipsis cernētibus, reposito. Aliud est aucupij genus inauditū hactenùs, & narratu facetissimū. Apud insulares, Hispaniolæ præsertim, diximus varios esse lacus, variasq́ stagnātes lacunas vadosas. Per vadosa stagna solet aquaticarū auium multitudo vagari, quia herbas in fundo gignant, & ex ea humente limositate pisciculi, milleq́ ranarū, culicū & insectorū genera procreentur: solis calore ad ima ad corruptionis & generationis opificiū, ex artificis fabricatoris ꝓuidentia, facilè submeante. Volucrū autē per eas stagnantes aquas natantium diuersa sunt genera: anates, anseres, cygni, fulicæ, gauiæ, mergi, & multæ huiuscemodi. Diximus & in hortis arborē coli, magnarū cucurbitarum altricē. Ex cucurbitis igitur illis per vadosa proijciunt plerasq́ benè clausas, nè admissa per rimulā, aut foramē aqua trahat illas in profundū. Perpetuò vagantes cucurbitæ, tutas reddunt volucres. It ergò auceps magna cucurbita, vtì galea, iuxta oculos pertusata, cōtectus faciē, laruatus, & tenus mento stagnū ingreditur (fluminibus enim assueti à cunabulis, minimè recusant in aquis versari. E cucurbitis natantibus putāt volucres vnā esse eam, q̄ insidiantē incolā cooperit. Passìm ad volucrū natantium agmen proficiscitur auceps. Cucurbitarū palpitationē capite imitando, vndulasq́ vento agitatas sectando, proximè ad volucres tendit. Exerta sensìm dextera, volucrē incautam cæco raptu præhendit pedibus, & demersam subtrahit in manticam ad id paratā. Cæteræ

Aucupij genus rarum.

volucres, sua sponte subnatâsse comitē arbitratę, quærendi victum causa, vti solent omnes, nil solicitæ suum iter prosequūtur, in aucupis & ipsæ insidias cadunt. Aucupia, venatusq; sunt à me tracta in medium, quo stomachū hisce mitibus sermonibus sedemus, à concepto cruentarū narrationum horrore. Pauca iterùm de nouis opinionibus fluentis ad Occidētem pelagi Pariensis. De modo etiam colligendi aurum in aurifodina Darienis, à me recenter intellecto. Et his duabus minimè tragicis rebus, dicemus tuæ Beatitudini felicissimū vale. Andreas ille nauclerus & Ouiedus, de quibus suprà, me domì conuenerunt in oppido Matrito, quod putamus Mantuam esse Carpetanam. De torrente, me adstāte, orta est inter eos contentio. Quòd se inuicèm perpetuo nexu amplectātur hæ terræ Castellanæ cum septentrionalibus, à tergo Cubæ atque aliarum insularum, Hispaniolæ Cubæq; septentrionalium per Occidentem, ambo assentiuntur: sed aliter hic, ille aliter, contendunt accidere. Nauclerus impetum illum aquarum in gremium terræ putati continentis, quæ sic vergit, vtì diximus, ad septentrionem, vult recipi: vt obiectu illo incuruato viam capiant in gyrum, & circumagātur ad Cubæ aliarumq; insularum latus septentrionale, quæ cancri circulo excluduntur: vbì amplitudo maris venientes ex angustis gurgitibus aquas absorbeat, petulantemq; cursum illū reprimat: est nanq; spatiosum illic mare ac multicapax. Aquaticis incilibus, quas dicit vulgus canales molarum, rem ego cōparo. Si ex incili angusto in amplum lacum furentes eas aquas recipi contingat, repentè sparguntur aquæ, & impetu sedato, languescunt: quę paulò priùs suo strepitu velle ob-

uia cuncta proſtrare videbantur: nec iam, quà fluant, intelligitur. Interrogatus à me Almirantus ipſe Diecus Colonus, primi repertoris Coloni hæres filius, qui iam quater ea maria iens ac rediens verrerat, quid ſenſerit inter nauigandum, ait: difficilem eſſe reditum, ſi via capiatur ea qua itur. Sed quandò vaſtum capitur priùs mare ſeptentrionem versùs, quàm prora in Hiſpaniã dirigatur, ſenſiſſe ſe, inquit, plerunq; parumpèr trudi ab aquis. Sed putat accidere id ex fluxu & refluxu ordinario, non autem ea circumactione iuuari. Apertam eſſe terram & portã inter vtranq; putat, quà torrentes exeant ad Occidentem: quô liceat impulſu cælorum circumagi per vniuerſum. Ouiedus verò de clauſura idẽ refert, quod Andreas nauclerus: ſed neque concutere terræ occidentalis gibbum, & impelli ad vaſtum pelagus, arguit: immò ait ſe diligentiſsimè animaduertiſſe, quòd ab alto mari currant ad Occidentem: proximè verò ad littora velificando cum paruis nauigijs, aſſeuérat, curſum dirigere ad Orientem: ità quòd eodem in loco verſis concurrant veſtigijs. Hoc in fluminibus accidere ſæpè videmus: ex obiectu nanque riparum vortices plerunq; inſurgunt varij. Vndè ſi palea aut lignorum genus aliquod proijciatur in fluuium ſimilibus in locis, quæ medio labuntur alueo, ſecundo feruntur flumine: quæ verò in obliquos incidunt ſinus, & riparum incuruos margines, aduerſo videmus alueo vehi, donèc obuia fiant, quæ ſic vagantur, integro lapſui fluminis. Quæ dant, accipimus: ſcribimus, quæ varij variè ſentiunt. Certam rationem tũc amplectemur, quandò certam habuerimus. Opinionibus inhærendũ eſt, dum veniat ſtatuta dies, punctusq; polaris,

qui secretũ hoc naturę patefaciat. Satis superq́ꝫ de torrente pelago. De aurifodinis Darienensiũ pauca nos ab hoc labore liberent. Ab Dariene nouem diximus distare milliaria collium latera, planitiesq́ꝫ aridas, in quibus aurũ tum in sicco, tum in fluuiorum alueis ac ripis, legitur. Cuiqꝫ auri legendi cupido, ex ordinario statuto, quadrata per metatores mensura duodecim passuum destinatur, ad eligentis arbitrium: in solo tamen haudquaquàm occupato, vel iam à socijs deserto. Sic electa terræ parte, velutì in templum ab auguribus lituo designatũ, sua in eum iucludit mãcipia. Horũ enim opera diximus vti Christianos ad culturam & aurum quæritandũ. Partẽ eam retinet, quoàd libuerit. Si verò exigui aut minuti auri argumenta cernit, alteram sibi assignari duodecim passuum mensurã postulat. Prima derelicta vertitur in commune. Hunc ordinem in auro legendo Darienenses seruant: putà & alios, sed nõ cæteros interrogaui. Compertũ est, aliquãdò duodecim passus illos, octoginta Castellanorũ summam electori suo tribuisse. Sic viuitur in sacra fame auri explẽda: sed quo plus effodiendo manus replent, eo auidiores efficiuntur. Quo plura foco ligna inijciunt, eo furiosiùs concrepat ignis. Sitim existimans turgidus hydrops extingui potando posse, in ardentiorẽ sitim demergitur. Multa prætereo, quæ ad tempus citabo, si tuæ Sanctitatis cælorũ pondere pressis auribus, & in supremo humani generis fastigio positis, casura in gratiam cognouero: neqꝫ enim ego hæc animi causa collegi, sed tuæ Beatitudinis obseruantia hos amplecti labores me impulit. Felices multos annos fabricatoris vniuersi prouidẽtia beatitudini tuæ impartiatur.

PETRVS

PETRVS MARTYR MEDIOLANEN.

DE INSVLIS NVPER INVENTIS, ET DE MORIBVS INCOLARVM EARVNDEM.



EX mearum Decadũ libellis in vulgus emiſsis colligere licet, fugitiuos quoſdam ad vicina Darienis appulſos, noſtrorum libellos admirantes dixiſſe, terras ſe aliquãdò incoluiſſe, quarũ habitatores inſtrumentis vterentur eiuſcemodi, ac politicè legibus parẽtes viuerẽt: atriaq́ ac templa lapidibus cõſtructa magnificè, plateas etiam, ſtratasq́ vias ordine compoſito, vbì negocientur, haberẽt. Eas nunc terras noſtri reperêre: qui authores fuerint, quomodò res proceſſerit, attentè audiat, quiſquis peregrinarum regionũ conditiones & populi mores ſcire deſiderat. De inſula Cuba, quam Fernandinam placuit appellari, Hiſpaniolæ occidentali proxima: ſeptẽtrionali tamen adeò, vt Cancri tropicus mediam ſecet Cubam: Hiſpaniola verò à tropico diſtet ad æquatorem gradus aliquot: pauca tetigimus hactenùs. In hac inſula ſex iam ſunt oppida erecta: primarium, à diuo Iacobo Hiſpaniarũ patrono, nomen ſumit. Natiuum eſt ibì aurum, & montanum, & fluuiale: auro ſuffodiendo inuigilatur. Quo anno libelli mei portas clauſerunt, tres Hiſpani ex antiquioribus Cubæ ciuibus, Franciſcus

Fernãdes Cordubẽsis, Lupus Ocho, Caicedus & Christophorus Morãtes, nouas q̃rere terras instituunt. Est inquietus & semper magna moliẽs Hispanorũ animus. Tria instruũt eius generis nauigia, quæ appellat Hispanus Carauelas, ꝓprijs impensis, habita à gubernatore Dieco Velasquen nauigãdi potestate ex angulo Cubæ Occidẽtali, qui sancti Antonij nomẽ adeptus est. Altũ capiũt cum centum & decẽ viris. Est hic angulus ad reficiẽdas naues, ac aquationi, ac lignationi aptissimus. Cælo tantùm & aqua cõtenti, sex adnauigãt inter Zephyrũ & Austrũ dies ac dimidiũ: quo tẽpore sex tantùm & sexaginta se milliaria percurrisse arbitrãtur. Stabãt autẽ in ancoris, vbicunq; sol cadens illos deprehẽdebat, nè per ignotũ pelagus errantes, scopulis illiderẽtur: aut arenosis vadis impliciti mergerẽtur. In insulã incidũt ingẽtẽ, noĩe Iucatanã, cuius initiũ incolæ Eccampi vocãt. Oppidum in littore sitũ adeunt, magnũ adeò, vt Cairũ illud nostri dixerint: hospitaliter ab incolis nostri suscipiũtur: ingressi, summa sunt repleti admiratione: turritas domos, tẽpla magnifica, vias ordine stratas ac plateas, ac nũdinaria ibì agi cõmercia reperiũt: lapideæ sunt domus, aut ex lateribus & calce, arte & industria cõfectæ. Ad prima domorũ impluuia, & primas habitationes, per duodecim aut decẽ gradus asscẽditur. nõ tegulis tantùm, sed culmis aut herbarum fruticibus coopertæ sunt. Mutuis se muneribus afficiũt: bullas aureas & ex auro fabrefacta monilia perpulchrè formata Barbari nostris, nostri autẽ illis sericeas ac laneas vestes, vitreos etiã calculos, & aurichalcea tintinnabula, munera illis grata, quia peregrina, sunt impartiti. Specula floccifaciebãt nostra, q̃a illi lucidiora ex quibusdã lapillis assequũtur. Vestita est

hæc

hæc gens nõ lana, quia pecudes nõ habẽt, sed gossipio mille modis & varijs fucato coloribus. Fœminæ à cingulo ad talũ induũtur, velaminibusq́; diuersis caput & pectora tegũt, & pudicè cauent, nè pes aut crus illis visatur. Tẽpla frequentãt: ad quæ primarij vias ex proprijs domibus sternunt: idolorũ culturæ indulgẽt: sunt recutiti: summa fide negociantur, permutando tamen sine pecunijs: crines ornãt. Vndè id habuerint, interrogati per interpretes, dicunt aliqui, transijsse aliquãdò virum quẽdam formosissimum per eos tractus, qui eis id insigne in suî memoriã reliquerit. Alij, obijsse lucidiorem sole hominem in eo opificio: certi nihil habetur. Aliquot ibì dies commorati, iam videbãtur incolis esse molesti: nullius enim hospitis est grata mora longa: commeatum capiunt: rectà tendunt ad Occidentẽ per prouincias, Comi & Maiã dictas ab accolis. Pręterlapsi sunt, aquam tantùm & signa ex itinere capientes. Barbari littorales nostras admirabantur naues mari innatãtes, ad quas visendas & fœminæ permixtæ viris cum infantibus passìm prodibant. Nam ex mari nõ sine stupore illorũ ædificia, sed præcipuè tẽpla littoribus proxima, in modum arciũ erecta prospectabant. Iácere tandèm ancoras placuit ad milliaria centũ decem in prouincia, cui nomen Campechium, cuius oppidũ est domorũ trium milliũ: amicè se inuicèm cõplectuntur: nauticã nostrorũ artẽ, nauigiorũ magnitudinẽ, vela, amplustra, resq́; cęteras Barbari attoniti admirabantur. Vbì excussorũ tormentorũ tonitrua, fumosum ac sulphureũ odorẽq́; ignitũ senserũt, à Deo fulmina mitti arbitrabãtur. In atrio regulus nostros benignè magnificeq́; hospitatus est. Post sumptas more illorũ epulas, in quibus pauones

habent

habent & altilia, volucres etiã mõtanas & nemorales, ac aquatiles, perdices, coturnices, turtures, anates, & anſeres, cuniculos: vltra hęc lupos, leones, tigres, vulpes: & quadrupedes agreſtes, vt apros, ceruos & lepores: ducti ſunt noſtri cũ regio comitatu ad latũ cõpitũ in oppidi latere ſitũ: oſtẽdũt noſtris quadratũ quatuor graduũ erectũ marmoreũ, partìm ex tenaci bitumine, partìm ex lapillis, pulpitũ: cui hominis inhærebat ſimulacrum ſuperſculptum, adhęrẽtibus illi duobus quadrupedibus ignotis, qui marmorei hominis vterum, vtì canes rabidi, videbãtur velle dilacerare. Serpens bitumine ac lapillis compacta, pedũ longa ſeptem & xl. vtì bos magnus, marmoreum leonem vorans, recẽti cruore irrorata, ſimulacro adſtabat. Proximi ſolo affixi erãt tres tigni, quos tres alij lapidibus ſuffulti tranſuerſabãt: in eo loco reos puniunt: in cuius rei argumentum, ſtratas viderunt innumeras cruore illitas & confractas ſagittas, & mortuorum oſſa in vicinam cortem proiecta. Domus & hîc ſunt ex calce & lapidibus ædificatæ. Regulo, Lazari nomẽ indiderũt: quia Lazari die terram ceperunt. Abeunt ad milliaria indè, ad Occidentem ſemper, quindecim. Prouinciam captant nomine Aquanil, cuius oppidum Moſco dicitur, regulus Capotón, vltima acuta. Hoſtiliter inſpectat noſtros hic regulus, inſidias noſtris ſtruit, petentibus aquã: trans collem proximum fontes eſſe innuunt, quà iter erat per anguſtas ſemitas. Ex mutatis in fronte coloribus, & arcuum & telorum geſtamine, fraudem ſensêre: tẽdere vlteriùs noſtri recuſant. Palantes & imparatos adoriuntur noſtros Barbari, mille ampliùs ſternunt fugiẽtes noſtros: cœnoſo in littore (erat enim ibi mare cœnoſum) implicantur:
duos

duos & viginti ſagittis tranſuerberatos perimũt, reliquos maiori ex parte vulnerant. Tribus & triginta, inquiunt, claſsis ipſum prætorem Franciſcum Fernãden vulneribus percuſſum. Ferè nullus euaſit incolumis. Si ad monſtratos colles proceſsiſſent, perempti fuiſſent ad vnũ. Mœſti ergò redeũt, qui ſuperfuêre, ad Fernandinam inſulam vndè venerant, ac cum fletu & gemitibus, ob relictos & p̃ſentes vulneratos, à ſocijs recipiuntur. His intellectis, Cubæ Fernandinæq́ꝫ gubernator Diecus Velaſquen quatuor Carauelarũ claſſem inſtruit cum hominibus circiter trecentis. Huic claſsiculę prȩfecit nepotem ſuum Ioannem Griſaluam, additis ſubprætoribus Alfonſo Auila, Franciſco Montegio, & cõmendatorio Petro Aluarado, Nauclero autem eodem Antonio Alamino prioris claſsiculæ rectore. Idem iter capiunt, ſed auſtralius aliquãto ad millia fortè ſeptuaginta: turrim ex alto vidẽt, terram minimè. Ea turri duce, inſulam apprȩhendunt nomine Cozumellam, à qua ſuaues ſe olfeciſſe odores ſpatio trium milliariorum, vẽto indè proflante, inquiũt. Ambitu reperiunt eſſe milliariorum quinqꝫ ac quadraginta: plana eſt, gleba fortunatiſsima: aurum habet, ſed peregrinum, aliundè allatum: melle abundat & fructibus hortenſibus, volucribus etiam & quadrupedibus. Eſt horum incolarum, vt breuibus abſoluam, ea œconomia & politia, quæ de Iucatana: domus, templa, viæ, cõmercia: virorum ac fœminarum geſtamina ex goſsipino, nõ laneo vel ſerico: domus lapideæ, culmo contectæ, vbì ſit lapidum penuria: ſed vbì ſit lapicidinarũ copia, laminis lapideis conteguntur: marmoreos poſtes in pleriſque, velutì apud nos pleræqꝫ domus habent. Turres ibì vetuſtas, dirutarũ

veſtigia

vestigia redolẽtes, repererũt, vnã præ cæteris graduũ octodecim, vt ad illustria tẽpla cõscenditur. Nostras sunt admirati naues, & nauticã artẽ: noluerũt hospites primo impetu: benignè eos tandèm admiserũt: turrim cõscendunt duce primario, quem sacerdotẽ credũt: vexillũ in cacumine sistunt, regi Castellæ imperiũ adiudicant, Sanctæ crucis nomen insulæ assignant, qa ad Nonas Maij Sanctæ crucis festo sunt insulam ingressi. Cozumellã verò, inquiũt, appellari à regulo Cozumellao, cuius maiores ipse iactat fuisse huius insulæ habitatores. Cameras in turri reperêre: statuis tũ marmoreis, tum fictilibus vrsorũ simulacris instructas, quos vnisono cantu elato inuocãt: suauibus adolẽt odoribus: vtì penates eos colũt. Res ibì diuina celebrata est: sunt recuriti. Regulus hic eleganter ex gossipino velamine indutus, pedis vnius digitos abscissos habebat: natanti piscis vorax, qui Tuberon dicitur, vno morsu digitos raptauerat. Lautè copioseq; nostros aluit. Post triduũ abeunt ad Occidentem semper, vidẽt procùl mõtes, Iucatana erat insula, q̃ à Cozumella quinque tãtùm millibus passuũ distat. Iucatanę latus meridionale capiũt, putato cõtinenti proximum circũeunt: illã nequeunt vniuersam, ob freqũẽtes scopulos, & ob arenosa vada. Ad iam notũ latus boreale Alaminus nauclerus naues reducit. Ad idẽ oppidum Campechium & Lazarũ regulum, ad quẽ priores superiori anno, ꝓficiscuntur: placidè suscepti, ad oppidũ inuitantur. Inuitâsse pœnituit: ad lapidis iactũ ab oppido nostros sistere iubẽt: accolæ abire imperãt: aquandi petunt copiam priusquã discedant nostri: puteum à tergo relictũ monstrãt: licere indè aquã haurire, aliundè minimè inquiunt. Pernoctatum est in vicino

putei

putei campo. Diffidunt Barbari: armatorum tria circiter millia, castra locant non longè à nostris. Pars vtraque noctem duxit insomnem: illi nostrorum eruptionem in pagum, nostri Barbarorũ impetum repentinum veriti, tubarũ clãgoribus, & tympanorũ boatu somnolẽtos excitabant. Vbi illuxit, accedunt barbari, appellant interpretes Cubenses nostros, quorum idioma, si nõ idẽ, consanguineũ tamẽ. Face thurea inter vtrunq; agmẽ accensa, minantur internecionem, nî priùs abire ꝓperauerint, quàm fax extinguatur: nolle se hospites protestantur. Fax cõsumitur, deuenitur ad manus, perimunt è nostris vnum, quem sagitta malè scutatum reperit: multi feriuntur: ad tormẽta, quæ apud puteum erant locata, se reducũt nostri, vt indè globos iaculentur in Barbaros: retrocedunt ad oppidum Barbari: milites feruenti animo cupiebant illos persequi, vetuit Grisalua prætor. Indè procedunt ad Iucatanæ calcem vltimum: ducentorum reperiunt esse milliariũ ampliùs productam ab Oriente in Occidentẽ: portum petunt egregium, cui nomen dedêre Portus Desideratus. Ad terras indè transfretant alias, & terram pręhendũt Iucatanę vicinã ab Occidente: dubitant, sit insula, nec'ne: continenti esse annexã arbitrantur. Est ibì sinus, quẽ suspicãtur ambitũ vtraque terra: nil certi: Caluacan, aliâs Oloan ab accolis hæc tellus appellatur. Flumẽ ingẽs ibì repertũ, dat suo furore in pelagus potabiles aquas, duorũ milliũ spatio: à prætore Grisaluã appellârũt flumẽ. Admirati nostras moles mari natantes Barbari accolæ, vtranq; fluminis ripã ad sex millia armatorũ, scutis aureis, arcubus & sagittis, ensibus etiã latis, & hastis adustis armati obsidẽt, ꝓhibituri descẽsum, & littus tutaturi. Stat ea nocte

pars

pars vtraq; in alis: prima luce eccè canoas circiter centũ armatis plenas: (diximus aliâs, Canoas esse lẽbos vniligneos.) Et hîc Cubenses interpretes, & hi sat cõmodè conueniebant in lingua: pax oblata per interpretes admittitur: accedit vna canoa, reliquæ sistũt. Canoæ rector, qd nostri quæritẽt per alienas terras, percontatur: aurũ cupere respõdetur, permutatione tamẽ, nõ gratuitò aut violenter. Redit canoa, quid actum sit, regulo referunt nautæ: accersitus regulus, venit libẽs: narratu dignum: cubicularium ad se vocat regulus: cubicularia iubet afferre ornamẽta, vt prętorem nostrum Grisaluam ornet, imperat: à calceo incipit auro illũ induere, ocreas, thoracẽ, & quicquid armorum ex ferro aut chalybe solet cataphractus noster aliquis, proditurus ad pugnam, sibi sumere, vniuersum id ex auro miris modis formato regulus Grisaluæ impartitur. Compensat Grisalua sericeis, laneis ac lineis vestibus, rebusq; alijs nostratibus. In huius Iucatanæ initio, quandò in Cozumellam traiecerunt, in canoam piscatoriam inciderunt: nouem inerãt hamis aureis piscantes incolæ inermes, capiunt omnes, nil timentes. Ex illis vnũ agnouit hic regulus, se tantundem auri missurum in crastinum pollicetur ad Grisaluam, quanti ponderis vir ille reperiretur: negauit redemptionem socijs inuitis prætor, illum retinuit ac discessit, quid vltrà iaceat, recogniturus. Ad millia cẽtum circiter, ad zephyrum semper, sinum ingentẽ reperiunt, in quo tres paruæ insulæ sitæ erant: adeunt grandiorem. Pròh crudele facinus, pròh truculẽtas hominum mentes: stomacho claudat portas quisq; pius, nè perturbetur: pueros puellasq; suis dijs immolant passim: sunt recutiti: simulacra quæ colunt, partìm

tìm ſunt marmorea, quædã alia fictilia. Marmoreas inter imagines extat leo pertuſa ceruice, in quam miſerorum ſanguinem proijciunt, vt indè fluat in lacunam marmoream. Quibus cæremonijs miſerorum ſanguinem litent, referamus. Nõ iugulis, ſed pectoribus apertis ex infauſta victima cor eruũt: ex cuius calido cruore idolorum labia illiniunt, reliquum fluere patiuntur in lacunam: indè in apertum, cor & exta cõburunt, gratum fumum dijs fore arbitrantur. Ex idolis vnũ eſt virile, quod inflexo capite lacunam ſanguinariam ſuperinſpectat, tanquàm acceptans ſacrificium hoſtiarum. Torulos brachiorum & femorum, ac ſurarum pulpas edũt, præcipuè ſi hoſtem bello victum ſacrificauerint. Riuum concreti ſanguinis, veluti ex carnificina exeuntem repererũt. Ex inſulis vicinis ad id facinoris miſeros trãſportant: capita cadaueraq́ ibì truncata viderunt innumera, integra etiam pleraq́ velaminibus contecta. Vniuerſi tractus illi auro gemmisq́ abundant. Pererrans inſulam vnus è noſtris in duos ſemiſuffuſos vrceos alabaſtrinos perpulchrè laboratos lapillis incidit, diuerſorum colorum plenos. Aiunt lapillum ſe reperiſſe, qui miſſus eſt ad gubernatorem, valoris duorum millium Caſtellanorum auri. Sacrificij hanc inſulã appellârunt. Extant & in huius Colluacanæ lateribus aliȩ ſitȩ inſulæ, in quibus ſolæ mulieres habitant ſine virorum commercio. Putãt aliqui Amazonico viuere more: qui prudentiùs rem ponderant, cœnobitas eſſe virgines, ſeceſſu gaudentes, vti apud nos, & multis in locis apud veteres Veſtales, aut Bonæ deæ ſacræ. Certis anni temporibus traijciunt ad eas viri, non coitûs cauſa, ſed moti pietate, campos & hortos illis compoſituri, quo cultu

Cæremoniarũ ritus perquàm horridus.

queant vitam ducere. Fama tamē viget, esse alias insulas fœminarum sedes, sed corruptarum, quæ mamillā à teneris scindunt, quo faciliùs queāt sagittariam artē exercere: ad easq́ traijcere coitûs causa viros, nec retinere mares. Fabulā puto. Ad littus ergo Colluacanæ terræ se applicant nostri: placidè negociantur: aureum regulus cacabum, armillas, torques, bullas, multaq́ p̄tereà diuersorum generum monilia nostris impartitus est: nostri cōtrà nostratibus illum alacrē reddunt. Figere hîc pedem, & coloniam deducere cupiebāt: prohibuit Grisalua prætor: desperatis animis vixerunt eo tempore cōmilitones in prætorē. Turritis constat ædificijs hæc prouincia, oppidis amplissimis quindecim: & alicubì viginti millium domorum se aliqua vidisse attestantur. Sunt non vbiquè cōnexę domus, hortis & cortibus intersecātibus: multæ distāt à seipsis: plateas habēt mœnibus circunseptas, in quibus fora nundinasq́ exercēt: vias ordine stratas, furnos, fornacesq́, calcem ac lateres coctos habēt: figulos, lignariosq́ fabros, & artifices, mechanicarumq́ artiū omnium opifices assequuntur egregios. Potanchanus hic regulus dicitur, regio Palmaria: eius oppidū regium aiunt esse domorū quindecim millium. Quandò nouos hospites suscipiunt, qui pacem in illis terris admittunt, in amicitiæ fœdus sibijpsis cum nouacula vel gladio lapideo sanguinis parumpèr ex lingua vel manu, aut lacerto, vel alia quauis corporis parte, hospite inspectante, eruunt. Sacerdotes viuūt cęlibes & incorrupti. Quid sit coire, nemo intelligit, donèc nubat. Nefas & morte piandum est aliter accidere. In fœminis mira castitas. Licet vnicuique potenti, postquàm vnam duxerit vxorem, habere pellices quotquot voluē-

voluerit: ſed nupta adulterio compræhēſa, venditur à marito, primario tamen principi, à quo licet mulieris propinquis illam redimere. Nemini non coniugato fas eſt iungi in menſa, vel eadem lance veſci, aut poculo bibere, paremq́; cõiugato ſe præbere. Auguſto Septembriq́; menſe quinque ac triginta dies abſtinent, non à carnibus modò, quas aſſequuntur optimas, ſed neque piſcibus veſcuntur, aut re aliqua, quæ ſanguinem nutriat: hortenſibus ac leguminibus illos dies peragunt. Menſes, viginti dierum numero claudunt: annum verò, menſibus viginti: aliquot ibì dies lautos egêre. Abeunt, littus idem ſecuti, regulum conueniunt alium, cui nomen dedêre Ouandus. Regulus vbì noſtros aurum cupere intellexit, laminas conflatas attulit aureas: ſe copiam eius metalli deſiderare prætor ſignificauit per interpretes. Poſtero die aureum hominis ſimulacrum, pygmęum, flabellumq́; aureum, & artificio vario laruam iubet afferri, calculorumq́; ſerta, pectoralium & bullarum copiam, & diuerſorum generum ornamenta, & variorum colorum lapillos noſtris eſt impertitus: dapibus quoquè lautiſsimis perſapidè conditis ſaturauit. In littore inuitatos properanti curſu, frondẽtibus ramis ex reguli mãdato erectis, ilicò ſcenis cõtegebant: inertes in ramis ferẽdis familiares regulus ꝑcutiebat ſceptro, quod manu geſtabat: ſerui demiſſo vultu quæcũq; verbera patiẽter ſuſtinebãt. Interrogatus, vbinàm auri tãta colligeretur copia: proximos digito monſtrauit mõtes, & flumina ab illis decurrẽtia. Sunt hi fluminibus ac lacubus adeò aſſueti, vt idẽ illis ſit natare, ꝙd terra incedere. Mergũtur flumine, quãdò aurũ placet colligere, manusq́; arenis efferũt ple-

nas: demùm de manu in manum cribrãtes arenã, aurum deligunt. Spatio duarum horarum dicunt auro implere cannulam digitalẽ. De suffumigijs & harum terrarum odoribus dulcia molliaq; dici queunt, quę prętermittimus, quia magis ad effœminandos animos faciũt, quàm ad bonos mores. Puerum annorum duodecim oblatũ à regulo recusauit prætor: puellã admisit pulchrè ornatam, socijs inuitis puerũ abiecit. Ex lapillis ab hoc regulo habitis, vnũ scribũt esse valoris duorum millium Castellanorum auri. Discedunt tandèm ab hoc regulo, auro & gemmis onusti. Grisalua prætor vnã è Carauelis ad patruũ gubernatorẽ destinat ad Fernandinã, cum nuncijs & habitis auro & gemmis. Littus intereà secant reliqui Occidentẽ versùs: vna verò propiùs ferè littus abradebat, qua Franciscus Montegius subprætor vehebatur: duæ per altũ tendebãt in prospectu. Admirati accolæ, rem nouã miraculo asscribunt. Duodecim ad Montegium veniũt Canoę: per interpretes colloquuntur, benignè se inuicèm salutant: supplices orant incolę, vt descẽdant: magna pollicentur, si regulum patriæ adierint. Precibus eorũ negat Montegius se posse annuere, quia socij nimìs à se distarẽt: cõtentos tamen dimisit, datis quibusdam nostratibus muneribus illis gratis, quia ignota sunt. Celebre oppidum aliud adeũt: ad littus se applicãt vnà tres Carauelæ: prohibẽtur ab accolis descendere: scutis, arcubus, plenis pharetris, & ligneis latis ensibus atq; hastis adustis armati, ad nostros prodeũt: sagittas iaculãtur eminùs illi: tormẽtorũ globulos in Barbaros nostri. Machinarũ strepitũ admirati, ac furore perterriti, aufugiunt: pacem optãt. Iam commeatus nostris deficiebãt: iam quassatæ longis itineribus

naues

naues erant. Ad insulã igitur Fernandinã, factis & repertis antedictis cõtentus Grisalua, socij haudquaq̃ reuertuntur. Nunc diuertẽdum est parumpèr, & alia nauigatio pertractãda. Hinc ad has regrediemur terras, quas nostri repetierũt. Diecus idem Velasquen gubernator, eodem ferè tẽpore, quo classem eam quatuor Carauelarũ parauerat, aliam destinauit vnius Carauelæ tantùm, & vno Bergantino comite, cum viris quinq; ac quadraginta. Violentas hi manus in accolas exercuerũt. Idolorum sectatores sunt & recutiti, propterea licere eos trahere ad aurum suffodiendum putauerunt. Sunt littori, continentis in modum, proximæ paruæ insulæ multę, vbertate soli, & fortunatissima gleba beatæ, Guanapan, Guãguan, Quitilla: ex vna istarum tercentũ rapiunt vtriusque sexûs accolas: (huic insulæ posuêre nomẽ Sanctę Marinæ) in Carauelam hos inculcãt, & ad Fernandinam tendunt: Bergantinũ cum socijs quinq; ac viginti relinquunt, qui dent operã venationi hominum vlteriori. Portus quem præhendit Carauela, Carenas dicitur: distat is ab angulo Cubæ primario diui Iacobi, millia ducẽta quinquaginta. Hæc insula est longissima, porrecta ab Oriente in Occidentem, quam cancri tropicus intersecat. Miserorum vindictam quærente fortuna, è custodibus in terram descendũt quidam, pauci remanent. Nacti occasionem recuperandæ libertatis insulares, raptis nostrorum telis, ruunt in custodes: perimunt sex, desiliunt in mare reliqui: Carauela potiuntur insulares, regere illam didicerant, redeunt in patriam: sed primò in eandem insulam vicinam descendunt, Carauelam exurunt, tela secum absportant, lembis traijciunt ad suos: relictos nostros cum Bergãtino adoriũtur,

proſtrant, perimũt: qui euasêre, infelices ad Bergantinum ꝓfugiunt. Arbor eſt littori proxima, crucẽ in eius arboris cacumine locãt, & ſuperiorẽ arboris corticẽ his verbis inſcribunt: Vannuis Aldarieci. Eſt Dacien fluuius, in cuius ripa ſitum eſt oppidum putati cõtinentis primarium. Re intellecta, gubernator in relictorum auxilium properè mittit naues duas bellatoribus onuſtas. Serò ſapiunt: res iam acta erat: crucẽ ſecuti, littus adeunt: literas legunt arbori inſculptas, nõ auſi ſunt fortunã tẽtare, cũ deſperatis egregiè armatis pręcipuè recedunt. Ex inſula proxima iſti tanq̃ lepores abducunt vtriuſq; ſexûs quingẽtos: eádẽ cauſa arbitrati iure merito poſſe id efficere, quia recutiti. Idẽ his euénit ad Fernandinam applicatis: vnã è nauibus ferociter aggrediuntur: acriter dimicãdo, cuſtodes Hiſpanos perimunt quoſdã, cęteri ſeſe ad mare proijciunt, & ad ſociã, quæ proxima erat, carauelã adnatant, vnà oẽs cum ſuperſtite Carauela raptatam adoriuntur. Dubia fuit quatuor horarũ ſpatio victoria: ꝓ libertate recuperanda, tam viri q̃ fœminæ rabidè pugnabãt, nè adeptã amitterẽt prædã. Hiſpani acriùs dimicabãt: vicerũt Hiſpani tandèm, quia pertractandis armis eſſent agiliores. In mare ſeſe proijciunt victi Barbari: cum lintribus recolliguntur: tum ferro perempti in certamine, tum aquis ſuffocati circiter cẽtum. defuêre ex Hiſpanis pauci, ad diui Iacobi oppidum & aurifodinas trahũtur. Ad aliã dehinc tendunt è vicinis inſulis, quæ ſunt ibì frequentiores, quàm in noſtro Ionio ſymplegades, quarum congeriẽ Archipelagus vulgus appellat: hoſtiliter ſuſcipiuntur, quotquot è nauibus deſcẽderunt, perempti aut percuſsi ſunt. Putãt hãc eſſe inſulã, quã Ioãnes quidã Põtius, vnius claſsiculæ

culę Pręfectus adiuit, & perturbatos reliquit: fugatur ab accolis: Floridā'q; appellauerat, quia resurrectionis die eam insulam repererint: vocat Hispanus Pascha floridum resurrectionis diem. Sex & viginti, inquiūt, se vidisse insulas, sed à Colono priùs præterlapsas, tanquàm Hispaniæ Cubæ'q; custodes, in quibus veniētes oceani procellæ illiduntur. Natiuum in plerisque granatū aurum reperiunt: monilia & isti varia gestāt, & laruis vtuntur, tū ligneis deauratis, tum aureis perpulchrè ornatis. Opifices sunt vbiquè argutissimi. Ex laruis vnā secum attulit Frācisc us Chieregattus. ex ea colligere licebit, quali polleāt ingenio. Nouacularum structurā mirū est videre: ex lapidibus flauis quibusdā diaphanis, vtì crystallinis, eas formant, & cum eis radunt, haud secùs àc si egregio chalybe factæ essent: sed quod spectatu dignū est, quādò obtusam iam habent ex exercitatione aciē, non cote, nō lapide, neq; puluere illas acuunt, sed tantùm aqua imposita tēperantur. Sunt & apud hos instrumētorum & elegātiū rerum mille genera, q̄ lōgum esset narrare. Redeamus ergò vndè sumus digressi. Ad Cozumellā, Iucatanam, ac Colluacanā siue Olloā, terras dites ac elysias recēter repertas, à quibus diuerterā, reuertor: vbì quanti sint momenti tractus illi, cognitum est. Cubæ insulæ habitatores Hispani, gubernatore Annunctę, nouā classem instruunt Carauelarum decem, cum viris quingentis, additis, vtì leuis armaturæ equis, duobus Bergantinis, quorū opera vtuntur ad vadosa littora, frequentiū scopulorū discrimina tētanda. Equos nauibus imponunt, quinq; mares, fœmellas verò sedecim bello aptas. Fernādum Cortesium, qui tunc erat prætor vrbanus, generalem eligunt clasis guber-

natorem & prætorem: ſubprætores verò Alfonſum Fernãdum Portucarerium, Franciſcũ Montegium, Alfonſum Auilam, Alueradum commẽdatarium Spatenſem, Ioannem Velaſquen, Diecum Ordaſſum: ventum ſequuntur eundem, ab angulo Cubæ vltimo, ad Occidentem. Quamprimùm Franciſcus Fernãdes Cordubenſis, mox Ioannes Griſalua, ad proſpectum inſulæ ſacrificiorum, de qua mentionẽ fecimus, deueniũt: inſperatus acer turbo captare terrã vetuit: verſis illos veſtigijs ad Cozumellã Iucatanæ orientalem fera tempeſtas tranſportauit. Portum habet vnicum hæc inſula, cui nomen Sancti Ioãnis porta, Latinè indiderunt. ſex oppidis tantùm contenta eſt, & aqua puteali, aut ciſternali. fluminibus caret & fontibus, quia plana. quinque tantùm ac quadraginta mille paſſuum ſpatio ambitur. Aufugiunt incolæ ad ſyluas nemoroſas, oppida deſerunt pręe timore: vacuas domos ingrediuntur noſtri, patrijs fruuntur cibis, domorum ornatus variorum colorum, aulæa, veſteſq́; ac lodices, amaccas appellant, ex goſſipio natiuo reperiunt. Habent etiam innumeros libros. De his cum cæteris ad nouum Cæſarem noſtrum aduectis latè dicemus. Perluſtrant vniuerſam noſtri milites, compoſitis tamen agminibus, nè qua vis ingrueret: paucos repererunt accolas, vna fœmina comite. Per interpretẽ Cubenſem, & Iucatanas tres alios abductos à primis Hiſpanis, fœminam hortãtur, vt abſentes accerſat regulos. Fœminæ familiares erant accolæ cum ea ducti: à fœmina vocati per nuncios veniunt reguli, fidem amicitiæ præſtant, domos patrias alacres repetũt, multa ex raptis ſu pellectilibus reſtituũtur: idololatras & recutitos eſſe reperiũt: pueros puellaſq́; Zemib⁹ immolãt.
Sunt

Sunt Zemes nocturnorum lemurum ſimulacra, quæ colunt. Interrogatus à me Alaminus nauclerus, Franciſcus Montegius, & Portucarerius nuncij, qui regi munera attulerunt, vndè immolandos habeant pueros puellasq́; Ab inſulis collateralibus, inquiunt, venũ ducuntur permutatione auri aut aliarum mercium. Nuſquàm enim feralis monetæ dira ſolicitudo in tam vaſto terrarum ſpatio habitatores premit. Idem aiunt de reliquis nupèr inuentis inſulis: è quibus duas nominant, Deſtam & Seſtam, vbì nudi degũt: puerorum puellarumq́; inopia, canibus litant. Canes alunt comedẽdos, vtì cuniculos alit gens noſtra: nõ ſunt latrabiles, roſtro vulpino, quos ad eſum deſtinãt: pullos caſtrãt: ad ſobolẽ procreandam fœminarũ copiã, mariũ numerũ exiguum ſeruãt, vtì de ouibus paſtores noſtri: pingueſcunt caſtrati vſq; ad quadrimeſtre mirũ in modũ. Ab his ſacris noſtri illos deterrẽt, nefas eſſe oſtendũt: legẽ petũt quam ſequantur: eſſe Deum vnicum, qui cælum creauit ac terras, bonorum omnium datorem, ſub triplici perſona vnitum in ſubſtantia, facilè perſuadent: Zemes perfringi patiuntur: Beatæ virginis imaginem depictam à noſtris præbitam, in ſacro ſui templi loco ſiſtũt, templũ ac eius pauimenta verrunt & abradunt: crucẽ ob ipſius Dei atque hominis laudem, ob ſalutẽ humani generis ſuperimpoſitam recordatione, adorandam receperunt: in templi cacumine vnã ingentem ligneam locant. Conueniunt omnes, Deiparæ virginis cum tremore reuerenti figurã ſuppliciter veneraturi. Per interpretes ſignificârunt hi accolæ, eſſe in Iucatana vicina inſula Chriſtianos captiuos ſeptem, qui ad eam, tempeſtatibus raptati, appulerant. Quinq; tantùm milliarium

ſpatio dirimitur à Iucatana hæc inſula. Quinquaginta viros cum duabus carauelis prætor Corteſius ad id negocij deſtinat perquiſitores. Cozumellanos tres ſecũ aduehũt cum literis ad Chriſtianos, ſi qui reperiantur: quàm egregiũ facinus ſint acturi, ſi aliquem adduxerint, oſtendit: rem ardenter commendat, ab illis nanque ſperat lucidiorem ſole ſe tractuum illorum omniũ notitiã habiturum. Abeunt bonis auibus, ſex dies eis aſſignantur ad reditum, octo expectârunt: demiſſos in terram Cozumellanos nuncios, trucidatos aut detentos ſuſpicati ſunt: illis relictis, redeunt ad Cozumellam noſtri. De diſceſſu ex Cozumella, cogitabat iam vniuerſa claſsis: oppoſita illam vis maris detinuit. Eccè ab Occidente Canoam inſpectant venientem ab Iucatana, Chriſtianum vnum è captiuis aduehit, ſeptennio is vitam degerat apud Iucatanos, Hieronymũ Aquillarem nomine, virum Aſtigetanum Vandalum. Quo gaudio ſeinuicèm fuerint cõplexi, caſus loquatur. Infelicẽ ſortem ſuã, & ſociorũ vnà amiſſorum enarrat: auditur attentis mẽtibus: nec diſſonum fore arbitror, nec tuæ Beatitudini moleſtum, ſi rẽ, vt accidit, recẽſuero. In meis decadib. mentio facta eſt de nobili quodã Valdiuia, ab Darienenſibus miſſo, ſinus Vrabæ in putato continenti habitatoribus, ad Hiſpaniolã, Almirãto Colono, pregi, & Senatui regis, (ad quos pertinet putati continentis remediũ) ſignificatũ qua rerum omniũ penuria vrgerentur. Siniſtris auibus miſer Valdiuia prouinciã ſuſcepit: in Iamaicæ inſulæ Hiſpaniolæ Cubæq́ꝫ laterali à meridie proſpectu repentinus vortex in arenoſas detulit ſyrtes. Ea voracia cæcaq́ꝫ vada Hiſpani vocãt viperas: & quadrãter viperas, quia ibì multę naues implicãtur,

tur, vtì viperina cauda lacerti. Discinditur carauela: vix Valdiuiæ & è socijs triginta licuit in carauelæ scapham descendere: sine remis, sine velis miserè raptãtur à pelago defluẽti: diximus nanq; in decadibus, esse ibì maria perpetuo fluxu labentia in Occidentem. Tredecim errârunt dies, inscij quò tenderẽt, nil esui aptum repererũt vnquàm: septẽ ex eis cõsumpsit fames, fuerũt ipsi marinis piscibus esca. In Iucatanã transportantur superstites, iam inedia deficiẽtes, in crudelis reguli potestatem inciderũt. Valdiuiã prætorẽ vnà & socios quosdã trucidauit, mox immolauit zemibus, demũ cum inuitatis amicis comedit. Hostes aũt, aut appulsos hospites, hi depascunt, de reliquo à carne humana abstinent. Hîc Hieronymus Aquillaris, & socij sex in tertiũ diem immolandi seruabantur: nocte, ruptis vinculis, truculẽti manus tyranni euasêre: ad regulum huic infensum, supplices confugiunt: admittuntur, sed in seruitutẽ. Admirandum auditu est de huius Aquillaris genitrice: vbì rem intellexit, ilicò insaniuit præ dolore, licèt in nube tantùm audiuerit, filiũ in potestatem carnes humanas edentiũ incidisse. Hæc si quandò carnes assatas inspectat, aut verubus affixas, clamoribus domũ replet, inquiens: En matrẽ omnium miserrimã: en filij mei frusta. Habita igitur epistola prætoris Aquillaris per Cozumellanos nũcios, corã regulo hero, qui Taxmarus dicitur, quid Cozumellani afferãt, enarrat: de potẽtia regis eorũ, qui ad eas partes appulerunt, deq; virorũ fortitudine, de illorũ beneficentia in amicos, de sæuitia in detrectãtes, vel eorum postulata respuẽtes, multa edisserit: trementẽ reddidit Taxmarum. Det operam, nè hostes suã ditionem ingrediantur, seruũ rogat, sed pacato veniãt animo.

Polli-

Pollicetur Aquillaris pacē, &, si opùs fuerit, contra hostes auxilium & fauorem. Aquillarem dimittit, tresq; illi dat familiares comites: ità iunctìm traijciunt ex Cozumella in Iucatanam, ad flumen, Alamino nauclero regente, aliâs repertum tendunt. Fauces eius arenis erant conclusæ, vti de Nilo Aegyptio legitur, flātibus Etesijs: proptereà maioribus non licuit nauibus aduerso flumine procedere: quanuìs sit aliâs huiusmodi nauibus aptum suscipiendis. In Bergantinos & nauium lintres, ducētos viros in littus exponit prętor. Per Aquillarem pax offertur. Quid sibi velint, percontantur accolæ: Dapes, inquit Hieronymus Aquillaris. Spatium erat ingens arenosum ad latus oppidi: illuc tendant, insinuant accolæ. Eunt. Postero die afferunt gallinas octo eorum more, quæ sunt pauonibus neq; minores, neq; insipidiores, suffusci coloris, & tantū maizij, quantum vix sufficeret decem famelicis. Est autē maizium frumenti granum, quo ipsi panem conficiunt, nostro panico non multùm dissimile. Protestantur vnà, vt indè discedant. Properè ingens armatorum ad nostros, discedere renuentes, multitudo concurrit, iterùm, quid sibi velint per alienas terras vagantes, interrogant. Pacē se cupere, per Aquillarē respondent nostri, & rerū permutatione dapes, aurumq;, si aurū possidēt. Nolle se pacem aut bellū cum eis, respōdent: abeant iterùm, nî mâlint vsque ad vnum trucidari. Nolle abire, nostri inquiunt, non habita ciborū copia, quæ alendis militibus præsentibus sufficiat. In crastinum adferenda cibaria signāt. Mentiti sunt: manè sequenti nostris, qui castra locârant in arena, & fuerant pernoctati, tantundèm afferunt epularū, & sui reguli nomine iubent abire.

re. Cupere se oppidum videre, & potiores dapes, nostri dicunt. Recusant illi, & terga vertunt submurmurantes. Inedia nostri vrgebantur, victum quærere coguntur. In terram mittit subpræteres prætor cum viris centum quinquaginta. Per diuersa tendunt ad oppidana rura. E turmis vnam, obuij Barbari malè tractabant. Nō longè aberant socij, audito strepitu, laborantibus socijs opem ferunt. Alia ex parte prætor tormenta in Bergantinos & scaphas locat: ad littus se applicat cum reliquis militibus, littus tutaturi, & prohibituri descensum. Properanti cursu ad pugnam parati, occurrunt Barbari: sagittis & iaculis eminùs nostros impetunt, feriunt imparatos. Viginti circiter tormenta in hostes prætor exonerat. Strage globorū & stridore, ac flammarum eruptione perculsi, perturbantur palantes, crurū tenus in aquas se proijciunt: & nostri hostes insequuntur fugientes: vnà cum perterritis oppidū ingrediuntur: continuo cursu Barbari traijciūt, oppidum & domos deserunt. Ad fluminis ripam protentum dicunt esse oppidum, quantum non ausim dicere: mille quingentorum passuum ait Alaminus nauclerus, & domorū quinq; ac viginti milliū: stringunt alij, ingens tamē fatentur & celebre. Hortis intersecantur domus, quæ sunt egregiè lapidibus & calce fabrefactę, maxima industria & architectorum arte. Ad quarum sedes habitabiles per decem & duodecim alicubì gradus assceditur, & spatijs interiectis secantur. Nemini quidem licet vicini murum trabibus onerare. Sunt domus omnes trium domorum intercapedine separatæ, culmis tamē & paleis coopertæ maiori ex parte, lapideis laminis pleræq;. Quadraginta hominū millia Barbari profesi sunt eo die

die pugnæ interfuisse, victos tamen à paucis ob nouum pugnandi genus cum tormentis: & quia prætor in terram equites xvj. exposuerat, qui pugnæ interfuerunt, à tergo Barbaros adorti, turmas findebant celeri cursu, non aliter quàm si greges ouium interficerent, perimendo, feriendo à dextris & à sinistris. Miraculo perculsi miseri hæsitabant, neque exercendi tela locus dabatur: idem animal arbitrabãtur hominem equo annexum, vtì de centauris nata est fabula. Duos & xx. dies sunt potiti oppido: lautè sub tecto nostri, sub dio Barbari esuriẽtes degunt, neque sunt ausi nostros adoriri: munitiorem oppidi partem, velutì arce tuti elegerunt, nocturnisq; freti custodijs, suspecti semper eruptionem timentes, somno vacabant. Potanchanum dicitur ab accolis oppidum: & à victoria ibì adepta, Victoriã nostri appellârunt. Mira etiam de atriorum ruralium ad delicias in prædijs ædificiorum magnificentia, magnitudine atque elegãtia, cum solarijs impluuijs & tabulatis egregijs more nostro: vt quatuor Hispani rurale quoddã ingresſi, per horas quatuor in eo vagati fuerint, anteq̃ ipsius exitum ob magnitudinem comperire potuerint. Per interpretes tandèm & captos in prælio, regulum & eius primarios accersunt, vt inermes & supplices veniãt: datur opera, párent dicto, domus quisque suas repetit, pacem illis præstant lege proposita, vt ab horrentibus humanorum corporum cæremonijs erga manes & pniciosos dæmones, quorũ simulacra venerantur, abstinerent, nostroq; Deo Christo cæli terrarumq; satori, ex virgine mundo præstito, & ad humani generis leuamen crucifixo, dirigant mentis oculos, vtq; regi Hispaniæ se subditos fore profiteantur. Pollicẽtur vtrunq;: quan-

quantùm breuitas temporis paſſa eſt, inſtruuntur: reſtitutos noſtratibus muneribus contentos reddunt. E cælo miſſos arbitrãtur viros, qui adeò pauci numero, auſi ſint contra ingentem multitudinem manum conſerere: noſtros & illi quibuſdam aureis donis affecerunt, ſeruas etiam viginti donârunt. His ità relictis, alias eorundem littorum terras quæſituri, abeunt: ſinum repetunt ſub Griſalua repertum ab Alamino, cui nomen dedére Bian ſancti Ioannis. Bian vocat Hiſpanus ſinum. Pacatis animis veniunt accolæ. Ab littore oppidum erat diſtans milliare, domorum aiunt mille quingentarum, ſuper tumulo erectũ: ad oppidi hoſpitia inuitant noſtros, dimidiã oppidi partem offerunt, ſi perpetui velint eſſe habitatores ſecum: putant, vel Potanchanẽſium exemplo perterritos, ad quos iam fortè fama peruenerat, vel ſub talium virorum vmbra ſperâſſe in vicinos hoſtes fauorem & auxilium habituros. Perpetuis nanque mutuis ſe bellis conficiũt imperij cupiditate. Recuſant æternam ſedẽ, annuunt temporaneæ. Redeuntes ad littus noſtros ſequitur populus, ſcenas illis & ramata mapalia ſumma cum diligentia erigunt, & tutiſsimis tegminibus à pluuia cooperiunt: caſtra ibì locant, nè marceſcant ſocij. Prætor Alamino naucle-ro & Franciſco Montegio dat negocium, vt illius terræ Occidentem veſtigare intendant, feſſos interìm ipſe recreaturus, & curaturus ſaucios. In Potanchano manet ergò prætor cum reliquis: Bergantinos præbet ituris duos, homines quinquaginta. Ad hunc vſque ſinum lenis erat decurſus aquarum: vbì paulò inferiùs ad Occidentem adnauigârunt, àc ſi ex montibus altis à torrente raperentur, ità impetus illos

æquo-

æquoris breui ſpatio ad quinquaginta à ſocijs transportauit milliaria. In aquarum concurſum incidunt. A læua vaſta maris planities ſeſe oſtendit, quæ deſcendentibus ad Occidentē vndis obuiabat. Vtì duo ingentia flumina, quandò conueniunt ex aduerſo, ità videbantur à meridie venientes aquæ, tanquàm hoſtibus in ius alienum pedem inferentibus, primis poſſeſſoribus velle obſiſtere. Ex oppoſito terram viderunt longè, à læua & à dextra minimè: fluctuabāt inter eos cōflictus, vorticibus agitabantur in diuerſa, qui ferè illos deglutierant: ſine ſpe vitæ diù hæſitârūt, flectunt proras, aduerſo torrente vndè venerant, luctantur remis velisq́ue innixi, ſuperare vix poterant impetum: quandò ſeceſsiſſe putârunt ad minus paſſuum duo millia, vna nocte quatuor ſe fuiſſe retractos inuenerunt. Vicerunt tandèm illud graue certamen Deo fauente. Duos & viginti dies in eo paruo maris ſpatio conſumpſerunt: ad ſocios tandèm redeunt, rem aperiunt, finem eum eſſe terram Colluacanæ, putatiq́ue continentis adiudicârūt. Terram verò procùl viſam à fronte, vel continenti noſtro annexam, vel ſeptentrionalibus coniungi plagis ad Baccalaos, de quibus latè in decadibus. Reſtat adhuc res hæc in dubio, detegetur aliquando. Dum Alaminus & Franciſcus Montegius hæc ſecreta inueſtigarent à rege prouinciæ, qui Multoxumam dicitur, per vnum ex eius proceribus prædicto imperantem oppido, nomine Quintalbitor, multis precioſis mirisq́ue modis laboratis muneribus aureis, argenteisq́ue & lapillis ornatis noſtri donantur. Statuunt ad nouum Cæſarem noſtrum mittere de colonia deducēda, gubernatore Dieco Velaſquen inconſulto, qui eos cum mandatis miſerat, vt pro-

prouincijs peragratis, & redempto auro, regrederentur. Consilium ineunt, in diuersa tendunt, errorem fore proponunt aliqui: pars maior suffragatur, nō esse de gubernatore curādum, quandoquidem res ad maius tribunal, ad regem scilicet, deduceretur: vicit populus. A benigno rege commeatum capiunt. Ad millia indè duodecim in gleba fortunatissima condēdæ coloniæ locum assignant: generalem eligunt gubernatorē, prætorem ipsum Cortesium: non desunt qui putent eo inuito. Is magistratus alios creat, ad condendæ vrbis regimen, Portucarerium & Montegium: de quibus satis. Nuncios ad regem mittendos eligunt, eodē Alamino nauclero duce. Quatuor spōte sua primarij nostras visum terras veniunt, regemq́ adeò potentem, vt eius authoritas tam in infinitum protendatur. Ducuntur & fœminæ duæ, quæ nostris more patrio páreāt & obsequantur. Suffusca gens est: auricularum torulos vterque sexus perforat, gemmatosq́ aureos perpēdiculos circunferunt. Sed viri, quicquid est inter inferioris labij marginem extremum, & dentium inferiorum radices, perturant: vtì nos auro digitos gestando circunligamus. In eo labiorum foramine ampliori, lamina subtili retinente interiùs prodeuntem, argenteum affigunt. Carolenum æquat eius monilis rotunditas, crassitudo digitum. Fœdius me vidisse nunquàm recordor. Putant tamen illi elegātius nihil esse sub orbe lunæ. Quo exemplo, quàm vanè ruat gens humana in suî cæcitatem, quamq́ fallamur omnes, edocemur. Existimat Aethiops nigrum colorem candido pulchriorem: putat & candidus aliter: detonsus capillato, barbatus imberbi se credit esse spectabiliorem. Appetitu ergò vrgente, non

ratione suadente, tendit gens humana ad ineptias huiusmodi, regiturq́ue suo sensu quæque prouincia, vt inquit diuus Hieronymus: Vana eligimus, à certis & commodis abhorremus. Vndè habeant aurum, satìs dictum est: sed vndè argentum, nostri sunt admirati. Montes altos ostendũt, horum cacumina perpetuis canescunt niuibus, & paucis anni temporibus verticem ostendunt, ob nubium aut nebularum densitatem. Plana ergò vel mitia montana, aurum procreare videntur: asperi verò montes & gelidę eorum valles, argentum. Aurichalcum etiam assequuntur. Secures bellicas nanque ac ligones fossorios apud hos inueniunt, ferrum aut chalybẽ minimè. Ad munera ergò regi allata deueniamus, & à libris ordiamur. Diximus libros habere gentes has: libros attulerunt vnà cum cæteris muneribus hi Colluacanæ noui coloni, procuratores, nuncij, multos. Scriptibilia sunt eorum folia ex interiore arborum tenui cortice, sub libro superiore creato. Rarum aiunt esse: vtì videmus non in saliceo aut vlmeo, sed vtì cernere fas est in palmularum esui aptarum, tela dura folia exteriora intersecante: velutì retia foraminibus & maculis angustis contexta, bitumine tenaci retiacula compingunt. Ad aptatam hinc formam mollefacta conuertunt, & extendunt ad libitum, dureq́ue facta liniunt gypso. Putandum est autem, eos aliqua gypso consanguinea materia tabellas vidisse. Credendum est, gypso in farinam cribrato superfultas, in quibus quicquid venit in mentem, scribi potest, dehinc spongia vel pãnulo deleri, vt denuò reiteretur. Ex ficuũ tabellis fiũt libelli, quos magnarũ domorũ dispensatores per fora secũ ferunt, styloq́ue metallico merces emptas coaptãt, delendas quãdò iam

in

in computatorios codices traduxerint. Non foliatim libros concinnant, ſed in longum diſtendunt, ad plures cubitos: materias in quadratas reducunt partes, non ſolutas, ſed tenaci bitumine flexibili adeò coniunctas, vt ligneis compactæ tabellis, arguti librarij videantur manus ſubijſſe. Quacunq; pateat liber apertus, duæ ſeſe facies inſcriptæ offerunt, duæ paginæ appárent, totidem ſub illis latent, niſi protendatur in longũ. Sub vno nanque folio multa cõiuncta folia conſiſtunt. Sunt characteres à noſtris valdè diſsimiles, taxillis, hamis, laqueis, limis, ſtellisq; ac formis eiuſmodi, lineatim exarati noſtro more, Aegyptias ferè formas æmulãtur. Interlineatìm hominum, animaliumq; ſpecies, regũ præcipuè ac procerum depingunt: quarè credendum eſt, geſta eſſe ibì Maiorum cuiuſque regis conſcripta, quemadmodùm noſtra fit tempeſtate. Videmus ſæpenumerò eos generalibus hiſtorijs, fabuloſis etiam codicibus, ipſius rei, quæ narratur, ad alliciendos emere cupientium animos, authorum figuras interſerere. Arte quoq; grata ſuperiores tabulas compingunt: nil differre à noſtris clauſi videntur. Legum quoq; & ſacrificiorum, cæremoniarumq; ritus, aſtronomicasq; annotationes & cõputationes quaſdam, ſeminandiq; rationes & tempora, libris commendant. Annum ab occaſu heliaco Vergiliarum incipiunt, & menſibus claudunt lunaribus. Menſem autem à luna nominant Tona. Cùm menſes ſignare intendunt, Tonas inquiunt: lunam, eorum lingua tona dicunt. Dies autẽ à ſole: vndè quot ſoles, tot dies. Eorum idiomate ſol tonaticus dicitur: alicubì tamen aliter. Sed nulla ratione moti, annum diſtribuũt in menſes viginti, menſes autem etiam diebus vi-

Characterũ forma mirabilis.

ginti concludunt. Templa quæ frequentant, aureis ornant aulæis, & ſupellectilibus gemmeis admixtis: die illuceſcente thurificāt templa, piasq́; ſpargunt preces ante rerum initia. Horrendū facinus: in ſacrificijs, & iſtorum tractuum habitatores omnes, pro victimis pueros puellasq́; ſacrificant, eo modo quo ſuprà dictum eſt. Quo tempore ſemina iacit in terrā, & quādò iam ſpicātur ſegetes, populus ſeruos precio emptos, lautè depaſtos, & precioſis veſtibus ornatos, ſuis Zemibus deſtinat ſacrificandos: per dies viginti immolandos circunducunt, tranſeuntes per vicos oppidani ſuppliciter ſalutant, velutì inter cælites propediēm annumerandos. Acri alia pietate Zemes venerantur: ſuum proprium ſanguinem offerunt è lingua, hic è labijs, ille ex auribus, aliqui à pectore vel femore, aut cruribus: multi acutis nouaculis vulnerati emungunt ſanguinem, quem manu receptum, roratìm proiectum cælū versùs, per templi pauimenta conſpergunt: ità placatos reddi deos arbitrantur. A villa Ricca, id eſt, noua colonia, diſtat milliaria nouem oppidum domorum quindecim millium, veteri incolarum nomine Cempoal, nouo Sibylla: regulum reperiūt clauſos habentem immolādos ſeruos quinque: abductos regulus ſupplex repetit, inquiens: Perniciem mihi regnoq́; huic mèo vniuerſo adſtruitis, ſi ſeruos immolandos mihi auferetis. Irati noſtri Zemes ſata omnia à gurgulionibus corrodi, vel grandinibus deturbari, aut ſiccitate conſumi, vel torrentibus imbribus vaſtari permittent, ceſſantibus ſacrificijs. Nè deſperati deſciſcerent Cempoalani, minus malū elegerunt, in præſentia rati non eſſe tempus eis inuitis prohibere, quin veteres ritus exerceant: ſeruos

Templorū ornatus.

Sacrificiū crudele.

uos restituerunt. Licèt illis sacerdotes gloriam æternam,& perpetuas delicias polliceantur, deorumq́; familiaritatem post huius seculi procellosos dies: mœsti tamen hæc promissa auscultabãt, maluissentq́; liberari. Sacerdotes Quines appellant: singulari numero Quin: cælibes viuũt & incorrupti. Cum timore reuerenti sacerdotes venerantur. Hostiũ & in bello captorum ossa, carnibus exesis,in fasciculos ligata, ad Zemium pedes suspendunt, velutì victoriæ trophæa,victorum titulis superpositis. Notandum aliud referunt. Anniculos iam pueros puellasq́; cum pijs cæremonijs, sacerdotes in templis,aqua in crucẽ cum vrceolo capiti superiniecta, baptizare videntur: verba non percipiunt, actus & murmura licet animaduertere. Neque illi, vtì Mahumetici aut Iudæi, putant eorum templa violari, si alienigenæ legis quisquam eorum sacris intersit. De libris, templis, ac sacrorum ritibus, satis dictum putamus: ad alia regi allata munera deueniamus. Duas attulerũt molas, vtì trusatiles,vnã auream, argenteam alteram, solidas, tenues tamen, circunferentia ferè pari,spithamarum octo & viginti. Ponderis castellanorum est aurea trium millium octingẽtorum. Diximus castellanũ, esse monetam auream, quæ ducatum triente superat. Eius centrũ occupat, velutì regis in throno sedentis, cubitalis imago dimidia, ad genu vsque vestita, genij similis,eo vultu quo nocturnos lemures pictores nostri pingere sunt soliti: campus ramis & floribus effigiatus.Eadem est argenteæ facies. Ferè idem pondus: vtrunque metallum purum. Aurea etiam grana rudia,nõ conflata, in argumentum auri natiui, vtì ciceres aut lentes attulerunt. Torques quoquè aureos du-

os, quorum alter conſtat catenulis octo, quibus inſerti ſunt rubri lapilli, non pyropi tamen, duo & triginta ſupra ducentum: virides autem tres & octoginta ſupra centum, non ſmaragdi tamen. Eiuſdem ſunt exiſtimationis illi, qua hi apud noſtros nobiles. Ab eius torquis fimbria tintinnabula pendent aurea ſeptem & viginti, figuris quatuor gemmeis auro ligatis interſecta. Dependent à ſingulis aurei perpendiculi. Torquis alter eſt quatuor catenularum aurearum, per gyros rubris ornatarum lapillis centum duobus, viridibus autem centum ſeptuagintaduobus, ſex & viginti aureorum tintinnabulorum eleganter comptorum. In ipſius torquis medio decem ſunt inſertæ magnæ gemmæ auro circunligatæ, à quibus centum perpendiculi ſuſpenſi egregiè laborati. Coriaceos cothurnos diuerſorum colorum afferunt fortè duodecim, hos auro, argento illos, gemmis alios fultos, coloribus tum glaucis, tum viridibus: à ſingulis tintinnabula pendent aurea. Tiaras, mitras, varijs gemmis inſutas, glaucis ſapphiros æmulantibus refertas portant. De criſtis, zonis, & flabellis plumeis, quid referre queam, non ſentio. Si quid vnquàm honoris humana ingenia in huiuſmodi artibus ſunt adepta, principatum iure merito iſta conſequentur. Aurum gemmáſque non admiror quidem: qua induſtria, quo've ſtudio ſuperet opus materiam, ſtupeo: mille figuras, & facies mille perſpexi, quas ſcribere nequeo. Quid oculos hominum ſua pulchritudine æquè poſsit allicere, meo iudicio, vidi nunquàm. Ignotarum nobis volucrum ſunt pennæ lucidiſsimæ. Vtì pauonum aut phaſianorū caudas viſas admirarentur, ità & nos illorum pen-
nas

nas, quibus & flabella & criſtas conficiunt, & elegantia ornant cuncta. Glaucos, virides, flauosq́ꝫ ac rubros ac candidos, ſuffuſcos etiã colores pennis ineſſe natiuos inſpeximus: auro cũcta illa inſtrumenta confingũt. Galeas attulêre duas, gemmis glaucis coopertas: vnam tintinnabulis aureis fimbriatam, & aureis pluribus laminis, duobus aureis calculis tintinnabula ſuſtinentibus: altera gemmis eiſdem, ſed quinque ac viginti fimbriata eſt tintinnabulis aureis, criſtata viridi volucre conum occupante, cuius pedes, roſtrum & oculi, aurea. Singula verò tintinnabula ſinguli ſuſtinent aurei calculi. Fuſcinas quatuor tridentes pennatas varijs coloribus intextas, quarum dentes ſunt gẽmei, filis aureis colligati. Eodem ordine ſceptrum ingens gemmatũ cum duobus aureis tintinnabulis. Aureum etiam brachiale, calceos ex corio ceruino, aureo filo conſutos, ſolea candida ſubiecta: ex lucido lapillo ſemiglauco, vnà & candido circũſeptum auro ſpeculum: ſphingem, fortè lapidem diaphanum, auro circunligatum: magni lacerti caput, & cochleas ingentes duas, anates aureas duas: & variarum volucrum ſpecies aureas. Quatuor & piſces cephalos aureos: & ex aurichalco virgam: pennis miris modis inſuta omnia. Portârunt bellicas peltas, & ancilia. Scuta quatuor & viginti aurea, & argentea quinque. Mitram plumis varijs contextam, in cuius fronte media lamina inſculpta eſt aurea, effigiata Zemi idolo. Figuram quatuor aliæ ſepiunt in modũ crucis aureæ laminæ, variorũ animaliũ, leonum putà, tigrium, & luporum capita, virgis & tabellis formata animalia, ipſorum corijs ſuperinſutis, aurichalceis tintinnabulis ornata, & diuerſorum animaliũ corijs

integra, & egregiè confecta. Lodices varias gossampinas, candido, nigro & flauo coloribus intextas, duas auro & gemmis dites, trésque alias pennis & gossampino intextas scacorũ ludo: quod argumentum est, & scacorũ fritillos habere eos in vsu. Aliam à fronte, nigro, candido, rubróque coloribus, intrinsecùs rasam sine varietate. Aliã eodem modo intextam, aliorum colorum, rota nigra medium tenente, radiata pennis lucentibus intermixtis. Candidas & alias lodices duas, peristromata, aulæa, & sagulum patrio more viri gestamen, & textas interiores, & capitis velamina varia tenuissima, & pleraq; alia pulchra visu magis quàm preciosa, quæ arbitror iam plurimorũ lectorum ingenijs, quòd harum rerum cognitio parùm sit frugifera, tædiosa potiùs fore, quàm delectabilia narratu. Prætermitto & innumeras nauigantium particulas, de laboribus, egestate, & periculis, & de monstris, & aduersis multis, quibus interdùm non absque vitæ discrimine exerciti fuerunt, quæ in suis annotationibus quisq; edisserit, in nostroq; regio rerum Indicarum senatu leguntur: ex varijs & multis eorum indicibus & priuatis literis hæc pauca collegi. Munerũ tamen latores & Ferdinandus Cortesius, classis ipsius præfectus, & condendæ coloniæ nouæ in extremis terris author, à regio Indico senatu cõtra rectum iustumq; fecisse iudicantur, qui inconsulto Cubæ gubernatore, qui eos authoritate regia miserat, prouinciam susceperint ab eius mandato alienã, quiq; venerint, licèt ad regem, se insalutato. Per procuratorẽ fugitiuos latrones, & lęsę maiestatis reos Cubę gubernator appellat, ac in ius vocat. Illi autem se maius multo pstitisse regi obsequium, venisseq; ad maius tribunal, argu-

guunt. Petit, capite puniantur, gubernator. Petũt magiſtratus iſti, & ſumptorũ tot laborum & periculorum præmium. Pręmium & mulcta differtur: vt pars vtraque audiatur, ſtatutum & ſancitum eſt. Iam ad Darienenſes Vrabæ ſinûs in putato cõtinenti habitatores veniamus. Darienem diximus eſſe fluuium, in occidentale Vrabæ ſinûs cadentem latus. In huius ripa Hiſpani coloniam, regulo Cemaco vi armorum pulſo, poſuerunt. Coloniæ nomen, ex voto pugnæ tẽpore promiſſo, dixêre, Sancta Maria Antiqua. Ad hos diximus in calce decadum fuiſſe miſſos eo anno quo ſcribere deſijmus, duce Petro Aria Abulenſi, viros mille ducentos, id petente Vaſcho Nunnez Balboa, qui primus auſtrale pelagus latẽs adhuc detexerat, & Darienenſibus præerat. Appulſo ad Darienem Petro Aria gubernatore cum ampla regia poteſtate, diximus fuiſſe deſtinatos per diuerſa, cum varijs peditũ turmis, diuerſos centuriones. Breuibus abſoluam, quia horrida omnia, ſuauia nulla. Ex quo noſtræ decades deſierunt, nil aliud actum eſt, nisì perimere ac perimi, trucidare ac trucidari. Ad voluntatẽ creauerat rex Vaſchum: nequiuit diù ferre Petri Arię imperium: diſſederunt animis: cõfuderunt omnia: intercesſit tempus, Ioannes Caicedus Frãciſcanæ religionis pulpitarius Vaſcho promiſit filiam in vxorem Petri Arię. Ars inter rerum duces, qua conueniant, nulla reperitur. Diſsident multo acriùs, & res ad talem caſum deducta eſt, vt occaſionem nactus in Vaſchum Petrus Arias, proceſſu per prætores vrbanos formato, iugulari Vaſchum mandauerit, & vnà primarios quinq; alios: inquiẽs Vaſchum ſocioſq; defectioni ſtuduiſſe in mari auſtrali, vbì claſsiculam nauigiorum quatuor Vaſchus ipſe

construxerat, ad australia putati continentis littora inuestiganda: dixisse Vaschum commilitonibus trecentis, quos secum habebat: En quid viri tot laborum & periculorum mecum participes, alieno semper subiecti imperio erimus? Quis ferre posit iam huius gubernatoris insolentiam? littora hæc sequamur, quò sors dederit, & inter tot elysias prouincias tam vastę telluris vnam eligamus, in qua nobis ipsis, quod vitæ superest, liberi iam tandèm viuere possimus. Quis hominum nos reperire poterit, aut repertis vim inferre? Res ad gubernatorem delata est. Vaschum ab austro accersit Petrus Arias: páret dicto Vaschus: in catenas conijcitur: negat Vaschus tale consilium cogitâsse: testes quæruntur malefactorum, quæ patrauerat: ab initio dicta colliguntur: morte dignus censetur, perimitur. Ità laboribus & periculis, quæ subiuit innumera miser Vaschus, quandò maiores se titulos adepturum sperabat, finem imposuit. Classiculam Petrus Arias ipse, vxore in Dariene relicta, conscendit, scrutaturus littora: nondùm, an redierit, intelligimus: neque ipsi deest fortuna. Iam alius est designatus gubernator, dictus Lupus Sosa, ex Fortunatis insulis, vbi extitit prorex, reuocatus ab Dariene. quid stomachi sit habiturus, si redierit Petrus Arias, boni iudicent: nil vnquàm gloria dignum sub eo actum est: nimiùm remissum ab initio fuisse, hinc arguitur: illinc autem nimìs indulgentem, & parùm seuerum in corrigendis erroribus. De hoc satis. Omissa quædam repetamus de flumine ingenti Dabaiba profundissimo, quem nostri ob latitudinē ac magnitudinē eius immensam, Grandē vocitârunt: qui labitur in vltimū Vrabæ sinûs angulū, per portas

Post exhaustos tot ac tantos labores Vaschus morte mulctatur.

(vtì

(vti Nilus in Aegyptium mare) septẽ. Cuius copiosam descriptionem reperies in decadibus nostris. Quòd eius mõtana sint auro ditissima, ex accolarum, quos super ijs rebus accuratè interrogauimus, relatu dixi. Dabaibæ arcana scrutaturi Vaschus & prætores alij, compositis agminibus aduerso flumine cum nauibus diuersarũ specierum, quater conscenderunt: quadraginta millia passuũ primò, mox quinquaginta, demùm octuaginta, ex transuerso aliâs. O ingens facinus, ô nostram detestandam ignauiam: gens nuda vestitã, inermis armatã in omni ferè cõflictu profligauit semper, trucidauit ad vnum, aliquandò vulneribus confecit omnes. Sagittis bella gerentes venenatis, hostem lacessentem impetunt: & quà visu hostium carnes assequuntur detectas, ictum figũt certissimum. Habent & iacula, quæ pugnæ tempore tam crebra iaculantur eminùs, vt more nubis solem hostibus eripiant. Habent & ligneos durefactos enses latos, quibus cominùs certant ferociter, si ad manus deueniatur: & Vaschum ipsum multis vulneribus confecerunt aliquandò. Ità flumen Dabaiba propulsantium accolarum rabie inexploratum relinquitur. Restat, vt de Hispaniola, reliquarum insularum genitrice ac ceu primaria earum, de quibus narrare instituimus, pauca dicamus. Resarcitus est in ea Senatus: quinque sunt additi iudices, qui vniuersis illis tractibus leges præbeant. Sed propediè in ea colligere aurum, licèt sit auro prægnans, desinent, quia fossores deerunt: ad exiguum miseri accolæ redacti sunt numerum, quorum opera auro legendo vsi sunt. Absumpti sunt ab initio bellis acribus, fame multò plures: quo anno radicem, qua panem nobiliũ conficiebant,

eruẽrunt,

eruerunt, & à maizio grano ſeminando pane populari abſtinuerunt: reliquos varij morbi, ignoti hactenùs, anno milleſimo quingenteſimo decimooctauo, qui tanquàm morboſas pecudes contagioſo halitu eos inuaſerant, & vnà, nè mentiamur, auri cupiditas: in quo effodiendo, cribrando ac legendo miſeros poſt iacta ſemina, ocioſis ludis ac tripudijs, & piſcationi, aut parui cuniculi venationi aſſuetos, inhumanè nimìs exagitârunt. Iam per regium vniuerſum Senatum ſancitum eſt, vt liberi reducantur in populos, & agriculturæ generationiq; indulgeant. Serui autem & aliundè empti, ad id aurifodinarum opificium trahantur. De auri mortifera fame ſatìs dictum. Auditu eſt mirandum, quantùm in hac inſula coaleſcant omnia. Octo & viginti in ea ſunt torcularia erecta, quibus magna ſaccari copia extorquetur. Saccareas aiunt cannas altiores craſsioresq; in hac inſula creari quàm alibì vſquàm reperiantur: ad craſsitudinē lacertalē, aiunt, & virilis staturę ac ſemis altitudinē nutriri: & quod maius, Valentiæ Hiſpanæ, vbi ingens ſaccari copia quotannìs elicitur, vbicunquè ſaccareis cannis inuigilatur, quinq; vel ſex, aut quandò copioſiùs, ſeptē phialas cannas quæque radix parturit: in Hiſpaniola viginti aut triginta interdùm. Quadrupedum eſt in ea copia immenſa. Auri rabida ſitis à cultura Hiſpanos hactenùs diuertit. Triticum augetur in immenſum, vt centeſimum aliquandò reddidiſſe dicatur: vbì cura ſit, in collibus aut montanis iugis, ad boream præcipuè verſis, tritico ſerendo intendere. Coaleſcunt & vites in eiſdē partibus. De arboribus verò caſsiam fiſtulam gignentibus, ex inſulis putato continenti vicinis abſportatis, (de quibus mentionem fecimus in deca-

decadum libellis) quid dicemus? Tanta est iam copia, vt post paucos annos libram simus vnciæ loco à pharmacopolis habituri. De syluis coccineis, deq; reliquis huius beatæ insulæ prærogatiuis, & naturæ in illam porrecta beneficentia, satis multa in decadibus. Placuit tamen pleraq; repetere, quia à grandium negociorum mole arbitror ad huiuscemodi rerum recordationem multorum lectorum ingenia diuertisse: nec labia detorquent, quę sunt sapida, modò materia preciosa preciosis vestibus induatur.

FINIS.

SANCTISSIMO LEONI DECIMO PONTIFICI MAXIMO, PETRVS MART. S.



VANDOQVIDEM beatissime Pater, è nostri orbis noui ternione partes sibi duas tua Sanctitas vendicauit, Ioanne Rufo Foroliuiensi Archiepiscopo Cōsentino, & Galeatio Butrigario, tuæ sacræ sedis apostolicæ legatis, ac Ioanne Cursio Florentino, suæ illustris Reipub. oratore, vt ea colligerē, tuæ Sanctitatis nomine, poscentibus: Accipiat vnà Legationem hanc meam Babylonicam, paululùm reformatam ab ea, quæ inepto charactere, me inconsulto, cum prima decade impressa vagabatur. Quô intelligat, vtrùm mihi creditum à peregrè proficiscente Domino vitale talentum, in nostra religione suffoderim, an exercuerim: & an

ego

ego de tui gregis ouibus vna, virentia tua prata depastus impunè fuerim. Huius legationis epistolares archetypos lituratos proieceram in angulum, tanquàm rem nudè compactam, de ipsius editione nil penitùs curans. Quia nihil ex his quæ domi aliquandò cuderim, sine rubore ac metu emisi vnquàm: quoniam quid ex mea officina prodire queat, apertè cognosco. Multò enim magis occipitalem eruditorum castigationem timeo, & inuidorum tela perhorresco, quàm amicorum applausibus erigar, aut vlla commendatione ob sumptos labores exhilarari animum sentiam. Dormitabat igitur iacebatq; in tenebris derelicta mea hæc à Gadibus ad Nilũ vsq; peragratio, quandò Hispaniarum & Cardinalis & primas Toletanus archiepiscopus, noster hic patronus, Franciscus Ximenez inpræsentiarùm Castellæ regnorum moderator, Carolo rege catholico absente, vt è latebris illã educerem, efflagitauit. Prodijt eius nomine. En illam secundò chalcographorum prælis suppositam, venustioribus tamen characteribus fucatam, magisq; verè quàm eleganter scriptam. Quæ si tam sereno vultu suscipietur, quàm nostri agelli primitiæ anno superiore, de Orbe Nouo, ad te, qui vicarius Dei vices in terris geris, missæ, cui rerum omnium decimæ primitiæq; debentur, susceptæ fuerunt, obtusum ac torpens ingenium meum excitabitur, & multa quæ de Orbe Nouo restant, literis mandabit. Vale Pater beatissime, ante cuius sacros pedes animo, si nequeo corpore, prostratus, opto dicóque felicitatem.

Petrus Martyr Mediolanen.

PETRI

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN.

FERNANDO ET ELISABETH REGIBVS, QVI EVM AD VENETOS *& Soldanum, oratorem miserant, legationis Babylonicæ*

LIBER PRIMVS.



EGIO à conspectu vestro, catholici principes, cùm destinatus orator ad Venetos, deindè ad Soldanum Babylonicũ, discessui me accingerem, vt quæ memoratu digna sese offerrent, quæ've mihi acciderent, vt Latinè retroscriberẽ, imperâstis. Quamobrèm vestri imperij memor, breuibus epistolis tribus ex itinere quædam ex ijs, quæ mihi occurrebant, vobis significaui. Nunc verò cùm in hac vrbe Alexandria sim dies aliquot ociosus moraturus, ob galeaceas, quæ me aduexerunt, barbarorum cauillationibus implicitas, nullumq́ sperem aliud posse mihi nauigiũ offerri, quo me credere tutò priùs queam: fuit consilium, nolle tẽpus incassùm terere. Prætereà cùm existimẽ accidere posse in natura, vt magnorum aliquandò regum, velutì priuatorum negocia vel intercipiantur, vel tempestatibus includãtur, est animus scribẽdis ea commiscere, quę hactenùs exaraui. Sic igitur exordiri inten-

intendo. Si memores estis, catholici principes, ex vrbe Granata, quam de Barbarorum Mahomethęorum potestate bello nupèr eripuistis, Idibus Augusti, anni à salute nostra primi & quingentesimi supra millesimum, ad hoc munus oratoriū mihi demandatum à vobis dimissus sum. Cùm abire iam pararem, Dominicus Pisanus, qui apud vos suam Rempub. Venetam orator refert, vt properarem, vehementi monitu persuasit. Solere sæpiùs ad Orientis oras his temporibus Venetarum galeacearum classem, genus nauium à piratarum incursibus & tempestatum ac procellarum rabie tutissimum, traijcere, inquiens. Huius ergò verbis impulsus, longis itineribus Hispaniā vtranq; Galliam vniuersam, quæ Herculeo mari adiacet, Italiamq; totam à Ligustico ad Adriaticū sinum percurri: sed per loca inuia, per montium anfractus, per deserta syluarum proficiscens, sub dio, ad euitandum pestis horrendæ periculū, quę Laletanas ac Narbonenses vrbes & oppida miseranda contagione vastabat, sæpè comedēs & quiescens. Nec liber tamen ab ea cæli intemperie penitùs euasi. Tres enim ex antiquis meis familiaribus pestifera febri correptos à tergo mœstus reliqui. Venetias tandèm pridiè calendas Octobris circiter noctē intempestam perueni. Postero die Veneti Senatores de aduentu meo certiores effecti, nobiles, qui me ad se comitētur, mittunt. Per nūcios enim illis, vestro catholico nomine quędam me relaturum, significaueram. Adiui, vestro nomine salutaui, imperata retuli. Quibus auditis, delectatione affecti sunt summa. Sed tunc pręcipuè, cùm qualis sit erga eos futurus vester animus aperui, si quid in ipsos quisquā moliretur, aut si noui aliquid, de quo suspicabantur, emergeret.

geret. Colloquijs vtrinquè iam peractis, regias vestras porrexi literas, quibus ipsos, vt de me vlteriùs ad magnum Soldanum Babylonicum processuro curam gererent, hortabamini, & summa cum diligentia dirigerent, rogabatis: gratissimū vobis facturos innuentes. Literis libenter perlectis, responderunt, se per celeres tabellarios ab oratore suo qui isthic assidet, Dominico Pisano, de mea ad Soldanum profectione præsciuisse. Indè vt animo sim alacri, suadent. Iter mihi tutissimum successurum prædicant. Moxq́ue de primarijs & senioribus vnus, his me verbis allocutus est: Ab huius nostræ vrbis initio, quæ, vtì vides, aquis vndiquè circunuallata, & intra marinos fluctus fundata, nullius rei per se copiam tenet: ità semper fuimus instituti, vt ciuium nostrorū pars maior, maritimis commercijs intenta, exterarum regionum, quacunquè iter patéret, prouentus ad nos deportare curarent: cæteris, quibus vel senio cōfectis vires desunt, vel rerum experientia aut doctrina pollentibus prudentia inest, regendæ vrbis onus incumbit. Quarè longa nobis annorum curricula hoc genus nauiū, quas nos Galeaceas appellamus, aptius, commodius, tutiusq́ue esse reliquis nauigijs, ostenderunt. Quibus, quicquid nobis est fortunarū, quotquot've nobiles nostra hæc vrbs procreat, nos posse tutò credere arbitramur. Opportunè igitur & fausto sidere aduenisti. Nouē enim scito galeaceas commercij causa, quatuor Berytum Damasci Syriæ portum, Alexandriam autem Aegyptiam quinque, destinatas. Ex his octo dudùm vela in altum dedisse, vnamq́ue tantummodò esse in portu tibi significamus, quę ad colligendas aliarum sarcinulas postergatas permansit: nihilq́ue aliud iam,

Instituta Venetorum.

Tuta galeacearū nauigatio.

præter aduentum tuum & ſecundos ventos, opperitur. Reliquas octo galeaceas in Polæ vrbis noſtræ portu in Illyrico aſſequêris: in quem lignandi & aquãdi gratia ſeſe, ex veteri noſtra conſuetudine, recipiunt, altum ve capturæ conueniunt. Propterea te, quantocyùs poteris, accingito, nè, ſi fortè venti conſurgant optati, diutiùs morentur. Ingruit enim iam hyems, & durũ eſt poſthàc credere ſe ventis: propter varias quæ ex inſperato, in hoc præcipuè vadoſo noſtro ſinu, exoriuntur tempeſtates. Huic ego, quacunque me hora nautæ vocauerint, prӕſtò fore, reſpondi. His itaque peractis, eius galeaceæ, quæ adhuc ſtabat in ancoris, Præfectum Senatus ad ſe iubet acceſſiri: meq; illi ſummoperè commendat: vtq; honorificè & commodè tractet, imperat. Domũ igitur lætus reuertor: & intereà loci dum per familiares meos lecti, cæteraq; ad eam nauigationẽ neceſſaria comparantur: hunc diem, qui Calendarum Octobris eſt, cùm ſalutationibus eorum qui mihi in Hiſpania oratores noti erant, intentus, tum perquirẽdo aut exarando, cõſumpſi. Ex ijs qui ad me veteres amici ſalutandi gratia venerunt, cùm Venetos Senatores ad principẽ eligendum in prætorio concluſos repererim, quo ordine is deligatur, percontatus ſum. Cùm primùm dux eorum hominem exuit, comitia, ad quæ nobiles omnes ab anno trigeſimo conueniunt, per præcones conuocantur. Neque enim de populo inter eos ad imperij habenas quiſquam admittitur. Nobiles autem, circiter quingentorum ſupra mille numerum attingũt. His aggregatis, deargentati globuli intra pyxidem clauſi, numero totidem, quot ipſi adſtant, afferuntur: quibus triginta tantùm deaurati cõmiſcentur. Ità velutì agmi-

Ordo eligendi principem Venetum.

agmine benè compoſito pro cuiuſque ætate (honos enim inter ipſos veterum Romanorum more ſenibus exhibetur) ad pyxidem procedunt, manuq́ propria ſingulos globulos latẽtes ex obſcuro ſinguli extrahunt. Qui in deauratos fortè incidunt, in prætorio permanent: cæteri dimittuntur. Triginta verò hi, nouem inter ſe, per ſuamet ſuffragia ſortiuntur: reliqui abeunt. Nouem his ità electis, de quibuſcunque nobilibus abſentibus vel præſentibus quadraginta, per ſua ſuffragia liberum eſt præponere. Ab his quadraginta, duodecim iterùm de ſuomet numero deliguntur. Quibus duodecim, cæteris domum redeuntibus, alios extra ſe quinque & viginti nominandi poteſtas prębetur. Hi quinque & viginti, de ſeipſis nouem iterùm per ſuffragia deligũt. Extra ſuum collegium hi nouem iterùm quinque & quadraginta, quoſcunque libet, ſortiuntur. Ex horum turba iterùm vndecim, qui cæteris diſcedentibus, alios vnum & quadraginta deligunt. Hi vnus & quadraginta iam tandèm, vndecim electoribus ſuis domum dimiſsis, in prætorio permanentes, poſt tanta ac tam varia ſcrutinia, de nouẽ ſancti Marci procuratoribus eum, quem, iureiurãdo adhibito, ad Reipub. gubernaculum aptiorem fore crediderint, ducem ſibi retinent, qui in ſuffragiorum vnius & quadraginta benigna ceſsione, quinque & viginti ad ſe directa ſuffragia habere comperietur. Ducis autẽ Venetorum ità electi poteſtas paulò maior eſt, mea ſententia, quàm eius qui apud Romanos princeps Senatûs appellabatur. Neque enim is habet, ſine decemuiratûs, qui ipſi ſemper aſsidet in rebus pertractandis, conſilio, non modò vitę aut necis, ſed neque in re vlla ſolus aliquam poteſtatem.

Ducis Venetorum poteſtas.

Monetæ tamen huius charactere ſignatæ cudun-tur: ipſiusq́ nomine literæ conſcribuntur. Non deerunt hoc loco, arbitror, catholici reges, ſi ad aliquorum manus hæ noſtræ literæ peruenerint, qui ſubſannare, & meæ huic, eorum iudicio, inutili curæ detrahere præſumant, qui ad tantos ac tantis regnorum ponderibus preſſos reges minuta quædam, & inculta oratione, ocioſus enarrem. His ratio ipſa, catholici principes, aperta fronte reſpondebit: prudentum ſibi ac ſapientum nomina ſolos eos reges peperiſſe, qui multarum rerum ſcientiam continua & ſtudioſa inquiſitione indagârunt. Nec magnis principibus ſemper res celebres datur pertractare. Nec ſola ea ſunt magna, à quibus dulce aut vtile, quæ duo vitã verſant humanam, decerpantur: à paruis etiam arbuſtis fructus interdùm non inutiles, & ab incultis rubetis odoratæ roſæ colliguntur. Propterea cùm ſitis mihi, ſanctiſsimi duo cõſortes, non penitùs ignoti: cùm à clariſsimè geſtis prudẽtia vos viuentes omnes antecellere ſit compertiſsimum, fuit conſilium hebetare aures, & quacunquè vobis ſatisfactum iri credidero, calamum dirigere. Redeundum igitur eſt ad primum inſtitutũ. Ab ijſdem qui apud me eo die verſati ſunt, quod genus galeacea nauigij ſit, adeò, vt ipſi prædicãt, tutum, quibus authoribus cõficiatur, quo've modo regatur, ſciſcitatus ſum. Genus aiunt eſſe triremium: nec alio à triremibus fabricari diſcrimine, quàm magnitudine. Impẽſa verò & ærario cõmuni ab eorum met fabris nauticis, quos habẽt & enutriunt cõtinua exercitatione in ſuis naualibus innumeros, conſtruuntur. Venetorum naualia, principes ſereniſsimi, pulcherrimũ eſt videre. Vrbem munitiſsimam, velutì à propinquis hoſti-

hostibus mirificè custoditam, se ingressum arbitrabitur, qui intra eorũ naualia admittetur. Mœnibus enim turritis circũsepta, præsidijs & excubijs perpetuis custodiuntur: nè quis maleuolus igni supposito, vt aliquandò euenit, introëat. Ibì fabrilia omnia fiunt. Ibì malleorum strepitus vix ferre potest quisquam, cùm inter fabrorum ferrariorum officinas iter fit. Alij ancoras diducũt, alij enses, hastarum cuspides, & gladiorum omne genus formant: alij ballistas conflant & scorpiones: alij clauos, secures, ligones, & cætera quæ ex ferro fabrefieri solẽt, instrumẽta cudunt. Ibì etiã fœminarũ nentium texẽtiumq́ ac omne amplustre parantium multitudo ingens degit. Ibì molæ versatiles, quibus tormentarius cõficitur ac teritur puluis. Nunquàm quiescunt. Deportatas huc fabulosas Vulcanias insulas vestræ Siciliæ suburbanas, cum suis Vulcano & Cyclopibus, me perambulare quasi existimabã. In his demùm naualibus omnia quę ad nauigationẽ, terrestreq́ bellũ attinẽt, cõficiuntur. Galeaceis igitur cõpactis atque etiam instructis, per præconẽ in compitis ac triuijs omnibus, certam galeacearum copiam ad Alexandrinam aut aliam expeditionẽ esse paratã, edicitur. Diuersarũ enim mercium cõparandarũ gratia, ad oẽs has regiones Veneti quotãnis quendam galeacearum numerũ mittere consueuerũt. Ad Tanaim scilicet in Scythiam aliquas: alias Berytum Damasci portum in Syriam: Alexãdriam Aegypti emporium alias: ad Africana littora plerasq́, quasdam in Hispaniam, in Angliam Britanniam maiorem: & ad glacialis oceani incolas etiã nõnullas mittunt: Byzantium quoq́ Constantinopolim in Thraciam, priusquàm Turcarũ bellis vrgerentur, vndè tapetum ingentem copiam

Naualis officinæ descriptio.

+ Et euenit ao. 1570

referebant. Audito igitur ſui principis & Senatûs per præconem edicto, nobiles hiſce negociationibus exercitati, in prętoriũ conueniunt. Ibiq́ꝫ propoſita ad auctionem galeacearum locatione, ſingulas ſinguli conducunt. Facta dehinc pro ipſorum veteribus decretis diligenti inquiſitione, an cuiuſq́ꝫ galeaceæ cõductor, idoneus ſit: cũ omni, vt ità dixerim, ſupellectili ampluſtriq́ꝫ recẽti, ad nauigandumq́ꝫ paratiſsimas conductoribus ſuis nobilibus galeaceas obſignãt. Popularium nanq́ꝫ galeaceam conducere nemini licet. Harumq́ꝫ conductores, patronos appellant: & à patroni cõductoris cognomine, nomen ſibi quæq́ꝫ galeacea in poſterum retinet. Galeacearũ quamlibet, cuparum quingentarum ſub tegmine: in detecto autem, totidem pondus deportare, inquiunt. Cupas verò ſingulas, ponderis mille librarum computant. Et quoniam longè ſecùs, atquè onerariæ naues aut alia quæuis nauigia, gubernantur: non erit abſurdum, quonam modo illas regãt, recenſere. Galeacearum quælibet, ducentorum ferè hominum miniſterio, ſtipendio cõductorum, indigere videtur. Ad remorũ ac velorum adminiſtrationẽ, centũ quinquaginta addicuntur: tot enim remos quælibet ipſarum (quanuìs ob nauigij magnitudinẽ remis parùm vtantur) affert. Nam ſolo tempore malaciarum, vt proximum aliquẽ portum ingrediantur & exeant, aut vt ſe in aliquam partem mutent & cõuoluant, remis agitur: quos habẽt in quolibet tranſtro ternos: propterea triremes meritò appellabuntur. Hi centũ quinquaginta, à remis remiges dicuntur. His digniores duodecim iuuenes agilimi aſsignantur: qui haud ſecùs, vbì opùs eſt, per málos ac rudentes & antennarum cornua aſſcendũt, deſcenduntq́ꝫ, etiam rugi-

Quãti capax ſit galeacea.

rugiente tempestate, àc si essent Tabracheę simię, aut petauri leues: hi gagliardi, id est, viribus pollentes, appellantur. Quorum humeris siue industriæ & labori in fremitu tempestatũ, siue in certamine nautico, si quid occurrat, totum onus incumbit: & velutì decuriones, alios nautas regũt. Sunt prætereà duo directarij: quorum consilio, duodecim gagliardis comitibus, cura est vicissìm, quacunq; puppis vertenda sit, temonẽ regere. Est & his superior gubernator generalis: cui alius addicitur consiliarius. Omnibus autem patronus ipse galeaceæ conductor imperat. Insunt etiam omnium artium ad rem maritimam necessariarum opifices delectissimi, è publicis naualibus educti, in eis à teneris educati, cum suis quisque ministris & fabrilibus instrumentis: vtputà lignarij, ferrarij, stipatores, ballistarij, arcuarij, tormẽtarij, & reliqui id genus. Sũt & coci cõplures, dispensatores, mensarij ministri: quatuorq́; portæ custodes vocati: qui sub vnius tabellionis imperio, cui merces omnes assignantur, curã gerunt ẽruendarũ imponendarumq́; merciũ: ne´ve quis sub tegmen per portã, nisì sit benè notus, ingrediatur: quoniam ibì omnia preciosa includuntur. Sed cæteris omissis, operæprecium est, nouum illud institutum, ab eorum Maioribus à prima vrbis origine inuentum, legeq́; sancitum, & religiosissimè apud eos ad hæc vsque tempora seruatum, cognoscere. Vt labentibus paupertate nobilibus consuleretur, lege cautum est, vt galeaceæ cuiusque patronus octo nobilium pauperum filios, ad quamcunque partem proficiscantur, cum segtuaginta nummorum aureorum stipendio, secum ducat: illisq́; victui necessaria, qualia nobiles habere decet, impartiantur: simul *Afflictorũ nobilium remediũ.*

vt aromatum libras quater mille, ſine nauli vllius ſolutione, & gratuitò importare ſingulis permittat. Ità & aliena impenſa hoc tempore viuunt: & multi qui egeſtate oppreſsi torpeſcerent, exerciti pedetentim, nî ſint ignaui penitùs & inertes, emergunt. Cuiq; tamen ipſorum intra galeaceam ſuæ ſtationes, ad quas tutandas vnà cum duodecim comitibus concurrant, ſi qua vis hoſtilis ingruat, obſignantur. Sed per Senatûs ſuffragia hi nobiles de multis pauperibus ſupplicantibus deliguntur. Galeacearum ex Aegypto præcipuè vel Syria redeuntium, ducentorum interdùm millium ducatorum ſummam ſingulæ reportare creduntur. Indè nanq; gemmarum, aromatum, Arabicorum odorum referunt omne genus, & quicquid laſciuiæ huiuſmodi eſt in natura ad effœminandos homines: ſimul & medicamentorum copiam ingentem per totam Europam diſſeminandorum. Ex quarum rerum portuarijs & vectigalibus publicum ditatur ærarium, & eorũ reſpublica per ciuium commercia indiès magìs augetur. Ad Syros autem & Aegyptios, vndè iſta ſibi, ocioſorum & lautorum opinione, precioſa conquirunt, argenti & æris maxima ipſi pondera important: quæ ex vtraque Pannonia & Germania, aromatum, lapillorum, ac medicamẽtorum permutatione, exhauriunt. De galeaceis iam ſatìs: de quibus, cùm eſſent mihi inter fluctus & tẽpeſtates futuræ per vetita tempora domus, examuſsìm me veſtigare oportuit. Scio minuta quæque vos ſemper voluiſſe intelligere: hac via vobis ſatisfactũ iri puto: de cæteris nihil mihi curę. Quonã verò modo ſuæ in ciuitatis gubernatu ſeſe habeãt Veneti, inſtituta Romanorũ interdùm imitantes, in pleriſq; fugiẽtes, nè per licentiam ſuorũ

ciuium

ciuium animi insolescant, dignum esset memoratu. Sed quoniam temporis breuitas pauca mihi de hisce rebus cognoscere permisit, in aliud narrationem hanc differre satiùs esse duxi. Operæprecium autem est & ferè miraculosum, quanuìs præterlabendo à fronte tantùm ista conspexerim, domorum adeò nouas structuras intra aquas, vias nauigabiles, cymbarum traducentiũ multitudinem, ornatum & commoditatem, cernere: plateas in mari multas & ingentes miro labore impensaq; lateribus cõstratas intueri: templa magnificẽtissima innumera, ditia, in modum arcium erecta atque oculos caligantia, circunspicere. Equidem sub sole visu mirabilius, hominum industria compactum, stare nihil existimo. Nec plura his, quia monebar vt sole primũ exoriente præstò essem, licuit vestigare. Sexto igitur Nonarum Octobris die mare asscensurus, ex his quædam ad vestras maiestates, nocte Calendarum vrgente, ab vrbe Venetiarum retroscripsi.

PETRI MARTYRIS
MEDIOLANEN. LEGATIONIS
Babylonicæ liber secundus.



QVALE mihi, catholici rex & regina, à vobis proficiscenti ex vrbe Granata iter acciderit, superuacaneum esset velle repetere. Scripsi enim ad vos quæcunq; ad eam vsq; horam, qua Venetijs discedere parabam, occurrerunt. Nunc cùm Alexandriam Aegyptiam ingressus, Soldanicum cogar mandatum expectare, sitq; velox quoddam Venetum

nauigium in Europam Venetias propediem rediturum, imperij vestri memor, calamũ sumpsi. Sexto Nonas Octobris, vti iam significaui, Polã Illyrici maris vrbem, in cuius portu galeaceæ reliquæ nostram opperiebantur, petiturus, mare conscendi. Polam, vix centum millia passuum distantem, ante diem sextum Iduum ipsius Octobris præhendere, propter aduersantes vẽtos, minimè potuimus. Ibiq; vnà cum cæteris omnibus qui nos expectauerant, flantibus ex aduerso nunc euris, nunc austris furentibus, interdùm etiam propter malacias, continuos egimus cum ingenti molestia septem dies ociosi. Quo tempore, à duobus theatris antiquis & vetustarum rerum plurium epitaphijs illustratarum vestigijs, nobilem fuisse vrbem Polam cognoui. Quapropter cùm in mentem venisset, splendidissimam vestram curiam iuuenibus ingenio pollẽtibus, & antiquitatum studiosis, esse omni tempore ornatam, non absonum mihi visum fuit, ex epitaphijs aliqua colligere: quorum pleraque vetustate collapsa, alia fragmẽtata iam sunt. De manibus etiam Polensium quædam extorsi, aliqua & prætermisi. Est de Polæ vrbis huius portis vna, quæ Ratta dicitur, vbì triumphalis extat arcus, qui hoc epitaphio inscriptus est:

Saluia Posthumia Sergi. de Sua Pecunia.

Eodem in loco.

C. Sergius, C. F. AED. ij. Vir. Quinq. L. Sergius L. F. Lepidus. AED. TR. MIL. LEG. XXXX.

Eodem in loco.

SAluia POsthumia SErgi.

Post altare S. Matthæi extra mœnia Polæ.

SEX. Palpelio, P. F. Vel Histro. LEG. TI. Claudij

Claudij CAES. Aug. PRocon.

Alio in loco.

Pr. Tr. PL. x. Vir. S. T. T. L. Iu. Dic. Tr. mil. LEG. xiiij. Germaniæ Comiti. TI. CAES. Augu. Dato Diuo. A Aug.

Alio in loco.

C. Prerius Felix Neapolitanus, Beneficij.

Apud Ecclesiam S. Germani.

I. O. M.

C. Iulius Chrysogonus Ex Voto Fecit.

In sacello Octauiani Augusti.

Romæ, & Aug. CAES. INui. F. PAT. PAT.

Aenigma in quodam tumulo.

Pater Cum Filia, Frater & Soror, Socer & Nurus. Hîc Tantùm Duo Iacent.

In quodam sepulcro.

Sergia FLA. Lusiana, Mihi & Q. Fla. Lusiano, Dulciss. Nepoti Ex Filio Coniugis. Q. Meo FRAtri. AMAntiss. Fui INtegra, Monumentum Constitui.

Eodem in loco.

Euticus, & Enoria Nata, H. Sedem S. V. P.

D. M.

A. Actius CA. Archiater, S. ET Iuliæ P. Coniugi Incomparabili, V. S. P.

Ibidèm.

TOciæ Nisidius Capito, Maritus Parui Tẽporis.

Ad sanctum Ioannem.

Marco Lurio Hialisso Patrono, & Luriæ LIB. ET M. Lurio Zosimo, M. Luri⁹ Zosimus LIB. F.

Apud sanctum Martinum.

Iuliæ Chrysanthidi, Ann. xxxj. Men. iij. D. xxxix. F. Lusidienus, Nestor, Aug. POL. CON. Incomparabili. Cum Qua Vixit Ann. xvj. Sine Vlla Querela. B. M.

In

In quodam ſepulcro.

D.M.

Papyria Prima, Viua Sibi Poſuit.

Apud ſanctum Vicum.

AVR. SOter, ET AVR. Stephanus, Aur. Soteriæ matri Pientiſſ. Religio. Iucife. metuenti.

Eodem in loco.

C. Baſilides EQ. R. ET AVR. Vibia, Vibianæ matronæ Parentes, FIL. Kariſſ. V.F.F.

In quodam monumento.

D.M.

Aure. Rufinæ, Alumnæ Pientiſſ. & INcomparabili, quæ vixit An: xxvij. M.x. d. II. Fide Cognita, Memor Obſequij Eius Aurelia Soteria PIET. Plena, P.

Iuxta amphitheatrum.

D.M.

Aurelio Timacho, Aſpaſia LIberta. V.F.

In quodam ſepulcro.

MAnilia Paula, De Patrimonio Suo Sibi & Aurelio Paulino, Compatri SVO Domũ Aeternam P.

In quodam horto apud ſanctum Stephanum.

Auidia Maximina, Domum Aeter. V.S.P. ſi quis Aliud Corpus Superpo. Det Fiſco ccc. mil.

Apud amphitheatrum.

Aur. Eripinus, Aur. Victoriæ. Compater Eius De Patrimonio Suo Domum Aeter. V.S.P.

In cathedrali eccleſia.

M. Baruius Soter, BAR. Aſclepidoræ Filiæ Pientiſsimæ.

In ſepulcro quodam.

Iulia Matrona, Aurelio AQuilino Comp. Cum

Quo

Quo Vixit ANN. xxij. Sine Vllla Querela, B.M.P.

Apud pratum magnum.

Donatius AVG. LIB. & Annia Primitiua, Hãc Sedem Fructum Laboris Sui, Viui Sibi Posuerunt.

Apud montem amphitheatri.

VIbiæ Athenai. DuL. HeRAcli. PA. SOCR. P.B.M.

In domo Iacobi fabri.

LOC. MON. IN. FR. P. XVI. IN AG. P. XX. H. M. HERES.

Sub campanile ædis Pontificiæ.

Imperatori CAES. Pio, Felici, Inuicto, AVG. RES. P. POL. DN. MER.

Eodem in loco à tergo.

MAX. TRIB. P. VI. CON. II. P. P. M. AVREL. MEnophilus. ORnatus IVDicio Eius Aequo. PVBL. Sacerdos. Tusculanus AEDIL. POLEN. Cum Menophilo Patre LIB. AVG. NN. EXPROcurat. Indulgentiss. L.D.D.D.

Iuxta ædem diui Matthæi in tabula marmorea.

C. HELVIVS Iulianus, IVLiæ FORtunatæ, CONIugi CAstiss. ET INCOMPARABILI, SPLENDIDISS. ORDO Aquileiensium.

Hæc dum ità conquirerẽ, venti iam tãdèm satìs placidi, nostroq; itineri non dissoni, sese nobis ostendunt. Ancoras igitur eruĩmus, portu egredimur. Quatuor galeaceæ, Berytum in Syriam ꝓfecturæ, discedunt à nobis. Inter quosdam nos scopulos in huius portûs faucibus eam noctem egimus. Altero die vela damus, sed infausto sidere:

Ingẽs exorta nauibus tempestas.

dere: Nam vix ad milliare trigesimum aberamus à portu, cùm adeò fera tempestas exorta est, vt magistri gubernatoresq́ue nauium, quid consilij caperẽt, penitùs ignorarẽt. Dum sic omnes mussitant, eccè vis venti maiorem galeaceæ, qua ego vehebar, antennã nõ longè à malo disrũpit. Vela à summo ad imum lacerat. Antennæ pars in mare à ventis deportatur. Galeaceam ferè secũ trahit. Et quidem, nisì celeres illi XII iuuenes, gagliardi comites appellati, parti velorum laceratæ fortiter innixi, eam summa vi adstrinxissent, nauim inuertisset. Intra galeaceam igitur illi lacertorum viribus & robore vela reducunt perdita. Ventorum fremitus furiosus augetur. Aliæ naues suum iter à ventis & ipsæ raptæ prosequuntur, nos deserunt: neque enim, etsì cuperent, laborantibus nobis opem ferre potuissent. Millia passuum circiter viginti retrò cedimus. In statione quadam sub scopulo, qui nos aliquantispèr ab vndarum incursu tutaretur, ancoras iacimus. Ibi dies egimus duos, duasq́ue teterrimas noctes, aut rudentum aut ancorarũ rupturam, vt intra scopulos, quibus proximi eramus, illideremur, in horas expectantes. Verebamur etiam, nè fluctuũ ictibus nauis aperiretur. Toto enim tempore nauis nostræ latera non aliter vndarum tumida rabie concussa tremebant, quàm ab hostibus quassata oppugnando tormẽtis hostiũ mœnia. Votis precibusq́ue singulis horis Deum sanctosq́ue omnes fatigabamus. In nostra galeacea quatuor peregrinos ad diuersas orbis partes mittendos vouimus. Plena metu omnia, omnia horrenda: sed secunda nox formidolosissima: sæuiebant ab alto rabidi fluctus, mugiebat à profundo pelagus: vndarum cumuli spondas interdùm superabant: modò

modò à puppi, à prora modò vexabamur. Tertia die tandèm quieuit hyems aliquantulùm, iterq́ nostrum Dalmatiam versùs capimus. Intra cuius prouinciæ scopulos quarta ab indè die reliquas galeaceas, quæ & ipsæ maiora passæ fuerant incommoda quàm nos, errantes assequimur. Quanuis afflicti, inuicèm tamen sublatis clamoribus sese è puppibus nautæ, ciues verò nutibus alacres salutant. Aduersantibus iterùm ventis Iaderam, quam appellant Veneti Zaram, Dalmaticam vrbem illustrem vnà omnes retrogradimur. Ibíque cùm descendissemus è nauibus, sua quisque pericula iactitabat: hic derelictas sibi, ruptis rudentibus, ancoras, ille spondarum munitiones attritas: alius remigium cum cadis remísque abrepta cõquerebatur. Sed præter cætera ex illis quatuor, quæ nos deseruërant, fracta maiori ancora, furibundus quidam vortex in aliarum conspectu vnam detorsit ab oculis omnium: illam semiabsorbẽdo, concutiendo, conuoluendo in horæ momento absportauit, cæteris tribus pari ferè modo laborantibus. Hi ablatos à se miseros socios, tanquàm iam voratos æquore, deflërunt. Intra vadosa enim Apuliæ littora, quibus ipsi tunc erant proximi, proiectos proculdubiò arbitrabantur. Sed minoribus ancoris statìm iactis, cum magna rudẽtum copia, præter omniũ opinionem, violentiæ illi restitit, & euasit incolumis. Expurgatis iam languore & metu fatigatis afflictorum pectoribus, vrbem perlustramus: vbì multis veterum monumentis illustratam Iaderam comperimus: ex quibus sculpta marmoribus hæc epitaphia annotaui: & multa prætereà, quæ non licuit colligere.

In vrbe Iadertina. In templo diui Donati.

Iunoni Augustæ Apuleia, M. FIL. Quinta, suo & L. Turpilij Brochij nomine.

Iuxta portam, qua itur in agrum.

IMP. Cæsar. F. Aug. Parens Coloniæ murum & turris dedit. L. Iulius Optatus, turris vetustate consumptas, impensa sua restituit.

In exteriore parte templi diui Chrysogoni.

Q. Delius Q. F. Fuscus. vj. vir. Augusta. F. sibi & suis. infr. P. xx. in ag. P. xx.

Ibì etiam beati Simeonis prophetæ corpus (vt Iadertini multis testimonijs probant) honorificè sepultum atque adhuc integrum salutaui. Admiratusque sum tanto tempore simplex, sine myrrha aut balsamo, cadauer, quod nullo medicamento fucatum est, potuisse incorruptũ seruari. Altero, vbì primùm eluxit, die, neque enim diutiùs Iaderæ morati sumus, iter nostrum, claudicando tamen, altum capere conantes prosequimur. Ea nocte ex transuerso nauigiolum quoddam, Gripus ab Adriaticis maritimis appellatus, nobis ex Apulia obuium efficitur. A cuius nautis, qui ferè latus vnius ex nostris galeaceis, inuiti tamen, abraserunt, accepimus, galeaceas Beryteas, quæ à nobis Pola Illyrica discesserât, in Apuliam tempestate abreptas transcurrisse, summaque pericula nec nostris inferiora fuisse perpessas. Dalmaticũ tandèm littus simul & Epiroticum, per ingentia discrimina & immensos labores aut latera semper aut proras ventis vertentes, præterlabimur. Cùm ex alto nos prope Dyrrachium, quam miseram vrbem nupèr Turcarum exercitus occupauerat, tempestas cõpulisset, per Butroti littus Corcyram insulam, Alcinoi & Phæaci patriam, appræhendimus. Neque intra diem tertiũ & trigesi-

gesimum, quod iter sæpè intra septimũ aut octa-
uum à discessu ab vrbe Venetiarum, hæ galeaceę
percurrere solebant, Corphu hanc insulam, nunc
ditioni Venetæ subiectam, appellant. Quam qui-
dem ex soli vbertate & citrorũ copia, amœnam
fuisse, velutì prædicatur, constat. Sed dignitatem
illam, quam ei antiquitas tribuit, Turcarum vi-
cinia & alienum imperium sustulerunt. In dete-
rius enim & in p̃ceps, cùm ad exteras manus de-
ueniunt, alta quæq; indiès collabũtur & corruũt.
Authoritas autem, ornatus & opulentia, imperij
sedem sectantur. In Corcyræ benè munito quidẽ
& duarum arciũ præsidio satìs tuto emporio bi-
duum, cùm omnia iam nobis alimenta deessent,
commorati sumus. Indè montes Ceraunios ver-
sùs, Cimeriacos ab incolis nostra tempestate nũ-
cupatos, qui à Corcyra distant passuum millia
sexaginta, nauigauimus. A quibus, cùm iam illis
proximi essemus, occurrens nobis à prora rabi-
dus auster, nos intra Corcyriacos in oppidi con-
spectu quosdam scopulos rugiens reiecit. Vbi
nos aduersi flatus dies vndecim interceptos deti-
nuerunt. Indè Corcyra iam tandèm per Cerau-
nia littora à tergo relicta, Cephaleniam, Vlyssis
quondàm insulam, in qua Same erat, paucis an-
tè diebus per vestrum & Venetorum exercitus à
Turcarũ potestate ereptã, præhendimus. Hæc in-
sula frumento, vino optimo, serico, murice, gre-
gibus atque armentis, ob ingentia pascua, alijsq;
humano victui necessarijs prouẽtibus abundans
est. Sed & ipsa nunc incursionibus infestata, ma-
lè culta & hominibus parùm frequens est. A ter-
go Sames Græciæ continentem versùs, iacet Du-
lichia sinúsque Laërtiacus: quem his etiam tem-
poribus Golphum Lartæ Veneti nominant. Post

triduum quo ſtetimus in ancoris in littore Samico, à ventis aduerſantibus detenti, diſcedimus: duosq́ illo die ſcopulos, quos dicunt Striuales, Vergilianas Strophadas, præterlabimur: Zacyntho inſula, quæ nunc Zanthus dicitur, à ſeptentrione viſa, quæ ſexaginta millia paſſuum ab inſula Same diſtat. Sed cùm à Zacyntho & Strophadibus iam circiter millia centũ nauigauiſſemus, maris ira coacti, Zacynthum regredimur. Ibiq́ intra portum qui dicitur Natte, ſemper fluctuantes, dies egimus in ancoris quatuor. Diſcedimus tandèm, & littus abradimus Arcadicũ, Peloponneſiacum´ve & Argiuum, loca omnia ob Turcarum incurſiones & crudelitatem, ſed nunc præcipuè, inculta, deſerta & miſerãda, cùm Venetorum vires, expugnata vrbe Modonenſi, habitoq́ in deditionem Corono Græco oppido his temporibus ditiſsimo, perfregerint. Sic nauigando beatæ Catharinæ die, quem, vtì non benè fauſtum, nautæ formidant, ſole ad occaſum vergente, in inſulam Cytheræam incidimus: in qua adhuc extant celeberrimi templi veſtigia. Vbì ſuperueniens ventorum nimbus cum tenebroſo ac violento pluuiarũ lapſu, nos ancoras iácere vix paſſus eſt. Sequens verò dies in puppim nobis vẽtos oſtẽdit: quarè eleuatis ancoris vltimo iam Peloponneſi angulo, quem nautæ Itali Caput, antiquo nomine Maleum vocant, à tergo, Aegeoq́ mari cum reliquis præterabraſis, Cycladibus inſulis à ſiniſtris relictis, altum capimus. Et hora circiter eius diei meridiana, fabuloſa Iouis quondàm inſula Creta à Cytheræa millia paulò minùs centum diſtans, nobis appáruit. Cuius emporium vrbem Candidam intramus Nonis Decembris. Quod iter à Corcyra intra diem octa-

uum hæ galeaceæ ſæpiùs peregerant. Ibiq́ꝫ quanuis ab omnibus pelagi minis portus ſit tutiſsimus, tredecim continuos dies incluſos aduerſi nos venti, nè egrederemur, detinuerunt. Intereà loci de inſulæ rebus hæc pauca notaui. Ex inſulę viridarijs roſarum & violarum manipuli, natiuæ ambroſiæ alligati, cæli benignitatem teſtãtes, ad me quotidiè ferebantur. Vrbs autem Candida ad Orientem ſub Idæis montibus poſita, vicinum ſibi habet alium à meridie montem altiſſimum, qui noſtra etiam tempeſtate mons, Iupiter ab incolis appellatur. De Minoio verò Labyrintho, de quo poëtæ tam multa fabulantur, examuſsim percontatus, extare illum reperi, eſſeq́ꝫ ſubterraneum ſpecum cauatam intra montẽ: quinque & viginti paſſuum millibus in internis inſulæ ab vrbe Candida diſtantem. Sed maiori ex parte vetuſtate collapſam, pluribusq́ꝫ in locis dirutam aſſerunt. Ex induſtria etiam plures aditus clauſos: & lege cautum, aiunt, nè quis introëat, niſi illum ſenex aliquis indigena, qui meatus illos benè cognitos habeat, accenſa face, introduxerit. At tamen quid aliud ſit præter ſpeluncam, quis illum ſtruxerit, quòd ibi ex Paſiphaë natus Minotaurus fuerit, & manu Theſei interierit, minimè ſciunt. Natos autem apud ipſos Saturnum, Iouem, reliquos've ſimplicis ac fabuloſæ antiquitatis tyrannos, ignorant. Neq́ꝫ enim eſt quiſquã in tota inſula qui literas didicerit: aut quicquam ſcire aliud curet, prætерquàm de vineis aut gregibus & armentis: ex quibus vini & caſei copiam exhauriunt immenſam: quorum prouentuum permutatione, cætera ſibi iucunda aut neceſſaria comparant. Syluas Cretenſes habere cupreſsinas ità peculiares, vt domorum omnium

De Labyrintho.

trabes, cõtignationes, tabulatáque omnia ex illis arboribus, atque etiam naues construant, quodq; apud eos cupressi incisæ renascantur, mihi Cretenses affirmârunt. Noxium pręterea veneno aut rapax animal, vtputà lupũ, aut vrsum, siue vulpem, vel huiuscemodi aliud vllum (quanuis in lacunis colubrę procreentur) insulã peperisse nunquàm prædicant. His paucis de insula Creta iuxta doctorum scripta collectis, Candidæ portum sextodecimo Calend. Ianuarij iam tandèm egredimur. Rhodoq; casu ac Carpatho reliquisve multis insulis adiacẽtibus à sinistra relictis, Alexandriam Aegyptiam versùs, quæ Cretæ australis est, proras dirigimus. Quem maris tractũ quadringentorum millium passuum dimetiũtur. Id non paucioribus quàm sex diebus peragrare per tempestates licuit: è prora enim interdùm, à lateribus plerunquè, nos fatigabant. Sed eo præcipuè die quo Alexandriam attigimus, nos tumidissima procellarum rabies comitabatur. Contra Alexandrinorum omnium opinionem, plenis tectis ac pinnis nostri accessũs exitum expectantium sole ad occasum vergente, decimo Calend. Ianuarij, portũ appræhẽdimus. Multa ibì eo die rara nauigantibus, ex veterum nautarum sermonibus, acciderunt. Vndarum cumuli, qui sese nobis interdùm eleuabãt medij, socios à nostris, & nos à sociorum oculis surripiebãt: immò & plerunquè non modò naues, sed & nauiũ mâlos penitùs abscondebant. Salientium vndarum spondas percutientium adeò magna moles interdùm erigebatur, vt semel atque iterùm ad aliam galeaceæ partem, tanquàm densa nubes, in mare caderet. Pedibus insistere vix quisquam poterat. Vidi ego prætereà ac dimensus sum, fluctibus

In Creta nullũ animal noxium.

egre-

egredientibus, sinistram nostræ galeaceæ spondã duos & semis cubitos sub aqua interdùm delituisse. Dextra enim ab Occidente venti furebant. Sed eius nauigij ità benè formata est & compacta contextura, vt quà ipsamet vnda ingreditur, eádem regrediatur. Et si tota sub aquis ipsa nauis summergeretur, velutì anguilla aut agiles delphini, eádem vi vndarũ impulsa qua obruitur, emergit. Nocte igitur superueniente, in captato Alexandrino portu nouo septentrionali (alium enim habent antiquum tutiorem, quem nemini Christiano videre fas est, occidentalem) ancoras summa cum lætitia demittimus: alacriq́; animo ab Aegyptijs propter varias non minùs gratas quàm vtiles, quas ad eos merces importãt, sed auri, argenti atque æris præcipuè, galeaceæ recipiuntur. Ego verò, habita descendendi è nauibus ab Alexandrino prorege venia, (neque enim aliter captare terram fas est cuiquam) à Barchinonensi quodam Philippo de Paredes, Hispanorũ & Gallorum in ea prouincia consule iudiciario, hospitio suscipior. Tabellariumq́; celerem, vbì sum ingressus Alexandriam, ad Soldanum de aduentu meo significatum, Cairum, quæ est Babylon nunc Aegypti, Idumææ & Syriæ regiam sedem, mitto. Mos enim est, vt edictum priùs Soldanicum, quicunque eas oras attingat, expecter, quàm ad eũ iter capere ausit. Intereà igitur dum edictum opperior regium, tertium esse Alexandriam à Meroë iter, climata considerans, quid à nobis distet Alexandria, animaduertebam. Hyematum Alexandriam hirundines, miluos, quos regales in Hispania appellatis, cæterásque volucres, pontum, hyeme adueniente, à nostris regionibus Europæis transuolantes, tendere cognoui.

Vbi hirũdines aliæq́; id genus volucres hyement.

ui. Floridas & habebãt arbores ac viridaria Decembri & Ianuario mensibus. In sextum ab ingressu meo diem, impatiens ocij, Alexandriam perambulaui. Pròh dolor, illustrem, maximam, habitatoribus refertissimam, pulcherrimã, opulentissimamq́ quondàm Ptolemæorum sedem Alexandriam, collapsam, dirutã, maiori ex parte desertã miserando spectaculo, deploraui. Heu infelicem, quæ & quanta mœnia, quales & quàm amplæ eius vrbis stratæ viæ, quàm conspicuæ domorum frontes ad cælum tendentes, qui portarum fornices. Sed in cinerem versa dõmorum interna omnia prætereuntes cõspiciebamus. Vndè hęc tam lachrymosa ruina emanârit, varię mihi sunt rationes adductæ. Alij pestiferæ contagioni rem asscribebant, alij bellis ac ciuium seditionibus attribuebant. Sed regum sæuitiam, post transportatam trans Nilum imperij sedem, & alienigenarum tyrannidem truculentam, potissimam eius depopulationis causam fuisse nonnulli arbitrantur. Quotquot enim Soldani creantur, Alexandrinos incolas (quum sit Alexandria, excepta Damasco, regnorum omnium Soldanicorum emporium & negociorum sentina) expilant, & tanquàm mercenarias oues pro libito excoriant. Neque abest quin à plerisque per cruciatus & tormenta, delatorum susurris admoniti, pecunias extorquere soleant: nulla alia ratione media, præterquàm, Volumus pecunias. Quapropter quicũque mercatores, aut alteriusmodi incolæ diuites, eas inhabitant prouincias, die noctuq́ suam perniciem ob diuitias quas possidere creduntur expectantes, tremunt, curisq́ ingentibus confecti, vitam degunt infelicem. Inde est, quòd hac tempestate tenuia sint commercia,
nul-

nullæq́ gemmæ vel paucæ reperiantur: pauperes enim se esse mercatores omnes simulant, & parcè viuunt ac vestiuntur: omnia parciùs solito, nè in suspicionem incidant. De his iam satìs: ad nos redeamus. Dum igitur edictum regium, quo me accersat, solicitus opperirer: nullam esse Soldano curam, non modò de edicto ad me mittendo, verumetiam esse iratum, aduentúmque meum ægrè tulisse, renunciatũ est. Veritus nanq́ est defectionem. Sed iræ causam indè nactus est, veram dissimulans, quòd paucis comitantibus me adire, nulláque dona ad illum afferre, Iudæi, Mauri, hæreticíque à vestris regnis eliminati, quorum non parua copia ad eas regiones confluxerat, malo animo retulissent. Dedignãtur enim, & se barbari illi negligi & floccifieri arbitrantur, si audeat vlla potẽtia oratores ad eos sine opimis muneribus destinare. Opprobrioq́ & ludibrio fieri ducunt, nisì missus orator longo ordine comitum accesserit. Quibus intellectis, tum beneuolentiæ captatione, tum perfricata fronte opùs esse animaduerti: cùm superbissimum & summè barbarum hoc genus hominum esse perpenderim: quapropter duos illos Franciscos fratres barbatos, quos viæ comites mecum habebam, qui meo suóque nomine Soldano talia dicta referant, properanter mitto: O summe Mahomethæorum imperator, catholicorum regis & reginæ Hispaniarum oratori, qui iam intra tuæ ditionis limites terram tenet, relatum fuit, obtrectatores scelestósque ac nefarios homines, tum mendosis, tum dolosis animum tuum delationibus perturbâsse: teq́, quòd nulla ad te munera attulerit, quod've paucis comitãtibus ad te venire arbitreris, iratũ esse, aduentumq́ ipsius te par-

Reges Barbaros sine muneribus lõgoq́ comitum ordine, accedere oratoribus non licet.

paruifacere, præſciuit. Sed ſi vtriuſque rei ſereno vultu & pacatis auribus rationem admiſeris, fore vt tibi ſatisfiat ad vnguē, exiſtimamus. Regius hic orator, potentiſsime rex, dona, vti alios oratores conſueſcere prædicatur, ſe non modò tanto principe digna, ſed nec vlla quidem vel minima tuliſſe, fatetur: quoniam à ſuorum regū moribus cuiquam regi dona mittere alienū eſſe perhibet. Quod vos honorificum eſſe ducitis, id inter occidentales principes pro iniuria habetur. Attamen ſi veſtros mores, veteremq́ hanc apud vos conſuetudinem tantoperè viguiſſe cognouiſſent, quòd nullus ſcilicet orator vos adeat ſine muneribus, libenti & ipſi animo opima ad te dona illi dediſſent: cùm vos in amoris argumentū, non autem arrogantiæ vel auaritiæ cauſa, id cupere videamini. Quòd autem perfida gens hæc, pacis & concordiæ regum inimica, ſeditionis & diſcordiæ ſeminarium, à catholicis ſuis regibus, velutì pernicioſa contagio, eiecta, ipſum non decenter comitatum ad te tātum imperatorem veniſſe retulerit: inuidiosè ac falsò delatū, inquit: & nos, qui mortem potiùs ſubire quàm mentiri in tenui præſertim negocio ſumus edocti, itidèm fatemur. Vidimus enim, vidimus ipſum triginta viris ornatiſsimis, præter eos quos itineris longitudine valetudinarios defatigatos in diuerſis reliquit regionibus, comitatum incedere. Mittito igitur, ſereniſsime, mittito, eumq́ accerſiri iubeto: & ſi aures dictis eius faciles pſtiteris, haud quidem te poſteà illū admiſiſſe audiuiſſeq́ pœnitebit. His itaq́ Soldano per meos nuncios relatis, ipſius Trucimano primario auidè referente, quē veſtris maieſtatibus deditum eſſe comperi, Soldanus benè perſuaſus, ad me, procùl habita omni mo-

mora, edicti regij chirographum mittit, quo me tutò ad se proficisci posse, ne've quis mihi sit impedimento, imperat: cum duobus, qui me ad se comitentur, de suis palatinis equitibus. Quarè octauo Calend. Februarij, regium mihi per hos equites chirographum porrigitur. Nec me nunciorum meorum literæ perterruerunt: quibus mihi significârât, Mauritaniç, totiusq; Africæ regum oratores, eiectorum Granatensium rogatu, ad Soldanum missos fuisse cum vehementibus querelis. Durum nanq; mihi in agone certamen paratum, & multiplicibus Alexandrinorum sermonibus, & eorum qui à Soldano veniebât, perferebatur. Soldanum enim, vt me inspectante de Christianis grandis aliqua vindicta sumeretur, impellere nitebantur: meq; vestro nomine cùm primùm adijssem, malè tractaret, non leuiter instabant, sese supremis iniurijs & contumelijs fuisse à vobis affectos, proclamantes. Ego verò, qui vos fortunatissimos semper fuisse cognoui, pro quibus etiam mori est viuere: vestro fato omnia mihi benè successura confidens, contra Nili torrentem adnauigaturus, quamcelerrimè possum accingor. Quæ succedent, si vixero, in tertium librum concludentur. Valete intereà duo hac nostra tempestate lumina orbis terrarũ, & Christiani nominis propagatores.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. LEGATIO-nis *Babylonicæ, liber tertius.*



EX vrbe Alexandria, Aegypti reliquarumq; regionũ Soldanicæ ditioni ſubditarum emporio primario, catholici rex & regina, cùm iam iter in interna prouinciæ ad Soldanum facturus eſſem, quæ mihi ab vrbe Venetiarum diſcedẽti ad eum vſq; diem calamo digna viſa fuerant, breui compendio exaraui. Nunc autem, quæ à ſeptimo Calend. Februarij die, quo ad Soldanum accerſitus pedem moui, ſeſe mihi obtulerunt, quàm breuiùs quamve dilucidiùs potero, proſequi ſtudebo. Septimo Calend. Februarij hora antelucana Cairum, eius imperij caput, quæ aliâs Babylon eſt, ab incolis alterius Euphrateæ Babylonis quondàm habitata, profecturus, diſcedo Alexandria, Hiſpanis negociatoribus omnibus, quotquot commerciorum cauſa Alexandriam conueniſſe reperi, comitatus. Hos enim mecum adducere curaui, vt eum cateruæ numerum implerem, quem mei nuncij, ad Soldani animum diſponendum per me miſsi, adduxiſſe me Soldano retulerunt. Roxetum, quondàm Canopum, Nili oſtium, ab Alexandria circiter quadraginta millia paſſuum diſtans (per iter arenoſum, incultum, deſertum, in quo neq; domicilium vllum neque arborem, præter alicubì palmas, vllam reperimus) altero die feſsi venimus. Dum Niliaca nobis nauigia parantur, alimentaq; neceſſaria coẽmuntur, circiter inte-

grum

grum diem commorati, Nilum ingredimur. Neque enim Christiano cuiquam, propter Arabum grassationes & rapinas, terrestre iter patet. Hi nanque non modò Aegyptum, sed Africam vniuersam ab oceano Atlantico ad Niliacas ripas Asiæq; partem continuis incursionibus infestant. De quibus cùm satis ocij mihi suppetat, non ineptam fore digressionem existimans, pleraque aggressus sum disserere. Gens hæc est innumera, vaga, sine domibus, sine statione, sine quiete vlla, sub dio semper versans, semper in motu: camelorum dorsis vxores, filios, & quicquid supellectilis assequitur, portans: adusta solis ardoribus: bellicosa tamen, sed sine certo imperatore. Plures habent dispersi Arabes inter se duces, sed discordes & factiosos. Hinc est, quòd imperio ipsi, qui liberi sunt, non potiantur, cùm sibi inuicèm capitali semper odio insidientur. Imperatorem, cui obtemperare studerent, si Arabes inter sese eligerēt, de seruorum manibus sceptrum facilè abriperetur. Est enim errantium Arabum multitudo ingēs: Mameluchi verò, id est, serui regij, quorum opera Soldani ad regni gubernaculū & bellorum summam vtuntur, numerum non excedunt X millium. Sunt præterea Arabes, omnium incolarum & eorundem Mameluchorū sententia, nobiles & industrij: Mameluchi autem maiori ex parte ignobiles, montani, à piratis è montibus vtplurimùm Scythicis supra Euxinū & Mæotidem raptati, emptiq; à Soldanis & eorum principibus: vndè serui, de quibus latiùs infrà dicemus. Nunc autem ad iter redeamus. Contra Nili fluenta pridiè Calend. Februarij Bullacum Cairi suburbium cùm aduesperasceret adnauigantes præhendimus: ibíque in naui

Arabum vagantiū vita.

per-

pernoctauimus: neq; enim ausi sunt duo illi comites mihi ad ductores dati palatini, me credere barbarorum perfidiæ. Attamen ex ipsis vnus ad Soldanum celeriter procurrit, me Bullacum aduenisse nunciatũ. Quapropter cùm primùm eluxit, eccè Mameluchis reliquisq; indigenis implentur visendi studio littora Niliaca: raro enim ad ipsos nostratium aut diuerso habitu quisquã admittitur: præter paucos aliquando mercatores. Sed prior accedit Trucimanus, in nauimq; ad me descendit, & quisnam, cuias, quóve fato huc sit appulsus, ad eumq; deindè statum peruenerit, petenti mihi, enarrat. Se esse Valentini cuiusdam ciuis Ludouici Pratensis nomine, filium: in oppidoq;, ipsi vestræ Valentiæ finitimo, Monblanco natum prædicabat. Tempestate autem, cùm adolescentulus per ea maria patroni cuiusdam nautici famulus nauigaret, in littus cũ cæteris omnibus, qui ea naui vehebãtur, naufragio proiectũ, ad Soldani manus, ex eius prouinciæ statutis, deuenisse. Quotquot enim per ea littora naues franguntur, ex veteri eorum instituto & consuetudine, ad fiscum cum hominibus bonisq; omnibus deuoluuntur: si præsertim piratica vel alteriusmodi, non mercatoria, nauis esse reperiatur. Sed triennali tandèm carcere durisq; vinculis & vrgenti inedia se defatigatum, Christum verbo abnegâsse, Mahometicoq; more se dispræputiari passum fuisse, & mutâsse nomen, Tangaribardinumq; vocari, grauiter suspirãdo, fatebatur. Nec abesse tamen quin catholicam fidem animo seruaret, Christumq; supplex ijs quibus solebat orationibus quotidiè coleret & adoraret. Ad eum autem inter eos barbaros splendorem sua industria & laboribus ascendisse, dicebat. De optimatibus enim

enim Soldanicis vnus eſt, cum redditibus ſeptem aut octo millium auri drachmarũ. Dum hæc mecum Trucimanus Tangaribardinus colloqueretur, primates alij duo palatini, Trucimano potentiores, ordineq́ꝫ ſuperiores aduentant. Sunt enim apud eos tres optimatũ gradus, velutì apud nos, quos vulgò dicimus comites, marchiones, duces. Tunc è naui, Trucimano duce, ad illos egredior, equumq́ꝫ regium, quem ipſimet ſecum, Soldani nomine mihi donandum, regio apparatu ornatũ duxerãt, aſſcendo: vrbem versùs iter vnà omnes capimus: nec breuiore quàm duarum horarum ſpatio interiecto Trucimani domum, quæ mihi intra vrbis mœnia hoſpitio fuerat obſignata, attigimus. Attamen per hortos, & interſparſa prædia ac viridaria, non autem per contiguas ſemper domos, proficiſcebamur. In Calendis igitur Februarij anni quingenteſimi ſecundi Babyloniam Aegyptiam, à qua magnus hic barbarorum imperator Soldanus Babylonicus vulgò appellatur, à iunioribus autem Cairum nuncupatam, vrbium populoſiſsimam ingredior. Falsò pleriq́ꝫ vrbem hanc Carras appellant: quia Carrarum vrbs eſt in Arabia: in Aſſyria verò altera: in Aegypto nulla. Ibì cæteris omnibus, qui me fuerant comitati, domùm dimiſsis, cum Trucimano quãto ſtudio poſſum ago, vt det operam & incumbat totis viribus, nè meus ad Soldanum acceſſus differatur. Nam ſi fortefortuna galeaceæ, quæ me aduexerant, negociationibus ſuis peractis, ſine me reuerterentur, fore vt ſerò poſtmodùm cõmoda mihi renauigatio ſeſe offerret: cùm neq́ꝫ prȩſtò ſint alia tuta in illis littoribus in Europam reditura nauigia: & Turcarum piratis ſint maria referta. Trucimanus autem, cuius eſt, emergentia cuncta Sol-

dano

dano referre, obsequij vestri cupidus, paucis repetitis, ad Soldanum equitat: illi, quid petierim, referat: vt quamprimùm sibi per ocium liceat, nos audire velit, meo nomine, rogat: qui ve, quales & quanti sitis, patrio affectu longis sermonibus aperit. Annuit dictis Soldanus, tantorum regum oratorem visendi studio incẽsus: vt me, vbi crastina dies effulserit, ad se ducat, Tangaribardino imperat. Is domum lætus reuertitur: quę acta sunt, enarrat. Postero die, qui erat Nonarum Februarij quartus, primo manè (antę ortum nanque solis, aut, cùm tardius, iam exorto, Soldani ex veteri consuetudine semper audituri prodeũt in publicum) ad regiam proficiscimur. Hæc est haud secùs super edito colle oblõgo ad latus vrbis erecta, quàm Romæ sacrum summi nostri Pontificis palatium: aut propiore simulacro, vestrę Granatẽsis Alhambræ de Maurorũ manibus cum regno simul ereptæ persimilis. Vbi enim paulùm asscendimus, in læuam conuersi, portæ occurrimus, altis ac immẽsis turribus munitæ: in cuius vestibulo, velutì in vestræ Alhambræ ingressu, è regione podium extat eminens aliquãtispèr. Ibì primùm ex optimatibus quendã, cui erat arcis eius custodia, multis Mameluchis circunstipatum, sedentem inuenimus. Dextrorsùm deinde nobis iter capientibus, longa sese via, stantibus vndiquè referta Mameluchis, ostendit: per quos medios cùm progrederemur, eius adeò barbarè enutritæ multitudinis ordinem ac taciturnitatem admiratus sum. Neque enim eorum quisquam obstrepuit, aut loco cesẽit vnquàm, vt nos vlteriùs, vtì in similibus fit spectaculis, auidioribus oculis intuerentur. Ità procedentibus nullum vnquàm sese nobis obtulit impedimẽtum. In eo ferè medio spatio

In quali arce quibusq; custodibus habitet Soldanus.

ſpatio ſenes circiter triginta, imberbes, macilentos, in quibuſdam foribus veluti poſticis ſedentes conſpiciens, eunuchos eſſe Soldanicos, vxorũ eius & pellicum cuſtodes, didici. Soldanum tandèm in impluuio grãdi ſuper tribunali quatuor graduum, reductis ſub ſe, noſtrarum fœminarũ more, loco ſedis pedibus, ſedentem inuenimus. Totius enim gentis eius Mahometicæ mos eſt eo pacto ſedere, ac ſolo veluti animalia bruta capite inclinato veſci, atque ſub dio ad ſe venientes audire. Soldanus tum ſui Trucimani & meorum nunciorum verbis, tum aliorum per eius regiones commercia tractantium relatu, quanta ſit veſtra potentia, quàm magnus in vobis animus, quàm pollentes ſitis virtute bellica, edoctus: gloriæ ac ſaluti ſuæ conducere non mediocriter à tantis regibus oratorem ad ſe mitti, cognouit: in ea præſertim fragilitate in qua ipſe, vt infrà dicemus, verſabatur. Propterea vt ego intra tapetes à media versùs eum impluuij parte ſtratos, contra morem ſuorum maiorum, admitterer: neq; ego quater proſtratus terram, veſtro nomine, vti cæteri ſolent oratores, oſcularer, æquo animo paſſus eſt. Eſt enim horum barbarorũ, catholici reges, arrogantia tanta, vt, quoniã inuitis omnibus Chriſticolis, noſtrę religionis initialem locũ poſſideant, ipſos adorare, quicunq; adeant Chriſtiani, cogantur. Tangaribardino igitur, cuius eſt ad Soldanum oratores ducere, eorumq́; poſtulata interpretari, referẽte, veſtro nomine Soldano ſalutem impartior: Is gratiſsimũ ſibi fuiſſe noſtrũ aduentum reſpondet: ſeq́; ſuaq́; omnia læto vultu offert. Porrectisq́; illi veſtris literis, & per Trucimanum, qui optimè adhuc idioma patriũ callet, apertis, iterùm à Soldano ad me cum nouis redit

Mahometicæ gẽtis ſedendi mos.

redit oblationibus. Atque iterùm ego gratiarum-actiones, veſtro nomine, quòd me ità pacato animo & ſerena frõte ſuſcipiat, remitto. Quid aliud quàm mea dicta illi Tangaribardinus referret, propter loci diſtantiam percipere non poteram: à Soldano enim paſſus, meo iudicio, circiter viginti diſtabam. Sed nimirùm, cùm patrio adhuc amore feruens, & veſtri obſequij cupidus, ad beneuolum nobis reddendum Soldanum, alia quæ eius auribus benè ſonabant, meis dictis interijciebat. Id ego, quòd illius ſermonibus attentiſsimũ alacrioremq; paulatìm fieri Soldanum cõſpiciebam, ſuſpicatus ſum. Tertiò, atq; iterùm citus ad me reuertitur: vt bono hilariq; animo ſim: vt ſi qua mihi intra Soldanicæ ditionis terminos grata fuerint, petam à Soldano, reportat. Illi ego, nè iſta incaſsùm geſta ſint, ne've iſta vnquàm tam inuſitata apud ipſos humanitas in quenquam, de veſtra memoria prôlabatur, me daturum operã polliceor. Ità ſalutationibus gratiarũ've actionibus & pollicitis vtrinquè multiplicatis, tẽporis aliquantulum triuimus: nec aliud quicquam hoc primo cõuentu peractum eſt. Negocia enim in diem Dominicum ſequentem remittũtur. Soldanũ intereà, dum Tangaribardinus illum meò nomine alloqueretur, ego autẽ ocioſus, quid relaturus eſſet, expectarem, diligenter inſpexi. Is eſt vir natus annos circiter quinq; & quinquaginta, patrio more barbatus, nec dẽſa tamen aut oblonga nimiùm barba: vultu iucundo, facie pingui ſuffuſcula, adſpectu ferox aliquantulùm, oculis reductis, paruis, graui motu, ſtatura, vtì à ſedẽte colligere potui, pluſquàm mediocri. Oriundus autem è Scythia, ex montibus quos vulgò Ciarcheſos vocant. Indè nanque, & ex Ruxiæ regionibus

Soldani deſcriptio.

bus pars maior Mameluchorum rapta, per Soldanica regna venum ducitur. Indumentum verò ipsius eo die, ex glauco serico, raso, forma communi. Neque enim varias habent superiorum vestium concisuras, præterquàm in manicis, quas optimates curtas & breues ferunt: cæteri autem vsq; ad digitorum extremum productas. Est nimirùm superior illorum vestis, paruo discrimine ab ijs quas vestri Granatenses Algiubbas vocant, Hispani autem marlotas. Mameluchorũ talares omnes, quas solo cingulo leuiter stringunt, de cætero discincti. Neque enim illis vestes interiores corpus aliter premũt, quàm illa superior. Neque caligis vtuntur, sed nudis pedibus, crepidas tantùm, nostrorum Franciscanorũ more, gestant. Capitis autem velamina valdè diuersa. Per ea nanq; non modò Iudæi & Christicolę Soldano subditi, qui vestium eadem genera ferunt, à populis Mahometicæ legis, & à Mameluchis, sed simplicium Mameluchorum ab optimatibus, & optimatum inter se, discrimen cernitur. Mahomethæus populus velamen fert, multis gyris lineis, quemadmodùm & Iudæus & Christicola, insinuatum. Sed Christicola glauco, Iudæus croceo, Mahomethæus albido, coloribus discernuntur. Mameluchi qui Soldanici sunt ministri, pileum ferunt laneum aut cymatilẽ, spithama altiorem, valdè ponderosum, durum, duobus consutum coloribus, viridi ab imo, à superiore nigro. Cæteri autem qui aut sunt aliorum principũ, aut Soldanico tantùm stipendio censiti, nec aliter ministri, galero rubro, villoso, cubitali, diademato quasi, à lateribus plano, dignoscuntur. Principũ verò duorum ordinum inferiorum velamen lineum est, sed à velamento populi valdè dispar.

Vestes.

Velaminũ capitis varietas.

Populus enim suum simpliciter in rotundũ implicat, & conuoluit: isti autem arte compactũ & mirè compressum, in aliamq́ formam in diadematis modum constructum, ferunt. Summi ordinis ipsorum, à quo Soldani, velutì ex nostris Cardinalibus summi põtifices creantur, capitale tegumentum dissonũ est, & maximè ridiculũ. Ex linea & ipsum tela tenui, sed rhinocerotici opus cumuli. Ex sexaginta nanque & interdùm septuaginta vlnis, in circunflexiones varias, in gyros diuersos, in cornua demùm desinens, confectũ est. A sede velaminis quę infigitur capiti, cornua sex, quorum quatuor nõ longiora spithama, sed magno lacerto crasſiora, prodeunt: duo verò alia, velutì adiacentia scopulis promontoria, de medio breuium quatuor, cubitalia ferè, in cochleæ cornuum similitudinem, surgunt. Nec, mediusfidiùs, aliundè sibi hos barbaros, quàm à vernali cochlea, ea subsannatoria cornua sumpsisse arbitrari possum. Rem nanque alteri cuiquam similiorem conspexisse me nunquàm puto. Idem habebat Soldanus eo publici spectaculi die cornutũ capitis tegumentũ. Neq; enim postq̃ supremum gradum asscẽdit, dissonum ab optimatũ ornatu, de quorũ ordine creatus est, habitum sumit. Cur tanti ponderis, tanti've impedimenti struem sibi inijcerẽt, qua impliciti vertere vix caput immoto corpore valẽt, à Tagaribardino priùs sciscitatus fueram. Is duas mihi rationes adduxit: nè scilicet leuiter caput mouẽdo à virili grauitate fœdo aut stulto gestu aliquo discedere posſint. Ne've, illi oneri assueti, galeã postmodùm quandò bellum ingruat, ferre fastidiant. His ità actis & cõsideratis, à Soldano dimittor: à quo cùm domùm rediturus iam terga verterẽ, id spatij quod à Sol-

Cur tam grauia onera imponant capiti.

à Soldani conſpectu ad primum arcis ingreſſum iacet, vtrinquè ſtantibus Mameluchis circunuallatũ, vt paſsibus metirẽtur, nec minùs vt adſtantium Mameluchorum copiã dinumerarent, hos, qui me ſequebantur, iuſsi. Mameluchorum numerum circiter quatuor millium affuiſſe: paſſuum autem circiter octingentorum ſpatium interceſsiſſe, comperi. Neutrũ tamen examuſsìm quiſquam circunſpiciendi ſtudio dinumerauit. Cùm autem à Soldano duas iam cuſtodias regredientes tranſegiſſemus, quorundam hominum diuerſo aliquantiſpèr habitu ab Aegyptijs cuneo efficimur obuij: qui poſtquàm in me toruis oculis, rugoſa fronte, furibundo ſupercilio, rabida maledicta ſubmurmurando detorſerunt: Trucimano quędã Arabico idiomate Mauritano ſublocuti ſunt. Quibus Trucimanus parumpèr minitans, vt tacerent, innuiſſe viſus eſt. Inter eundũ, quinàm eſſent, quid´ve quæritarẽt, quàm ſoliciti, & cur ità angerentur, mihi Tangaribardinus aperuit. Oratores eſſe illos Numidas & Mauritanos, de quibus in calce libri ſecundi mentionem fecimus, ſignificauit. Qui quoniam non modò in me cæteros´ve Chriſticolas Soldanum non ſæuîſſe ſenſiſſent, verumetiã honorificè ab eo fuiſſe ſuſceptum didiciſſent, animo cruciabantur, & mentis turbulentiam pallore vultûs oſtendebãt. Hi permanent in foribus mœſti: nos domũ reuertimur. Intereà loci, dum negocijs pertractãdis aſſignatus mihi dies aduẽtet, nè tempus vllum fruſtrà mihi de manibus, vt vulgò dicitur, euadat, de regionis natura, de incolarũ moribus, de ſeruorum imperio, cæteris´ve rebus, quæ memoratu mihi digna viſa ſunt, ꝓ tẽpore ſcrutatus ſum. Quarè neq; abſonũ mihi videbitur, ſi eorum, quę

collegerim, pleraque breuibus enarrauero. Prouincia est Aegyptus, satis amplè lateq; à Cosmographis & historicis depicta. Vrbem autem, prouinciæ nostra tempestate caput, Cairum incolæ appellant. Hæc est in Asia trans Nilum: Alexandria verò citra, propterea in Africa. Nilus enim, serenissimi principes, Asiam dirimit ab Africa. Vrbs ea primaria populosissima, ingens: de cætero prouincia ciuitatibus aut oppidis infrequens: cùm sit, præter eas quæ inundāti æstate Nilo partes irrigantur, arenosa, Arabumq; cōtinuis incursionibus infestata: pręcipuè tamen ob seruorum sæuam tyrannidem oppressa. De quorum initio moribusq;, priusquàm ad alia progrediar, pauca pertingam. Vndè ad seruorū manus tam magnæ molis imperiū venerit, qui Aegypto, Syriæ, Arabiæ vtriq;, ac Idumææ vniuersæ dominantur, varia referunt: certam verò historiā minimè se habere dicunt. Aegyptias fœminas in maritos, deficientibus liberis, ad imperij gubernaculum sibi tunc seruos suffecisse, quandò proceres omnes Iudaicum populum, Moyse duce, fugientem insequentes, cum suo Pharaone mare rubrum absorbuisset, plerią; autumant: neq; id publicè recitare hæsitāt. Sed longæ ambages. Aegyptios alij sua sponte, vt se accepti à Ioseph Iacobita beneficij, qui Pharaonis seruus Aegyptum vniuersam fame peribundā vaticinio liberâsset, gratos ostēderent, ad seruos imperium detulisse, prędicant. Sed priore fabula, meo iudicio, fabulosius. Qui verò præsentium ratione moti, de ignotis iudicium faciunt, verisimiliùs rem differunt. Seruos quondàm, sumptis in dominos armis, imperium sibi, præsentis cuiusdam exempli argumēto edocti, occupâsse cōiectantur. Caitbeio nanque Soldano

dano viuente, qui felicissimo ductu tres & triginta annos sceptro potitus est, Mameluchorum seruos, Aethiope quodã duce, trans Nilum à dominis armatos secessisse, multorum memoria prodebatur. Est enim subseruorum ingens multitudo, cùm nullus sit Mameluchus, qui domì nõ habeat duos aut plures, pro cuiusq; gradu ministerio addictos, Indos, aut Aethiopes famulos precio emptos. Horum defectioni, magno exercitu cõparato, Caitbeius ipse occurrit, seruilem'q; impetũ armis oppressit. Aliter enim de ipso & Mameluchis omnibus actum ea tempestate fuisset. Prudentiores igitur, interemptis quondã dominis, imperium seruos vsurpâsse pro certo habẽt, cùm nullus fuerit vnq̃ hoc Caitbeio potentior, ausi'q; fuerint sub eius imperio contra dominos insurgere. Quæ verò ex varijs ego authoribus collegerim, altiùs aliquanto rem trahendo, non inutilia dictu vestra maiestas accipiat. Ab anno septingentesimo quarto à salute nostra & Christi natali, Aegyptij de Mahometico genere regem, vt se à Græcorum seruitute liberarent, sibi creârũt, qui Caliphus appellabatur. Ab huius Caliphi nomine, reliqui omnes Aegypti reges, Caliphi sunt appellati, ad annum vsq; tertium & quinquagesimum supra millesimum. Tunc nanque Almerico Christiano Hierosolymorum rege Caliphũ bello vrgente, Sultani Syriæ regis auxiliũ Caliphus implorat. Mittitur à Sultano Syriæ Sarraco dux militiæ. Calipho succurrit. Almericum & Christianos pellit. Ast Calipho in vincula cõiecto, regnum Sarraco vsurpat: se'q; iubet Sultanum, à sui principis nomine, non regem, vocari. En Soldanorum initium, anno ab hinc nono & quadragesimo supra quadringẽtesimũ. Est nãq; hic annus, *Soldanorum initium.*

quo ego hæc ex itinere ſcribo, ſecundus & quingenteſimus ſupra milleſimum. Non multos poſt annos Sultanatus hic Aegyptius ad Melechſalam per ſucceſsũ venit. Is Melechſalam à Tartaris per mercatores magnum ſeruorum numerum, qui Comani dicebantur, in Antiochiæ finibus bello victorum, coëmit. Ità ſeruos Melechſalam inſtituit, vt eorũ opera, liberis abiectis, bello & pace & in prouincijs gubernandis & pertractandis armis vteretur. Melechſalam dominum ſerui trucidant. De ſeipſis Tuquemenium Sultanũ creant, & regno inſident ſerui. Ità in ſeruorum ſeruitutem ad hæc vſque tempora redacta eſt Aegyptus. Ex horum collegio Bondocadar Sultanus, anno octauo & ſexageſimo ſupra milleſimum ducenteſimum, à Chriſtianis vniuerſam Syriam & Palæſtinam abſtulit: præter Ptolemaidem, quam deindè Melecaſtraphus Sultanus poſt annum tertium & vigeſimum à Bondocadar victoria, Chriſtianis ademit. Sancto tamẽ ſepulcro omnes barbari pepercerunt. Ad Caitbeium, à quo digreſsi ſumus, iam reuertamur. Hic eſt ille Soldanus, cuius auſpicijs Turcarum copias ingentes parua Mameluchorum manu ſæpiùs fuſas audiuimus. Nec, eorum diſciplina militari percognita, ſum quidem admiratus. Nam vbì primùm è montibus, vtplurimum, Scythicis venum allati ſunt, in quibus inediæ & frigoribus aſſueti, penè nudi obduruerunt, in domos ſuas hi barbari principes rudes illos emptos adducunt: die noctúque nulla in re alia tempus vllum terere, quàm in pertractandis armis, ipſos patiuntur. Ad quos erudiendos quilibet optimatum, pro cuiuſque opibus ſtipendio conductos domì magiſtros gladiatores habet, quibus nupèr empti, velutì ſeſſo-

ſeſſoribus equi domandi, obſignantur. Ex quorum ferula ſi in ſtrenuos euadunt milites, in Mameluchos cenſentur, aliâs famulantur ſemper. Mameluchorum ordo equeſtris eſt, cum ſtipendio militari pinguiſsimo. Cuilibet enim ipſorũ pecuniarius cẽſus per ſingulas lunas (à luna nanque menſes computant) drachmarum auri ſex & quadrantis præbetur. Alimoniæ verò quotidiana Mameluchi portio tãtùm hordei eſt, quantum duobus equis ſufficiat alendis. Carnium autem libræ, eorum more, tres in ſingulos diuiduntur. Rotulum ipſi libram vocant: ea eſt noſtrarum vnciarum duædeuiginti. Panis verò ea datur portio, quæ ipſi & tribus miniſtris ſuppetat. Vndè cùm nulla ſit his alia præterquàm de armorum exercitatione cura, ſintq́ꝫ viribus pollentes, & laboribus ſemper cum egeſtate à ſuæ gentis natura enutriti, nec apud dominos lectis procumbant, immò & duro ſolo, ſtoria tantùm ſuppoſita, vel tapetulo aliquo veteri conſtrato quieſcant, mirari deſino potuiſſe tales viros numeroſiores hoſtium turbas aliquandò profligare. Hic ſermo, ſereniſsimi principes, de veteribus eſt Mameluchis. Iuniores nanque ſunt numero pauciores, neque illa, quam nunc recitauimus, militari diſciplina inſtructi vigent. Veteres enim, exortis poſt Caitbeium inter principes hos factionibus, mutuis gladijs conſumpti ſunt. Recentiores verò ex eorum ſcholis, quas vocant Tabachas, nõ maturi armis, vt Mameluchorum numerus aliquis impleatur, educuntur. Horũ tamẽ opera, qualeſcunq; ſint, ad regnorũ regimen & præſidium Soldanus vtitur. Nec alteriuſmodi cuiquam ſumma rerum creditur. Mameluchi ex Chriſtianis deliguntur. Hi Mahometæ ſectam, abnegato Chriſto,

Mameluchorum ſtipes.

Alimonia.

diuitiarum & imperij cupiditate pellecti, amplectũtur. Ex alia gente vlla censent neminem. A Iudæis nanq; fieri quenquam Mameluchum vetãt, quoniam dolosos esse & capiendis armis minimè aptos Iudęos putant. Ex Mahometicæ quoquè legis viro aut fœmina genitos in Mameluchos conscribere præ timore recusant. Atq; id apud ipsos suis decretis & consuetudine tantùm inualuit, vt neq; proprios filios, quoniam ab ipsis postquàm Mahometici effecti, aut ex Mahometica muliere orti sunt, armis instruere, vel ad honores & magistratus euocare liceat. Fas est tamen, pecunias, domos, supellectilia quæq;, aut prædia natis legare. Ex Mameluchis proceres, ex proceribus Soldani creantur. Quarè quonam pacto à Christianis hoc genus hominum originem trahat, quantá ve cũ nostræ religionis ignominia, opprobrio & dedecore hi barbari dominẽtur, catholici principes, iam colligere potestis. Expergiscimini aliquandò, & rem Christianam capessite: nõ deerit sibi Christus. Gens autem ipsa incolarum est imbellis, effœminata, inermis, discincta, mollis, timida: mechanicis tantùm artibus aut mercaturę intenta: vitam silentio præterit ingloriam. Nec alijs legibus à Mameluchis gubernata, quàm absoluto iudicio. Est præthereà Mameluchi cuiusuis tanta in incolas vniuersos potestas, vt claua lignea, quam manu gestat semper, quemcunq; incolam obuiũ ferire pro libito, vel leuissima occasione sumpta, liceat: quòd scilicet ipsum trãseuntem tetigerit, aut venienti non assurrexerit, vel minùs honorificè salutauerit, aut nõ citus loco cesserit. Interdùm etiam nullam nactus causam, dum aut temulẽtus, aut insanus vel aliâs iratus incedẽs per vrbem Mameluchus occurrit incolæ,

Mameluchorum licentia.

colæ, ipſum quotquot ictibus libet percutit, nec muſsitare miſer audet, neque in eius auxiliũ vel labium mouere quiſquã intentat: quanuìs pater filium, aut filius patrem à Mamelucho cædi conſpiciat, æquo tamen vultu patiatur neceſsè eſt. Nam perimere incolam in auxilium alterius, vt ipſum de percutientis manu ẽruat, accurrentem, vel percuſſum, clauam, nè feriat vlteriùs, manu appræhendentem, Mamelucho impunè fas eſt. Multos quippe, nisì caput illis voluminibus implicitum, de quibus mentionem fecimus, ferrent incolæ, Mameluchi paſsìm occiderent: cùm neque ſe defendere cuiquam liceat, neque in Mameluchis vlla interdũ pietas vigeat. Incolæ cuiquam arma vlla, vel gladiolum quidem acuta cuſpide vel recta, apud ſe habere, equo vel pedibus ambulanti, vetitum eſt. Redituum autem, præter ordinaria vectigalia, lex eſt principũ voluntas. Exigunt, expilant, extorquent, & ad oſſa vſque excoriant. Propterea etſi animus ad vindicandum ſe in libertatem à tam impia ſeruitute adeſſet, vires tamen deficerẽt: cùm pecuniæ, quę ſunt nerui belli, illis deſint: exercitiq; minimè ſint armis. Fœminas vtraq; gẽs quot libet, ſi alendi facultas ineſt, aſſumit ſibi. Voluptatibus omnifariàm dediti, futurorum omni cura poſthabita, viuunt: ſuoq; Mahometæ ſe magìs gratum facere tunc arbitrantur, quandò ardentiùs delectationibus incumbunt. A vino tamen abſtinere Mahometica illis lege præceptum eſt: ſed Mameluchi cùm vinum aſſequũtur, multò auidiùs quàm nos illud bibunt. Fœminæ per vias brachatæ, viri nudis vſque ad genua cruribus ambulant. Veſtes tamen viri ferè talares induunt: mulieres autem ſurarum tenùs tantùm: ſed fœminæ caligatæ. In-

ſanos, deliros, lymphaticos´ve homines, ſanctos eſſe ac diuino ſpiritu afflatos arbitrantur, & colunt. Iudicate igitur, ſereniſsimi reges, quàm infauſto ſidere regiones hæ gubernẽtur, in quibus ſerui dominantur, liberi ſeruiunt, graues opprimuntur, ſtulti extolluntur: vbi nulla fides, nullum ius, nulla pietas, miſericordia rara, auaritia immenſa, in domibus ſumma ob multas vxores diſcordia, foris ingẽs inter ſe odium. Viget enim inter ipſos principes, ob diuerſas poſt Caitbeij mortem factiones exortas, incredibilis inimicitia: nec in re vlla magis inuigilant, vel ingenia atterunt, quàm alter præcipitio ac ruinæ alterius. Quarè, vndè hæc tam diuerſa in vna gente ſtudia emanârint, vndè ſibi hæc adeò rabida ſimultas initium ſumpſerit, operæprecium erit aperire. Sed aliquanto altiùs, vt res ipſa planiùs intelligatur, repetendum eſt. Anno, à nomine Chriſti, quinto & ſexageſimo ſupra quadringenteſimum ac milleſimum: ab eorũ verò ſeductore Mahomete octingenteſimo ſexageſimo ſecundo vel circiter, (ad vnguem enim colligere id nequiuimus, quoniam diuerſo à nobis ordine computant annos) Imperatorem ſibi Caitbeium virũ Scytham hi ſerui, quòd antiquior, quod´ve & magiſtratu ſummo & authoritate polleret, elegerunt. Hic fuit ingenio & virtute bellica præclarus, tenuitq; imperium annos tres & triginta. Quapropter ea diuturnitas imperij Mameluchos fidos illi effecit: ꝙ ipſos ſua pecunia ferè omnes coëmerit, ſuóque pane nutrierit: veteribus vel ætate, vel bello, aut varijs morbis maiori ex parte conſumptis. Inter hos, vna diſciplina, vno pane, ſub eodem domino educatos, duo de lautioribus ac opulentioribus principibus, quorum alter

alter Acbardinus, Campſous Campſomia alter nuncupabatur, inimicitias inter ſe capitales, etiam Caitbeio viuente, exercebãt. Cùm enim ambo Scythæ eſſent, amboq́ à paruulis de Ciarcheſis vulgò montibus rapti, eodemq́ pago oriundi dicerentur, Campſous Acbardinum ruſticitatis arguebat, præ inuidia, quòd faciliores Acbardino Soldanus aditus ad ſe præſtaret: quod´ve potentiores quàm ipſe magiſtratus aſſequeretur Acbardinus, animo Campſous cruciabatur: ità vt fit inter omnes, ventoſos ambitionis afflatus affectantes: perniciem alter alteri ſemper machinabantur & adſtruebant. Quapropter cùm grauiter iam ægrotante Caitbeio, inclinatos ad erigendum aduerſarium ſuum ad imperium, ob maiores pecuniarum & magiſtratuum copias, Mameluchos Campſous Campſomia ſentitet: Caitbeium adhuc integro ſenſu laborantem, mœſto vultu & obortis lachrymis, cum dictis adit huiuſcemodi: Imperator optime, tanta fuit erga nos oẽs tua ſemper humanitas & clemẽtia, quòd nisì maiorem tuî hominem exuentis, quàm apud nos viuentis rationem haberemus, ingratiſsimos nos omnium ſeruorum, erga optimè de ſe merentes dominos, & ſummorum beneficiorum nefariò immemores fateri cogeremnr. Hunc enim quanuis nobilem, paupertate tamen ſummerſum: illum è ſyluis, alium è pecudum cuſtodia, ab horrendis Scythiæ frigoribus, & vrgenti fame, ac demùm ex miſerrimis magalibus, ad ſummas diuitias, ad præclara palatia, & altos rerum cardines, euexiſti. Conſtituimus igitur, imperator maxime, nè ingratitudinis deteſtabile nomen ſubeamus, filiũ tuũ Mahometem, quẽ vtì tuî deficientis ſimulacrũ veneraremur, in imperatorẽ nobis eli-

eligere. Bonorumq́; omnium hanc ſcito firmam eſſe ſententiam. Caitbeius autem longa rerum experientia ſapiens, Campſoi mentem apertè cognoſcens, qui non ſui filij cauſa, ſed nè imperiũ ad inimicum Acbardinum perueniret, talia moliretur, Campſoum à propoſito diuertere conatus eſt. Senſit enim id potiùs filio perniciē quàm felicitatem parıturum: hortatusq́; eſt toto ingenio Campſoum, vt imperatoris electionem ordine ſuo veteri, pro inſtitutis maiorum, procedere pateretur. Se vno animo ipſos filiorũ loco habere, quos ità fidos ſemper cognouerit: quosve ſuo pane à teneris educauerit. Paucis repetitis, Campſous diſcedit. Caitbeius autem non longè pòſt animam exhalauit. Campſous verò Campſomia quæ apud Caitbeium egerit, enarrans: Caitbeiumq́; ſibı, vt filium eligerent, dixiſſe ementiens, de Mameluchis, quoſcunque poteſt, ſubornat. Mahometem, mameluchis auxiliantibus, in caſtellum, vbì regia eſt, locat. Imperatorem creat. Is eſt eo tempore adoleſcens, annos nondùm natus ſexdecim. A ſummo eorum pontifice Mammetes confirmatur. Habent enim & ipſi ſummum pontificem, ad quem huius imperij machina, ſi Aegyptij homines eſſent, pertineret. Ius ſuum, vt cæteri conſueuêre, Mammeti Cairi regiam tenenti, trium millium auri drachmarum precio pontifex vendit. Is Califfus dicitur. E tribunali Soldano ſtanti pedibus, vitæ necisq́; liberam poteſtatem præſtat. Ipſe deſcendit: ſeipſum ſpoliat: Soldanum imperaturum induit: abit priuatus, permanet in imperio Mammetes. Qui petulans & imprudens, tanta've mole implicatus, laſciuire, ſanguine gaudere, pecunias optimatum ſitire, necem illis moliri cœpit:
occaſi-

occaſionem nactus, quoſdam obtruncat: cæteris omnibus ficto generali conuiuio, inſidias parat. Matri conſilium aperit. Ea fratrem ſuum, qui, Campſous Ciarcheſius nomine, de optimatibus & ipſe vnus erat iugulandus, monet, nè eo die, quanuìs inuitatus, accedat: eius nepotis filij ſui mentem detegit. Campſous Ciarcheſius nepoti iratus, qui talia machinaretur, optimates conuocat. Imminens periculum enarrat: ſibi conſulant edicit. Optimates vbì adoleſcentis animũ, quò tendat, intelligũt, Campſoo Ciarcheſio magna ob propalatum facinus pollicẽtur. Rem diſſimulãt. Acbardinus intereà & Campſous Campſomia, potentiſsimi duo primates, alter pecuniarium amplitudine, beneuolentia fretus amicorum alter, ſeſe inuicèm duabus pugnis aperto Marte, & collatis ſignis, ità proſternunt, vt vitæ tædio confectus Acbardinus mortem obierit: Campſous autem Campſomia, domo, bonis, patria, extorris lateat, incertũ an viuat. Ab his duobus diuerſa inter ipſos ſtudia, diuerſæq; factiones, quæ nunc eos exagitant, exortæ ſunt. Indeq; eſt, vt intra ſextum à Caitbeio annum quinquiès iam Soldanicam ſedem euacuârint: & ſeſe inuicèm Mameluchi veterani ſuis quique partibus fauentes, telis conſumpſerint. Ad iam perturbatos optimates redeamus. Per Tomumbeiũ quendam armorum ducem, inferioris inter principes ordinis, cui etiam Mammetes necem fuerat minitatus, inſidias Mammeti parant. Mammetem ſimul & duos eius amitinos, quorum conſilio regebatur, ſtructo intra tentoria caſtrenſia conuiuio, in agro iuxta viam, quà facturũ Mammetem iter ad quædam laſciua pulpamenta didicerat inuitatum, obtruncat ex inſperato Tomumbe-

mumbeius. Hic fuit infelicis adolescentis exitus, triennio nondùm peracto, à patre, dum moreretur, præuisus. Principes verò, tum vt amicorum Mammetis animos mitigarent, tum etiam vt accepti à Campsoo Ciarchesio beneficij se gratos ostenderēt, Campsoum Ciarchesium eius auunculum, Tomūbeio nepotis interfectore tractante, coronant. Tomumbeius in proditionis mercedem Emirchebir creatur. Is est magistratus primus post Soldanum: exercitibus nanque præest. Rebus sic stantibus, Zamballatus, qui Damasco Syriæq; præerat, creationi non assentitur: arma contra Soldanum parat: est enim eius gubernationis magna potentia. Tomumbeius sese debellaturum Zāballatum offert. Soldanus Tomumbeij proditoris versutiam noscens, quāuis timeret, dissimulat tamen: vtq; fideliter ac fortiter se gerat contra hostem, remq; peragat prudenter, hortatur, suadet, rogat, multa pollicetur. Sed incassùm omnia. Colligit exercitum Tomumbeius: in Zamballatum mouet: in Syriam proficiscitur. Conuenit Zamballattum: nouam proditionem adstruit: colloquuntur: fœdus ineunt, Cairum veniunt: Campsoo Ciarchesio regnum abripiunt. Præhendunt Alexandriæ intra munitam arcem: custodijs fidis traditur. Imperauit hic menses tantùm viginti. Zamballatum sceptro præficiunt. Nemini parcere Zamballatus cœpit. Optimatum quosdam diuersarum partium strangulat: alios in exilium mittit: plerisq; perniciem machinatur. Venetos, Genuenses, cæterosq; mercatores in Soldanicis regnis cōmercia tractantes, expilat, in carcerem & catenas trudit, tormentis, vt ab eis pecuniam extorqueat, affligit: nullū deniq; sæuitiæ genus prætermittit.

In

In odiũ ꝓptereà principũ & Mameluchorũ oĩm incidit. Quapropter eodẽ Tomũbeio, cuius ductu emerſerat, moliente, ꝓceres à Zamballato deficiunt: intra caſtellũ regiã domum, illũ obſidẽt. In diem nonũ capitur. Alexandriã & ipſe vinctus, vt fraus fraude puniatur, cuſtodiendus mittitur: in ipſo carcere poſt tertiũ vix menſem vita ſtrangulatur. Imperauit hic menſes non integros nouem. Regia in Tomumbeij poteſtatẽ venit. Sedẽ capit. Coronatur. Tomũbeius cùm primùm ſceptro potitus eſt, non modò in diuerſæ factionis proceres & Mameluchos, quorũ arma vereretur, ſed etiam in populũ, crudelitate media ſeſe imperaturum exiſtimans, ſæuire cœpit: nouas exactiones excogitat: ſed præter cæteras, vnã immoderatã promulgat: taxari domos omnes tam incolarum ꝙ procerum & Mameluchorum imperauit: pro cuiuſq; domûs valore locationem exegit ſemeſtrem: qua exacta, iterùm perſolui aliam voluit grauiorẽ. Quanto enim quælibet domus, huic rei præpoſitorum arbitrio, decem menſiũ tempore locari, ſi locanda foret, cõpeteret, tantũ extorſit. Audite aliud intolerandum. Hic tam ſuæ legis hominum, ꝙ Chriſticolarum & Iudæorum, quoſcunq; diuites fama eſſe didiciſſet, de medio tollere, quæſitis occaſionibus, nitebatur. Cúmque proſcriptorum domos integras aliquandò deprædaretur, ſupellectilia bonáque omnia, quæ de miſerorum theſauris rapiebat, ad mercatores & ciues diuẽdenda mittebat, cũ mandato, vt illa duplo coẽmerent. Quòd ſi primo edicto recuſâſſent, non minorem in eos ſæuitiam exercebat, quàm ſi in crimen læſæ maieſtatis incidiſſent. Conſilium igitur proceres omnes inierunt. Arma capiunt, caſtellum ſepiũt, Tomumbeium

beium obſident. Qui die ſeptimo, de victoria, ob ſcelerum conſcientiam, deſperans, per cuniculos è caſtello deſcendit, intra vrbem aufugit. Dies latitat quadraginta. Proditus tandèm à ſuiſmet aſſeclis, à Zamballati familiaribus, quẽ ſtrangulari iuſſerat, trucidatur. Ità octauo nõdùm menſe peracto, generalis pernicies gladijs inimicorũ confoditur. Conueniunt proceres vt imperatorem deligãt: omniumq́; ſuffragijs ſtat, Campſoum Gaurum, qui tunc Deudarius, id eſt, curiæ prætor erat, imperatorem creare: tum quoniam Tomumbeio deuinctus erat intima neceſsitudine, vt Tomumbeię factionis perturbatos animos pacarent: tum quòd is neque vafer vir eſſet, neq; potentia pecuniarum pollens. Quarè deiecturos ſe illum facilè poſt ſedatos Tomumbeianorum furores arbitrabantur. Campſoum igitur Gaurum adeunt: ſceptrum offerunt. Renuit Gaurus: vt ſe coronari patiatur, hortantur. Inclamitando iterùm recuſat. Inſtant hi, abijcit ille. Se nullo pacto idem onus ſubiturum, nolleq́; ſe huic tanto periculo addicere, frendens prædicat. Imperitum, impotentem, ineptum ſe, huic tantæ machinæ regendæ, fatetur. Ex aduerſo illum ſtimulant: & quo acriùs ſumere prouinciã abnegabat, eo auidiùs illi, vt prouinciam ſumeret, perſuadere conabantur. Id cùm aſſequi ab eo minimè poſſent, penſilem illum & illata vi in caſtellum portant. In ſolium locant regium. Pontificem, qui eum ſceptro coronáque muniat, adducunt. Is iterùm (aſtus & ſimultates collegarum ac perfidiam noſcens, nihil ſibi minùs quàm quod alijs acciderat, pertimeſcens) conqueritur cogi ſe, qui minimè diues ſit, ad imperiũ capeſſendum: cùm naſſacá, id eſt, donatiuum, Mameluchorum minimè

nimè potis sit persoluere. Vetus est enim apud ipsos consuetudo, vt quicunque assumuntur in regni habenas, singulis Mameluchis drachmas auri centum in strenas, proceribus verò pro cuiusque gradu diuersa millia, impartiatur. Quod donatiuum ipsi vocant naffacá, vltima acuta. Nec proditionis nota illi Mameluchi aut optimates taxantur, qui contra eum Soldanum arma ceperint, à quo pecuniarum hanc summam non habuerint. Quæ nummorum copia, excedens interdùm deciès centena millia drachmarũ auri, Soldanos cogit plerunquè eas extorsiones exercere. Ad hoc proceres suo Mameluchorumq́ꝫ priuatorum nomine Gauro respondent: Bono animo sit: octo se menses, donèc ex regnorum prouentibus pecuniam colligat, expectaturos suum quisque naffacá pollicentur. Sedet igitur quanuìs inuitus Campsous Gaurus. Isq́ꝫ est, quem vestro catholico nomine legatus adiui: sed in regno securior cæteris, quòd iisdem artibus sibi nõ parauerit imperium, quod've ipsis benignitate pręcellat. Ast, vtì solet in reliquis inter mortales, fortuna vices nostras commutauit: quandò paratissimas habiturum mihi Soldani aures arbitrabar, tunc à primo proposito longè alienũ comperi. Multa enim tum in caput meum, tum in vestram famã, oratores Afri (quos in foribus Soldanicis mœstos expectare nostrum euentũ suprà memorauimus) cum populo & optimatibus moliti fuerant: adeòq́ꝫ illos suo & Granatẽsium ac Iudæorum expulsorum nomine subornauerant, vt primarij Soldanicæ parti inhærentes, eum turbati adiẽrint, illiq́ꝫ ruinam imminere prænunciant: quia publicis vocibus, Soldanum, qui regum suæ legis hostium oratorẽ honorificè tractauerit, Christicolã

esse, ipsiq; Maurorũ perniciem placere, per vrbem populus vniuersus proclamat: Sibi suísque consulat, hortantur. Maximum esse iam inter Mameluchos, diuersarum partium præcipuè, murmur exortum: qui, vt recens capiant nassacá, rerum nouarum studiosissimi sunt: mutariq; Soldanum quoto mense exoptant. Nec vehementiorem aliam emergere posse occasionẽ, qua promptiùs Mameluchi ad arma capienda, si seductor princeps oboriatur, induci queant, quàm tutandæ Mahometicæ legis, vt populo gratũ faciant. Soldanus his atque alijs pluribus à suis proceribus auditis, timens nè ipse quoquè præceps deijciatur, quanuìs inuitus, Trucimanum accersit: quæ proceres retulissent, enarrat. Vt me noctù educat, nè qua populi seditio cooriatur, imperat. Veniã à me petat, edicit: non posse sine suo suorumq; discrimine me hactenùs admittere, dolens aperit. Proceres Trucimano, quòd mihi fauere videbatur, coram Soldano mortem minitantur. Tyrannos vos esse ac violentos & fidefragos reges, intra quorum ditionem sit Trucimanus oriundus, iactatis manibus & fronte rugosa despumant. Literasq; tutelares, vestris catholicis nominibus ac sigillis insignitas, ab eis quos ob nefanda scelera eiecistis, allatas plures ostendunt. Trucimanus igitur Soldani dicto perturbatus, & procerum minis perterritus, ad me Saturni die pridiè Nonas Februarij, iam declinante, reuertitur, quæ gesta sint, enarrat: vt me ad discessum accingã, Soldani nomine, iubet: tutelares Maurorum literas ostendit. Ego autem in Trucimani pallentis faciem protentis oculis parumpèr hæsitans, ex intestinis, vt aiunt, cor fabricans, frendere ac iactare dexteram, ira cóncitus, in Soldanum

num & ſuos proceres verba iacere ignominioſa cœpi: Barbaros eſſe, qui primis delationibus moueantur, proclamo. Potentiam eorum eſſe ferè nullam, veſtram verò immēſam. Poſſe illis, quicquid emergat, nocere: vobis autem neque robur adamātinum, oſtēdo. Ipſos eſſe numero paucos, & hac tempeſtate imbelles: veſtros incolas innumeros, & bello aptos eſſe omnes, aperio. Argumentum amplitudinis veſtræ à Cantabris, quos Bizcainos: & Laletanis, quos Catalanos nuncupatis, capiant. Qui cùm ſint veſtrorum regnorum populi quidam minutiſsimi, ab omni hominum memoria illorum ſemper littora incurſionibus piraticis infeſtârunt. Mulieres etiā interdùm noſtrates, Maurorum acies profligâſſe compertum eſt. Eant igitur, eant tuus hic Soldanus & ſui proceres, nos armis adoriātur: & vlciſci, ſi qua ſit per meos reges illata Mauris iniuria, aggrediātur. Mediusfidiùs, Tangaribardine, arbitror, hac noſtra tempeſtate, qua per reginæ noſtræ dotem, & regis hæreditarium patrimonium, Hiſpania eſt vlterior citeriori adiuncta, nullam eſſe humanam potentiam, quæ nobis damnum vllum inferre potis ſit. Quòd verò nos, qui in vltimis Occidentis orîs ſedem regiam habemus, magna complecti poſſumus, colligere hinc poteſtis: à Gadibus & extremis terræ orîs, aduſque veſtrorū littorū proſpectum, imperium noſtrū protenditur. Balearium enim, Sardiniæ, Ebuſi, Siciliæq́ꝫ, & aliarum plurium inſularū, catholici reges mei domini ſunt. Et quod maius eſt, ea Neapolitani regni pars quæ Adriatico mari adiacens Orientem ſpectat, in eorum poteſtatem nupèr venit. Quæ igitur eſt hæc inſcitia veſtra? quæ cæcitas tuos iſtos Barbaros obtūdit, vt regū tantorū oratorē ſe ab-

ijcere posse, quin aliquandò pœnas luant, existiment? Adito igitur iterùm Soldanum, meoq; nomine illi hæc aperito, fore vt nõ multò post meum reditum, quàm lõgas manus habeamus, quãve potentes ad omnem à nobis iniuriam propulsandam simus, intelligat. Si verò meis dictis auscultauerit, luce clariùs illi ostendam, meũ aduentum salutem, imperijq; firmitatem ei præstiturum. De his autem, quæ illi per eliminatos à nobis, ob eorum spurcitiam, Sabbatinos Maurosq; rebelles Granatenses, ad lauacrum baptismi per clementiam admissos, auribus admisêre: quanuis eorum, quæ, fecimus, rationem nemini reddere cogamur, neq; potis quisquam sit à nobis eam exigere: plena tamen mensura satisfaciam, & multa, quibus principum suorum animos sedare, ac sibi proniores reddere facilè poterit, ipsi me dicturum polliceor. Quarè peruicaciam deponat, ac vt benignas mihi aures in parua hominum frequentia præstet, si illum amas, suadeto. Postquàm autem quæ dixerimus intellexerit, liberum ei quæcunq; constituerit, imperare, non minùs quàm nũc erit. Tangaribardinus meis dictis diligenter animo reconditis, respirans aliquantulùm à concepto mœrore, pauca dehinc mecum repetens, ad Soldanum, inter eundum reputans, quibus modis nostra referẽs illum nouo induat proposito, proficiscitur. Astu suo (est enim sagacissimus & longa rerũ experientia prudens) Soldanum pacat, timorẽ soluit, spem præstat. Vt per regiæ posticum ad eum solus ingrediar, contra morem maiorum, operam dat. (Auditus fuit enim nullus vnquàm orator ab eis post hominum memoriam secretò.) Statuto Dominico die, sole nondùm exorto, admittor. Cœptũ est

Pulchre Soldanum sibi attentum reddere studet.

est agi, de regni Granatensis debellatu, de Iudæis eiectis, de Mauris oppresſis multa: sed de mutata religione multo plura proposuit. Postquàm Soldanus conticuit, huiuscemodi ego sermonem exorsus sum: Serenisſime omnium imperator Mahometæorum, querelas minasq́ ingẽtes quas interpres hic tuus nudiustertiùs ad me detulit, quasq́ tu præsens edicis, diligenter memoria suscepi. Quarè, si mihi, vt quæ sentiam respondere posſim, venia præstabitur, tibi & oratorio muneri meo latè satisfactum iri scio. Aures se mihi daturum faciles pollicetur: quæcunque in mentem venerint, loquendi venia impenditur. Tunc sic edissero: Granatam multasq́ illius regni munitas vrbes, catholicos reges meos tuæ legis cultoribus ademisse: victis fidem non seruâsse, per vim ad Christum multa Maurorum millia coëgisse, conquereris: dehinc te daturum operam, vt ipsos facti pœniteat, minatus es. Hoc primũ, magne imperator, vt ordine vtar præpostero, habeto. Catholicos regem & reginam Hispaniarũ (qui me miserunt, vt quædam Hierosolymorũ incolarum nomine à te impetrarem, non vt tibi de factis eorum rationem redderem) esse ità potentes scito, vt nullas humanas vires aut arma vereantur: propterea superuacaneum est existimare, minas posse quicquã proficere. In caput enim cuiusque nos impetere volentis, eius audacia recudetur. Est enim illorũ imperij amplitudo ingens adeò, vt ab Oceano qua sol décidit, adusque sinum Adriaticum, qua latus Italiæ tua littora prospectat, per Herculeum fretum tractu perpetuo cum Sicilia & Calabria, quæ magna Græcia quondàm appellabatur, & Apulia, parandis bellis aptisſimis, cuncta his subiaceant. Quàm

Oratio oratoris ad Soldanum iratum.

innumeras pofsint armatorum copias, quandocunquè opùs eſſet, comparare: quàm ſtrenuus ſit quicunque Hiſpanias miles incolat, q̃ dominis fidus: quàm dicto parẽtes ſuos principes, qui potentiſsimi ſunt, mei reges habeant, incredibile dictu eſt. A ſummo nanque ad minimum, ab agricola ad auratum equitem, nullus eſt intra orbem Hiſpanum, qui non ſe tunc glorioſiùs viuere, quandò emori pro regibus ſuis ſuccurrerit, q̃ viuere vitam, arbitretur. De his nõ plura: quandoquidem meo nomine Tãgaribardinus tibi cætera cumulanter enumerauerit. Nunc autẽ, quanuìs nec tibi, aut viuentium cuiquam à nobis rationem exigere poſſe vires ſufficiant: nec vt tibi horum, quæ nunc dicam, quicquã proponerem, mihi demandatum ſit: cùm iam ſatìs, quanti ſint mei reges, intellexeris: quales ſint, & quàm longè alij q̃ tu tibi perſuadeas, audito. Regnum illud Granatenſe, quod debellatum à nobis iſti cõqueruntur, contra ius fasq́ꝫ, Iuliano duce, qui Calpæ & Septæ, aliorumq́ꝫ pluriũ oppidorũ in occidui maris faucibus dominus erat, cum reliquis Hiſpaniarum regnis Mauri quondàm armis occupauerant. Is enim Iulianus occaſionem nactus, qꝓ Rodericus rex, qui tunc vniuerſæ imperitabat Hiſpaniæ, filiam ſuã de reginæ nymphis vnã ſtuprâſſet: Miramamolinũ Mahometicæ legis monarchã cum ingẽti exercitu ex Mauritania in eam Hiſpaniæ orã q̃ Bętica dicitur, traduxit: totamq́ꝫ, ꝓfligatis ter per Iulianum collatis ſignis Roderici copijs, Miramamolinus, ꝑter pauca mõtana, oppreſsit. Adeoq́ꝫ poſtq̃ ſibi Miramamolinus Hiſpaniam vſurpauit, in Chriſticolas omnes ſæuitum eſt, vt relictus fuerit nullus Chriſtũ recuſans abnegare, qui Maurorũ gladijs non interierit. Trãſ-

actis annorum iam pluribus curriculis, Christicolæ tandèm resipiscentes, aliquantispèr ab hac dira illuuie sese redimere attentârunt. Pelagio quodam nobili duce de mõtibus pedetentìm descendunt: Maurorũ copias, fœminis etiam è rupibus cum saxorum deiectione primùm, deindè cum telis adiuuantibus, profligant: retrocedere, montium radices deserere, intra munitas vrbes se recipere, cogunt. Quarè paulatìm Christicolarum animos necessitate, iustitia, Maurorumq́ truculenta tyrannide, indiès magìs ac magìs excutientibus, Hispaniæ vtriusq; cæteras regiones meorum regum proaui in libertatem vindicârunt: quod verò supererat, ipsi nupèr virtute bellica domuerunt. Affecimus igitur iniuria neminem: cùm ius suum tueri, suaq́ de iniustè possidẽtium manibus cuiq; liceat, cùm possit, abripere. Quòd verò fidefragos illos, aduersa tantùm parte audita, ità solutis habenis appelles: victisq́ non pepercisse, conqueraris, (da veniam quæso) temerè factum est: nec decuit maiestatem tuam, nobis inauditis, in ea verba non rege digna prorumpere. Oro, attendas, imperator optime: Cùm Granatensis regni vrbes in deditionem nostram venissent, multi à meis regibus, vt in regno naturaliq́ solo suo cum liberis & vxoribus permanere liceret: alij, vt discedere possent, literas tutelares impetrabant: quas illis mei reges capitibus interpositis, dummodò in fide persisterẽt, néve quicquam contra eorum maiestatem committerent, impartiebantur. Nunc autem hi, quorum plurimi scelerum conscij, aufugerunt: alij rationis inimici, & nouarum rerum cupidi, rebelles, seditiosi, facinoribusq́ imbuti, ad te confluũt: exaratas à meorum regum clementia literas osten-

dunt: quid ipsi admiserint, occludunt, cooperiunt, tacent: fugam suam, eiectionem & perfidiam appellant. Constabit nunquàm, de ore meorum regum, verbum vllum vanum aut mendax excidisse. Ad baptismum præterea Granatenses omnes vi coactos fuisse, tibi ementiti sunt: nihil à verò semotius viua vox vlla protulit vnquàm. Vndè, quàm perniciosum sit, primis flagitiosorũ delationibus ad iram moueri, colligito. Catholici rex & regina Hispaniarum, se multo magis re quàm nomine Christianos esse profitentur. Christianum eum nos appellamus, qui Christi vestigia nititur imitari, doctrinam sequi, legem seruare. Christus neminem vnquàm ad se inuitũ adducere aut allicere est conatus: vim cuiquam, vt Christianus efficiatur, inferri præcepit nunq̃: immò nostra lege cautum est apertè, nè quisquã alienæ legis vllius cultorẽ metu aut vi impellere audeat: cuius rei tibi sint argumento Maurorum tot millia, quot per tua regna transmeârunt, ac Iudæorũ multitudo ingens expulsa. Hos omnes, cùm sub eorum essent potestate, nónne ad baptismum coëgissent, si per legem licuisset? Cùm igitur non eos coêgerint: cùm libera illis, quacunq; sederet animo proficisci, amplè sit via patefacta: quàm leuiter falsoq; te Granatenses obtundant, cognoscito. Granatenses quater sumptis armis, (quæ nullo modo habere quenquam apud se ex composito & fœdere conscripto licebat) in vrbe ipsa sceptratos præfectos, in Bellesychio munito oppido plures electos milites, in Rondæ conuallibus armorũ duces cũ ingẽtibus copijs, trucidârunt. In mõtibus verò niuosis, quos Alpuxarrenses vocãt, in quorũ radicibus Granata vrbs iacet, locorũ asperrima freti natura, ità furiatis animis de-

Nemo armis ad fidem Christi cogendus.

fecerunt, vt regem ipſum, cum centum millibus peditum, quindecim autem equitum, pertinaciter expectârint: nec cedere vnquàm, aut arma deponere voluërunt, donèc aperto Marte profligati, plures interierint. Quibus iſti ſupplicijs afſici merebãtur? Quæ mulcta ſatis erat ad hęc ſcelera? Excoriari à vertice ad pedum plantam ipſi, vtq; filij & vxores ipſorum cum omni familia in ſeruitutem redigerentur, bona fiſco addicerẽtur, ex lege promeriti fuerant. Cùm in hæc ſeſe pericula, ſua nimirùm dementia, coniectos cernerẽt, emiſsis ad cælos vocibus, Baptiſma Baptiſma, proclamare omnes paſsim cœperunt. Catholici verò domini mei, quibus eſt inſitum à natura, eſſe iuſtos, miſericordes & pios, ad eas ſupplicum preces commoti, tantorum facinorum illis veniam, vxoribus ac natis libertatem, bonorum remiſsionem, animo clementiſsimo ſunt impartiti. Eo tamen præcipuè, quòd noſtra lege, vti neminẽ cogere recuſantem, ità neminem abijcere venientem, ſancitum ſit. Eià nunc optime imperator, quid, ſi tot ab incolis tuis, alienæ legis præſertim, in te auſu temerario commiſſa fuiſſent facinora? Satis´ne animo tuo ſatisfactum fuiſſet Mahometica ipſos inſtituta implorâſſe? minimè quidem arbitror: tanto maximè cum pecuniario damno. Eorũ nanque ſpolia, ſi cum vxoribus & filijs eorum bona venũ fuiſſent expoſita, decennales tuos redditus proculdubiò ſuperâſſent. Nec te prætereat velim, duo eſſe regna, Valentinum ſcilicet & Aragonium, hæreditario iure antiquiſsimo regibus meis ſubiecta: in quibus plura Mahometæorum, quàm Chriſtianorum millia, omnium opinione, degunt. Hi habere ſua templa, equis ambulare, tela, cùm iter faciũt, geſtare, ædificare do-

mos, agros colere, armenta posſidere, non minùs liberè, atquè Chriſtianis ipſis, permittitur: nec minores pœnas dat Chriſticola, qui Maurum moleſtia vel iniuria afficiat, quàm ſi Maurus Chriſticolã. Quàm beatè iſti ſub meorũ regũ imperio, cùm pacifici ſint, & minimè ſeditioſi, viuãt, ſi ſcrutaberis, Granatẽſes meritiſsimas luiſſe pœnas iudicabis. De Iudæis autẽ, deterioribusq́ꝫ neophytis ex legibus, quæ te cura fatigat? quid ad te? Hi ſunt à meis regibus de oĩbus eorũ regnis, tanq̃ rabida peſtis, eliminati. Pròh ſi ſcires, q̃ morboſũ, q̃ peſtiferũ, quãq́ꝫ cõtagioſum pecus iſtud, de quo loqueris, ſit. Tactu omnia fœdant, viſu corrumpunt, ſermone deſtruunt, diuina & humana perturbant, inficiunt, proſtrant, miſeros vicinos circunueniunt, radicitùs expilant, funeſtant: vbicunquè pecunias eſſe præſentiunt, tanquàm odori canes inſequuntur, detegunt, effodiunt: per mendacia, periuria, dolos, inſidias, per lites, ſi cętera non ſuppetunt, extorquere illas laborant: aliena miſeria, dolore, gemitu & mœſtitia gaudent: felicitati inuident. Perniciem notis omnibus atque etiam ſibi inuicèm ſemper cum fremitu machinantur. Væ domibus, quarum iſtis ſecreta rimari licet. Noſces aliquãdò, noſces, ſi longos annos tibi fata præſtiterint, quod hominum genus hoc ſit, cui tu patrociniũ præſtas, quod intra tuas oues commiſces: quàm obſcœnum, deteſtabile, vile, execrandũ: quàm deniquè detrudi debeat ab omni humano commercio. Sapiẽtiſsimos viuentium tunc fuiſſe meos reges fateberis, quandò de tam reijculo & morboſo pecore exterminare cogitârũt. Si hos amas, hos tibi habeto. Quid vis tibi referat gens hæc abiecta? latrone aut ſubdolus proditor, ſi quem tu eiuſmodi

morte dignum in exilium miseris, vel tantùm flagellari iusseris, cùm per alienas terras vagabitur, maiestatem'ne tuam laudabit? Misericordem te propterea vel clementem appellabit? non certè: quocunquè enim diuerterit, te crudelem, impium, bonorum persecutorē, se iniustè depulsum, prædicabit: sua scelera tacebit. Ast si in prudentē aliquem auditorē inciderit, te iniustum esse, tua causa non audita, minimè persuasum relinquet. Quarè, serenissime imperator, aduertito, nè hi nefarij delatores in aliquam te calamitatem conijciant: si tibi consulueris, tuæ posthàc aures liminaq; hominibus huiuscemodi nunquàm patebunt. De his iam satis multa. Nunc autem vt ad te iam veniam: si ea, quæ sum meorum regū nomine petiturus, impetrauero, rumores à meipso per hanc amplissimā vrbem tuę ditioni subiectā, per Trucimanum, reliquos etiam Palatinos qui mecum versantur, spargā: aduenisse me, fraternum fœdus te cū meis regibus inijsse, easq; classes quas in Apuliæ Calabriæq; portubus habent, cum delectis militum copijs, præstò fore, si qua in te defectio exoriatur, aut bellica vis ingruerit, vt huc volitent in auxilium tibi, prædicabimus. Ità in hac tuorum principum inconstantia, & imperandi cupiditate, nostræ, etsi fictæ, amicitiæ fama, cùm simus mari & terris adeò potentes, maximam tibi poterit vtilitatem parere. Temperatiùs nanque de insurgendo in te, armisq; capiendis, tui aduersæ partis principes, si hoc suspicantur, cogitabunt. Finitimi præterea reges, qui Syriæ felicissimæ prouinciæ tuæ inhiant, seriùs te bello tentare audebunt, si nos in tuî auxilium venturos verebuntur. Aperito igitur mentis oculos, serenissime imperator, & for-

& sortem, quæ sese tibi obtulit, opportunam appræhendito: libentiq; animo ea perficito, quæ mei reges exoptant: & fortè sedes hæc tua, quæ subtili vitro fragilior est, in adamantinum robur ex hoc nostro commercio conuertetur. Quæ autem petimus, summe imperator, factu quidem facilima, tunc tibi aperiam, quandò pacato ab istac iracunda perturbatione animo ad teipsum te redijsse cognouero. Hæc ego. Soldanus verò, intereà dum ego ista recensebam, ex ore meo, quanuìs ea minimè caperet, meos motus tamen tum iracundos, tum placidos, acutos, interdùm graues colligens, pendebat: scire iam, quæ dixissem, maiorem in modum affectabat. Tangaribardinus interpres inter nos tertius, qui non minùs, quàm egoipse, vestrę glorię cupidus esse mihi visus est, auido Soldano, affectu non minore, non inferiore animo, lingua nō timidiore, suo idiomate quæ proposueram, refert. Inflatus interdùm de vestra potentia rubicundo vultu edisserit: placido interdùm sermone ac ore subrisibili solertissimè, de vestra erga bonos benignitate recenset: atque etiam interdùm, quàm virtute bellica felices sitis, enarrans, minabundos oculos attollit. Gaudebam ego, Soldani intentum animum, nutusq; dicta cōcipientes inspiciens. Postquàm igitur Tangaribardinus finem sermoni suo fecit, Soldanus sese amicis oculis ad me conuertit: & multa iterùm de vobis, de regnis vestris, percontatur: an vera sint, quę ego de vestra in rebelles Mauros clementia argumentatus fueram, interrogat. Vero esse omnia veriora quę dixissem, affirmo: posseq; id illi facilè fieri compertissimum, si ad vos oratores vel secretò exploratores miserit, aperio. Quod si fecerit, quanti sint momenti res vestræ, quan-

quantum've stabilitati ipsius simulatæ nostræ societatis sparsus vulgò rumor cōducere potis sit, ipsum cognosciturum, enuncio. His atq; alijs pluribus ab ortu solis adusque meridiem ità discussis, confirmatis, confutatis, conclusis, vestra mandata aperio. Soldanus ad ea omnia perficiēda, quę vestro nomine petiero, animum disponit: me dimittit. Principes propter metum concitatæ multitudinis perturbatos, ad se iubet tā fictos quàm amicos die postero accersiri: nè facilè improborum susurris Iudæorum, & profugorum Granatensiū querelis moueantur, monet: periculosum esse quacunque in causa, altera partium tantùm audita, iudicare. Iudæorum fraudes, nequitiam, hostilitatem in omne genus hominum, meis verbis proponit. Nè sit illis de tam fœtido, despecto, liuido, scabiosoq; pecore solicitudo, suadet. De Maurorum autem leuiū Granatensium conquestibus, inconstantiam, defectiones, crudelitatem ipsorum, vestrorum verò ducum ac militum internecionem, edisserit. Quid foret interrogat, si talia per suos subditos in se vllo tempore emersissent facinora: aut si sumptis armis tot in ipsos Christianorum millia defecissent, quot Maurorum in vestram coronam defecerunt. De vestrorum regnorum amplitudine, de potentia, felicitateq; vestra, multa ipsemet enarrat: quantā possit regum tantorum amicitia sibi & ipsis vtilitatē afferre, pronunciat. Horrescunt proceres exempli simulacro: vos admirantur, quæ ipsos angebat, curam eijciunt. Soldano vnanimes omnes, quòd sibi ipsisq; adeò prudenter prouideat, assurgunt, gratias alij fictas, ex corde imo alij depromptas, agūt. Soldanus deindè proceribus benè persuasis, domumq; dimissis, Trucimano accersito

impe-

imperat, vt famulos à manu regios ad me ducat: vt quæcunque ordirer ego, ipsi contexerent: chirographa quæcunq; vellem, conscriberent: ad se postmodùm sua manu signanda perferrent. Mandatũ Trucimanus exequitur: ad me veniunt chirographarij. Consilium ego & Hierosolymitani templarij, qui ad me per cursores acciti venerãt, inimus. Petitiones vestras conscribimus: (quarũ prætextu vos me, catholici reges, ad iram horum Barbarorum pacandam, qui se Christicolas omnes orientales demersuros vestra causa minabantur, oratorem misistis) Vt Hierosolymis vetustate collapsa reficere, vt ea quæ ruinam minantur, à nostris maioribus ad Christi memoriã ædificata, resarcire permittatur: quæ Mahometæi sacerdotes nullo vnquã tempore ab imperio Christicolis erepto renouare passi sunt. Soldanis enim præteritis, Mahometæa lege vetitum id fuisse, sacerdotes persuaserãt. Neq; in ipsa vrbe solùm, sed in Beryto, Rama, Bethleem, cæterisq; locis, quibus extant aliqua de Christi gestis monumenta, modò velitis, iam licet reficere. Stereà vt nouæ exactiones & recentia tributa tollantur, quæ per Soldanicos magistratus in peregrinos ad intolerandum iam cumulum adaucta fuerant, & persoluere nemo iam quiret: vtq; ignominijs in peregrinos illatis prouideretur: ad vetera maiorum tributa, peregrinorum persolutiones redigantur: si quis peregrinum posthàc molestia vel ignominia confecerit, grauiter puniatur, efflagito. Hæc breuibus, Christianissimi duo consortes & clara orbis lumina, nè grauibus implicitos longa nimìs oratione fatigem. Ad alia igitur deueniamus. Intereà dum chirographa per famulos à manu expediuntur, negocijs iam exolutus,

lutus, ſi quæ ſint Aegyptiorum veterum adhuc per ea loca monumenta, perquirens, duas pyramides miræ magnitudinis trans Nilum in agro Babylonico, ad milliare tamen circiter vigeſimum extare cognoſco: ab vrbe nanque ipſa Cairo apparent. Quarè vt mihi liceat conuicina luſtrare, à Soldano per Trucimanum expoſco. Placere ſibi ſummoperè Soldanus reſpondet. Attamen nè ſine tuto comitatu vllo pacto exeam domo, imperat: propter populum ab oratoribus Afris, à Iudæis, à neophytis exlegibus, & à Granatenſibus ad iram impulſum. Confeſtimq; duos ex Palatinis ſibi charioribus principibus accerſit: vt ad me veniant, nè me vnquam deſerant, nè detrimenti quid mihi aut moleſtiæ accidat, edicit. Trucimanum, qui nobis erat dux futurus, vt omnia diligenter inſpectet, periculis omnibus prouideat, vt incolumes ducamur ac reducamur, cum animi angore & ingenti ſolicitudine monet: ſe curam non depoſiturum, donèc nos redijſſe præſcierit, enunciat. Poſtero die, qui erat ſeptimus Iduum Februarij, hora antelucana, facibus accenſis præeuntibus, ad viſendas pyramides iter capturus exeo, Trucimano & duobus aulicis optimatibus cum ingenti comitatu me circunſepientibus. Ibì ciuitatis eius longitudinem eſſe immenſam hoc argumento collegi. Trucimani domus, quæ mihi hoſpitio fuerat obſignata, mœnibus vrbis inhærebat: à latere tamen vrbis initio aduerſo Nilo ſtadia circiter quatuor. Nec vrbis ipſius vltimum ſuburbium, quod adhuc Babylon ipſi appellant, percurrere deſieramus, quandò iam ſol ab horizonte nihil minus horis duabus emerſerat: alicubì tamen ſine domorum frequentia pleriſque

riſque

risque ſpatiolis interiectis. Vrbe igitur à tergo relicta, cùm primùm Nilum tranauimus, inter palmeta, quæ viſum adhuc nobis parumpèr præpediebant, ſeſe nobis inſtar montium elatæ in planitie vaſta pyramides offerunt. Has adimus: viſas admiramur. Tunc Bilbilitani vatis Hiſpani veſtri Martialis carmen de pyramidum miraculis non ineptè prolatū iudicaui. Sunt quidē inauditæ molis, ingens ſtructura: nec iam, quæ de viginti millibus hominum, cum viginti annorum labore, cum inenarrabili panis, ceparum ac porrorum numero & pondere, ab hiſtoricis ediſſeruntur, fabuloſa eſſe contenderem. Ipſarum tamē altera grādior eſt, ſed forma pares. Sunt namque pyramides omnes orthogoniæ, æquilateræ, amplę, ab imo in acutum ſemper ad verticem vſque leniter tendentes. Eſt earum altitudo ingens adeò, quòd in radice ſtantibus quicunque aſſcenderit, dimidio minor videatur. Per ipſarum ego rupturas, quæ fuerunt ad alia intra vrbem ædificia conſtruenda excoriatæ, ex meis familiaribus iuſsi quoſdam aſſcendere: qui caligari ſibi deſpiciendo oculos, mariaq́ꝫ ac terras ſeſe ſub pedibus habere exiſtimâſſe, retulerūt. Ab imo in modum turbinis acui videntur: ſed lapideam tabulā triginta hominum capacem, quę totū claudit opus, in culmine maioris iacére, qui aſſcenderāt, nobis enarrârunt. Huius egoipſe grandioris circunferentiam dimenſus, de quatuor lateribus vnū reperi quindecim ſupra tercentum meis paſsibus conſtare. Quarè quod extra ſolum patet, eſſe paſſuum in gyro circiter tercentum ſupra mille colligitur: ſed longa vetuſtate, ſaxorumq́ꝫ fragmentis tellurē ibì plures cubitos creuiſſe, ſubrutamq́ꝫ nunc eſſe pyramidem, & multo quondàm fuiſſe

ſpatio-

tiosiorem, compræhenditur. Nec his contentus, solidá ne sit, aut cõcaua pyramis, interrogo. Tunc sic ex principibus alter sermonẽ orditur: Ex quo structuram hanc, quisquis veterum illam condiderit, absoluit, incolarum nemini constitit vnq̃: aditum habere, aut concauam esse præsensit: neq; enim magnæ nobis curæ est huiuscemodi secreta indagare: nostra verò tẽpestate ignotus quidam ex Mauritania vobis finitima, qui sibi peritiã antiquitatis arrogabat, ad nos venit, Soldanũ efflagitat, vt ostium pyramidis huius, quod se didicisse prędicabat, aperire liceret: inuenturum sese absconditos thesauros inquiens. Venia impenditur: huc venit: pyramidis huius latus æstiuum orientale perquirit: ostium clausum paulò differentẽ à cæteris inuenit: claudentem ostium lapidem tollit, qui iacebat in ipsius lateris medio, ab imo dimetiendo ad summũ. Nec vir iste vsquàm gentium apparuit vltrà. Pyramidẽ igitur lustrauimus: & quà Maurus ille aditũ patefecerat, latus capimus: ex meis comitibus iussi, cum facibus accẽsis siliceq; parato ad ignem, si faces extinguerentur, excutiendum introire. Ego autem & vnà mecum principes ex ostij faucibus despectamus. Est via leniter decliuis, lubrica, marmorea, angusta, passuũ clxxv. vtì aiunt, qua vix genibus flexis, aut si pedibus, inclinato ad vterum capite, descendere liceat: descendunt igitur, quid ibì sit, quæritant: forniceam cameram passuum fortè duodecim testudineã, atq; penetralia duo maiori camerę inhęrentia in cõcauo reperiunt: ibì grandem tumulũ & paruula sepulcra iacére animaduertunt. Illustrem aliquem virum cum aut vxorum, aut pellicum, aut filiorum turba fuisse illic humatum, existimârunt. Pyramides enim sepul-

cralia veterũ habitacula fuiſſe legitur. Structura verò ipſius molis, ex lapide marmoreo flauo aliquantiſpèr, non autem albido, æqua ferè menſura conciſo: quadrangulares enim ſinguli, ſed non penitùs ſunt orthogoni, cùm ab latitudine longitudo paululùm diſtet, à longitudine verò nihil differt profunditas. Lapidẽ ex illis nullũ dimenſus ex incuria ſum: ſed ſeptipedales longitudine eſſe arbitror. Ex quodã deindè elato tumulo arenoſo, cùm Oriẽtem auſtralem versùs ocùlos flexiſſem, plurimos colles ad milliare circiter quinquageſimum aduerſo flumine à nobis proſpicere viſus, quid illud eſſet, interrogo. Pyramides oẽs, atq; ex illis grandiores aliquas eis quas pertractauimus, eſſe didici: ibiq́; illuſtris vrbis adhuc extare veſtigia, ſed diruta, ſerpentibusq́; tantùm habitata retulerunt. Quarè Memphim eam fuiſſe, pyramidum miraculis celebratam: non autem Cairum vrbem, nunc prouinciæ caput, vtì plerique autumant, exiſtimo: cùm hîc duæ tantùm, illic innumeræ ſint inſignes magnitudine, lõgeq́; diſtent hæ à Cairo. Pyramidibus ità perluſtratis, ad milliare circiter dimidiũ ducor: vbì marmorei coloſsi corpus truncum, cui iam vetuſtate aures erant naresque collapſæ, à pectore iacebat. Cuius fuerit quondàm ſimulacrum illud, minimè ſcitur. Id ego caput dimenſus, octo & quinquaginta paſſus eius eſſe circunferentiam reperi. His ità conſpectis, domùm reuerſuri, per alias eius Niliacæ planitiei pratorum ſemitas virentium, inter equorũ & camelorum copias innumeras, & Mameluchorum tentoria caſtrenſia diſpoſita, regredimur. Quidnã ſibi vellent ea caſtra tot iumentis circũſepta, eo præſertim anni tempore, cùm octaua Februarij eſſet Idus, percõtatus, hęc

Memphis.

Caput marmoreum 58. paſſuum.

à Tru-

à Trucimano, qui mores adhuc Hispanos, in hisce rebus memoria tenebat, habui: Soletis in Hispania vos Aprili & plerisque in locis Maio mensibus equos herbatum mittere: nos autem Ianuario & Februario mensibus iumenta nostra in pascuis habemus: illis enim temporibus sicca sunt iam apud nos prata omnia. Nilusq; ripas iterùm tempore illo superare, atq; prouinciam omnem inundare incipit. Expectatum igitur fluminis incrementum, præsens herbarum, quas adeò virentes ac floridas in hac vasta planitie conspicis, opportunitas: cumq; hìc nullo vnquam tempore frigus ingens vigeat, sub dio in agris iumenta nunc habere coguntur. Tẽtoria verò, in quibus nostri ad iumentorum curam serui destinati sese noctù recipiant, quotannìsità erigimus. Hæc ille. Ego autem inter eundum, quod operæprecium est inspicere, quem ordinẽ in iumentis pascendis, nè quid de pascuis pedibus dispergatur, seruent, delectatus sum cognoscere. Vbì primum suæ quisq; partis marginẽ per camelos & equos tutudit: in solo iam vacuo suis quisque seruus iumẽtis ad infixas terræ vacerras sudales adustas, pedes alligat posteriores, vt vix protento rostro dentibus herbã queant appræhẽdere. Ea verò quæ proximior est depasta, vacerris euulsis, pedetentìm ad herbam iumenta propiùs applicant. Singulisq; ità fit diebus, donèc ad vltimos herbaturæ suæ terminos perueniant. Portiones enim ex illis pascuis à Soldano Mameluchis pro cuiusque gradu per pedatos distribuuntur, velutì cùm intra vrbẽ sunt de collecto ex horreis hordeo. Ità sole ad occasum vergente Nilum traijcimus, domũq; reuertimur. Postridiè verò ab his, quibus fuerat à Soldano de me cura demãdata, peto, vt me ad eum locum

Mameluchorũ pabulandi modus.

vbì Christus latuerat, intereà loci dum Herodes Hierosolymis moraretur, perducerent: tum vt loci numẽ colerem, tum etiam quoniam ibidèm balsami arbusta consederant, id exoptabam. Eum locum nostra tempestate Mataræã incolæ appellant: qui ab vrbe Cairi passuũ millia circiter decẽ distat. Mercurij igitur die, sexto Idus Februarij, q nostræ Quadragesimæ primus eo anno fuit, vbì primùm eluxit, Matarȩam versùs proficiscimur: palatium primo adspectu & prima fronte regali mole constructum ingredimur, in internis autem dirutum: eô quòd desertum, ex quo balsami arbusta interiêre. Illuc enim, quo tempore balsamum colligebatur, Soldani, relaxãdi animi gratia, sese quotannìs conferebant. Pròh dolor, adeò preciosi arbusta liquoris interiêre: sed incertum, an custodũ incuria, an fraude dolóve & inuidia, an religione & pietate læsa, id acciderit. Quidam enim, viridarij custodes, terrã irrigando malè temperâsse aiunt. Ex fonte nanque viuo, puteali tamen, in eo loco scaturienti aqua exhausta, arbusta illa rigabãtur: eumq; liquorem, quo balsamum condiebatur, nutriebant: neque enim ex simplici illa materia balsamũ constabat: quod non aliter ex perfractis aut concisis ramis per stirias & guttas cadentes colligebatur, quàm ex vitium putaturis lachrymales guttæ cadunt, cùm apud nos verno tẽpore palmites incíduntur. Sed nullam præter eius fontis aquam, transplantatis balsami arbustis ad hoc vt nascerentur, aut adultis vt coalescerent, profuisse vnquàm, longo experimento comprobatum est. Immò & cùm in aliud solum transferrẽtur, eadem etiam aqua indè absportata, parùm viguisse. Rex enim quondàm Cyprius, nomine Iaches, Caitbeio Soldano permittente, arbusta pauca cupasq; ipsa aqua ple-

nas, quibus illa irrigaret, in Cyprũ afferri iussit: vbì neque balsamum procreabant, neq; frutices diù vixerunt. Qui verò fraudem intercessisse suspicantur, mulierem custodis ipsius horti vxorẽ, consultò interiorem textam multitiam, mẽstruo illitam, fonte immersisse, referunt: menstrualisq; veneni vim adeò atrocem fuisse, vt aqua infecta arbustorum radices omnes, cùm per illas riuuli deducerentur, concremauerit. Ast qui læsam pietatem fuisse credunt, ità prædicant: Cautum fuit semper priscorum regum Soldanorum decreto, nè Iudaicæ peruicaciæ balsametum quisquam ingrederetur: nè quid ignominiosum in loci numen perpetrarent: cùm in eo fonte paruuli Iesu, quo tempore in Aegypto latitauit, pãnos quibus inuoluebatur, Maria virgo lauerit: vbiq; arbusta germinabant, ibì soli siccandos exposuerit. Beatã nanque virginem Mauri obseruant, eiusq; nomen religiosissimè venerãtur. Incautos igitur ad horti custodiam Soldani œconomos, Iudæum, qui se Maurum profitebatur, admisisse inquiunt: Iudæamq; vxorem suam quam intromisit, paruulum vtriusque filium, linteaq; infantuli, in opprobriũ loti Christi, in ipso fonte immersisse, ac lintea ibidèm siccanda protendisse, volunt. Quarè terram, cuius virtute arbusta germinabãt, fontẽq;, cuius vigore rigata nutriebãtur, ilicò post contumeliã, vim suam amisisse inhæsitanter inquiunt. Vtcunquè sit, omnia illa arbusta radicitùs interiêre, nec vllũ ex eis extat vestigiũ. Ea in roseti modum aucta, intra quinquenniũ senescebãt: sed ipsorũ rami in idem solũ transplãtati, facilè ad suũ genus instaurandum pullulabant. Est autem id balsameti spatium passuum longitudine numero circiter ducentorũ, latitudine verò non multo plus

dimidio: terreis aggeribus sine calce ac lapidibus circunseptum. Dum intereà ego ista perquirerẽ, sub vicino quodã tuguriolo, in quo infantulum Iesum virgo latens lactabat, sacris dicendis mihi altare paratur: quibus per eum, qui Hierosolymis cœnobij beati Francisci in monte Sion Guardianus summi põtificis pro Christicolis occidentalibus vicem gerit, ritè peractis, duo summę pietatis in hominibus aduersæ legis argumẽta annotaui, quæ prætermittenda minimè duxi: Extat in prædicto tugurio intra murum cauata quædam in modum armarioli fenestella, in qua paruulum infantem curiosa virgo, dum sibi aliquandò foris victum quæritaret, recondebat: ibì ardentem perpetuò lampadem Mauri seruant. Tenẽt & aliam, funiculo traiecto illi arbori, quam sese aperuisse, transeuntiq́ Iesu cessisse, populus credit, appensam: arboremq́ ipsam reuerenter obseruant, ficulneam: ipsi Pharaonis arborem appellant. Ea verò est, quæ à nostris sycomorus dicitur, terræ illius arbor peculiaris. Ex hac egoipse ficulnea, quæ ingens est, tres carpsi fœtus, quorum forma, mediocris est piri, sed mollitie ac gustu insipidi, ficum æmulantur: nec, vtì cæteri omnes fructus arborei, ex recentioribus ramulis huius arboris fœtus nascuntur, sed ex veterum ramorum truncis procreati vbertìm exiliunt: velutì ex vno interdùm ramulo compressa prosiliũt multa pruna. Tres eas, quas collegi, bactras ad vos ferendas, licèt siccas, seruo. Prandium intereà dum ista perlustramus paratur, sub dio tamen, in putealis eiusdem fontis margine, qui balsametum infelix irrigabat quondàm. Discumbimus solo vnà, ex ipsius Guardiani oriẽtalis ore, vice pontificis nostri, venia, Mahometæi & Christicolæ: sed carnes illi,

illi, nos pisces epulabamur. Minuta hæc, vt quòd eo die post sumptas epulas de illius aquæ bonitate periculum fecerim, inserere queam, recenseo. Cùm ex piscium varij generis satietate ingens me sitis vrgeret, (quanuìs ex medicorũ consilio aqua mihi esset, ob quasdam valetudines, interdictũ & piscibus) ter ad saturitatem vsque, quisnam in eo fonte lotus fuisset, memor, ex aqua illa ità plenis faucibus potaui, vt hydropico similis, turgidus effectus, cingulum soluere coactus fuerim. Ilicoq; sensi, mihi summoperè profuisse. Totã prætereà illius anni Quadragesimam cum pisciũ vsu Nili fluminis aquã solam interdùm, interdùm vino commixtã, bibi: nec stomacho vnq̃, qui me sæpissimè fatigabat, aut alicui corporis parti iacturam mihi attulisse cognoui. Est prætereà leuitatis ac saporis aqua Niliaca, meo iudicio, laudabilis. Quas dotes illi aquæ ex feruore radiorum solis, quibus per torridæ zonæ furentes æstus labens decoquitur, arbitror contingere. Neque enim dubium est, siue de lunæ mõtibus vltra æquinoctialem iacentibus, siue aliundè Nilus deueniat, quin per Aethiopum regiones Nili fluenta decurrant: ex quorum montibus Nilum sumere incrementum incolæ prædicant. Nam cùm ad nos diẽ producturus, æquinoctialem circulum per arietis cornua sol trãsiens ascendit, niuales Aethiopum adurens montes, niues liquefacit: quas ad imas valles cadentes Nilus recipit, & æstate præter cæterorum fluminũ naturã intumescit, Aegyptios agros arenosos irrigat, ac fertiles reddit, qui aliâs ob terræ siccitatem nullum producerent fructũ: pluit enim raro. Sapientum omniũ de ortu atq; incremento Nili accuratè disceptationes perlégi: sed ortus ipsius ità incertus ab indigenis relin-

Aqua fontis Balsameti.

Aqua Nili

quitur, velutì ab illis hactenùs. Allocutus enim ſum diuerſarũ Indiæ regionum incolas Aethiopesq́; plures, quorum ingens multitudo in Cairo vrbe negociatur: nec eorum quiſquam, cùm per ipſorũ terras labi Nilus dicatur, credibile quicquam refert: fabulãtur tamen multa. Incrementi autem certam eſſe atq; vnicam eam, quam attulimus, rationem, rerum experiẽtia prudẽtiores, & qui prouinciarum naturam indagârunt, affirmãt. Neq; arenas in oſtijs Nili boreali flatu aggregatas, aut Eteſijs, vt pleriq; volunt, aut aliam vllam de allegatis hiſtoricis rationibus cauſam eſſe, quòd Nilus retrocedat, dici patiuntur. Nunc verò, quandoquidem in huius fluminis mẽtionem incidimus, non erit abſonum de ordine ab Aegyptijs circa Nili tumores ſeruato, nouisq́; Niliacorum crocodilorum caſibus mihi per incolas enarratis, pauca recenſere. Cairi ciuitas oblonga eſt, ſed anguſta, ad Nili ripam protenta. Intra Nilum autem vrbi inſula adiacet duorum circiter milliarium, cuius initium, impetum Nili ſuſcipiens, muris in acutum incipientibus, & ſe in latum ſtatìm porrigentibus, munitum eſt. In cuius acuta proiectura turris extat lapidea, in qua per alnas eorum, quas piccos appellant & quartas ac digitos, ſigna ſunt circunciſa. Eſt eorum alna, veſtrâ Hiſpanâ, quam varam veſter populus vocat, ſpithamâ grandi minor. Columnæ huic, æſtate iam aduentante, multi aſsident: vt qui primus Nilum creſcere denunciauerit, pinguem ſtrenam aſſequatur. Itidemq́; fit quotidiè, donèc tumeſcere deſinat. Aſt fluuio ad altitudinem quatuordecim piccorum, id eſt, alnarũ, ſurgente, ſuperare ripas Nilus, & per campos ac foſſas manu factas ſeſe protendere, prouinciámque inundans irrigare incipit. Eſt Nili vtilis inunda-

tio, ad menſuram vſq; illius columnæ piccorum duorum & viginti: ſi verò eam exuperet, id rarò tamen accidit, damna potiùs quàm vtilitatem affert. Caitbeius propterea Soldanus is, quem ſenem dicunt, de quo ſuprà mentionem fecimus, foſſam eduxit nouam, quæ incrementum illud, ſi quandò accidat, in ſe recipiat: & ad deſertas alias regiones ſuperuacaneam aquam abducat, ac fertiles eo anno reddat. Infra vrbem verò per foſſas diuiditur Nilus antiquus, (quarum aliquas Cæſarem conſtruxiſſe memoria proditum eſt) munitiſsimis aggeribus à fronte, nè torrentis aquæ impetus illas diſrumpat, conſtructis. Quælibet autem foſſarum ſuum habet ad mare Aegyptium exitum. Prouincias, per quas incrementi tempore aquæ Niliacę fluunt, irrigant & pingues faciunt. In omnibus prętereà foſſarum alueis auiū piſciumq; multifariàm generatur multitudo, aliturq;, ſed præcipuè in paludibus maxima. Varia præter piſces & aues monſtra in eius alueo nutriuntur: inter q̄ Crocodilus quadrupes tā aquaticum, quàm terreſtre. Quòd nō habeat vndè egerat, præterquàm per os: quòd ſolus inter bruta lachrymetur: quòd fugiat, ſi recto illum oculo quis inſpexerit: ſequatur verò, ſi meticuloſum obuium ſenſerit, ac interimat: aliaq; huiuſcemodi multa multi retulêre: propterea miſſa hæc omnia facere cōſtituo. Quæ autem ego inter nauigādum ab accolis nautis noua perdidici, mens eſt diſſerere. Ab vrbe Cairo ad mare vſque, non ſemper noxios eſſe crocodilos referunt: ab vrbe autem aduerſo Nilo, quanto altiùs versùs montana nauigatur, tanto violentiores ferocioresq; aqua & terris eſſe aiunt. Pleraſque eius rei cauſas mihi interroganti adduxerunt in medium: Primùm,

De crocodilis ſcitu digna.

mùm, quòd ea Nili pars, quæ inter vrbē & mare iacet, piſcibus, tum in Nilo enutritis, tum ex mari prodeuntibus, quibus crocodili veſcũtur, ſemper abundet: propterea piſcibus cõtentos, in terram illos non longè à ripa deſcendere, hominibus aut quadrupedibus damna illaturos, prædicant. Cùm autem & inferiores crocodili, & piſcatorum ingens multitudo, piſciũ turbas ad ſuperna trāſire, quin illos retibus intercipiāt, paucas patiantur: crocodili qui ſuperiores Nili partes incolunt, atrociori fame vrgētur: ità famelica rabie arreptos, in terram deſcendere illos, inquiunt, adoririq́; ac perimere quicquid obium fit. Quædã præterea præmij ſpes magnos crocodilos capientibus propoſita, facit, vt multo pauciores audeant à Nili ripis lõgiùs prodire: cuique enim ad vrbē Cairũ crocodilũ grandiorē afferenti, aurei nummi de fiſco præbentur decē. Quamobrem crocodilis grandibus circa vrbem, vt alibì leonibus, vrſis, cęterisq́; brutis animalibus violētis ac rapacibus, dulci habendæ pecuniæ ſpe, multę inſidiæ parantur. Tunc autem crocodili noxiores ſunt, damnaq́; ad vicina rura exeuntes maiora inferunt, quãdò redijt ad alueũ Nilus: cum nanque ſint eo tempore Nili oſtia magìs arenoſa, ob humiliorem aquæ in ipſis faucibus profunditatem, minor marinorũ piſciũ copia per fluenta Nili aſcendit. Indè fame compulſos, cùm Niliaci piſces illis ad ſaturitatem non ſuppetant, victum ipſos terra quæritare aiunt. Hîc eueniſſe prædicant accolæ, quòd Nilo ad alueum deducto, ſæpè lateāt in inſidijs obuoluti cœno crocodili in ripæ ora, in eorum locorum vicinia, ad quæ Niliaci rurales, aut oppidani fœminas aquę capiendæ gratia mittunt: immiſſoq́; per ancillam cantharo in aquæ de-

Varij crocodilorum aſtus.

decursum, crocodilum, inquiunt, transilire, & fœminam dentibus, quos habet rapacissimos, manu, qua cantharum immisit, rapere, ac in fluuium in caput tractam dilacerare. Camelum, equum, iuuẽcam, & quodcunque genus quadrupedis ei occurrit, cùm in terram famelicus exit crocodilus grandior, ictu caudæ adeò acriter ferit, vt illud, cruribus fractis, prostret, ac demùm interimat. Tanta est enim illius caudæ vis, vt fregisse quatuor vno ictu grandioris animalis crura repertus sit aliquandò. Emergit aliud imminens periculum decrementi tempore Nilum pernauigantibus. Cùm enim contra Nili torrentem ascenditur, deficiente vento, sæpiùs contis quàm remis agitur: nauemq́ue asscẽdentem crocodili latenter sequuntur: & nautam, cùm crocodilus videat conto ad expungendam nauem totum fixo pectore inhærere, ictu caudæ conto acriter discusso, præcipitem cadere in fluuium facit: ac vix delapsum rapit, & vorat. Sponda etiam manibus appræhensa ingressum plerunquè tentâsse, aut nauim deuoluere fuisse conatos, asserunt. Tanta est eorum rabies fame vrgente. Est crocodilorum alia à quadrupedibus in progressu natura: cũ enim è Nilo in terrã lõgiùs proficiscũtur, alia nesciunt regredi via, q̃ per ea vestigia, quæ in arena venientes reliquerunt: proptereà cùm descendisse crocodilum incolæ præsentiunt, celeri cursu cum ligonibus & ramorum fascibus accurrunt: in eaq́ue semita fossam profundam effodiunt, ac ramis illam superimpositis arena contegunt, nè rediens crocodilus insidias sentiat: dehinc per vestigia crocodilum quæritant: sic repertum, strepitu & lituorum æneorumq́ue tinnitu

tu in fugam versum insequuntur. Ità in foueam delabentem aut perimunt, aut laqueis irretitum ad vrbem portant. Diximus enim, decem aureorum præmium, esse grandes crocodilos viuos afferenti propositum. Paucis antequàm ego adijssem diebus, vnum allatum fuisse viuum mihi retulit magnus interpres, quem vix duo possent cameli simul, vtì boues araturi, coniuncti, tergo sufferre. Alius eodem tēpore magnæ molis crocodilus in regione quæ Nilo adiacet, nomine Saëtum, tres infantes in quodam rure Niliaco è cunis raptos deglutiuit. Captus tamen, modo quo diximus capi solere, fuit interemptus: euulsosq́ infantes vix adhuc exanimes fuisse sepultos, referebatur. Ijsdem diebus ex vtero alterius irretiti ac trucidati arietem ferè integrum voratum, ac vnam dilaceratæ mulieris manum, armilla adhuc extante ænea, se extraxisse quidā accolæ perhibebant. Habitos enim, quandocunq; curæ nō sit ad vrbem eos afferre, excoriant: cùm vtile ad multa medicamenta crocodilorum abdomen esse didicerint. Nec desunt etiam, qui corium illorum quæritent, quod est adeò durum, vt neque sagitta transfigi posſit. Testudinei nanque conchylis ferè duritiem æmulatur: quanquàm non eam habeant à natura corporis formam: est quippe crocodilus lacerto, quem vestrum idioma Lagartum appellat, persimilis, sed rostro porcino, collo reductisſimo, dentibus albentibus, feris, oblongis, dorso squamis (vt diximus) durisſimis armato, cauda breui, crassa, in turbinem à corpore desinenti, non vtì in cæteris quadrupedibus, sed vtì in piscibus cernimus: lacertis breuibus, vnguibus rapacisſimis: vrsinas diceretis crocodili manus, pedesq́, nisì huic essent squammei, illi autem villosi: colore flauo, ventre verò

ſubalbido, nec tantæ duritiei. Crocodilos præ- Crocodilus Zelotipus.
tereà zelotypos & amantiſsimos vxorum, aiunt
Aegyptij: quod hoc experimento comprobârũt.
Ijſdem ferè temporibus, quibus ego regiones il-
las peragrabam, nautæ quidam adnauigãdo cùm
cernerent crocodilos coëuntes in inſula Niliaca,
quam fluuij decrementum ſiccam reliquerat, ad
eos cum ingenti ſtrepitu ac minitantibus ſimiles
deſcendunt. Indè maſculus primo impetu perter-
ritus, relicta vxore reſupina, ſeſe præcipitem in
fluuium dedit. Reſupinat enim illã maſculus, &
in ventrem deuoluit: cùm ipſa ob crurum breui-
tatem per ſe minime queat, atque ità relictam
eius vxorem nautæ interimunt, auferuntq́. Cùm
verò maſculus redijſſet, vxore non reperta, con-
ſpectoq́ in arena ſanguine, peremptã & ablatam
coniectatus, ad nauim aduerſo Nilo ira concitus,
veluti rabidus, deſpumans natando percurrit:
ratem vnguibus tenaciſsimè comprẹhẽdit, omni
conatu nititur ſuî oblítus, nautas perempturus,
intra nauim proſilire. Verùm enim fuſtibus ac te-
lis nautæ illum in caput alij, alij in digitos quibus
ſeſe ſuſpendebat, ità concuſſerunt, vt attritis ma-
nibus, capite quaſſato, linquere prouinciam, quã
ſumpſerat, coactus fuerit. Timuêre tamen nau-
tæ non mediocriter. De crocodilis & incremen-
to Nili, iam nimìs multa. Quarè vt ad iter, vndè
vagans exilieram, rediens, epiſtolam claudere
tandèm valeam, quid mihi poſt hæc cum Solda-
no ſucceſſerit, exarabo. Nono Kal. Martij in ſum-
ma populi corona & Mameluchorũ ſpectaculo,
ad Soldanũ tertiò vocor. Accedentem me huma-
niſsimè ac ſerena fronte cõpellat: ſeſe denuò, ſu-
aq́ omnia palàm offert: veſtem cõcordiæ ſignum
mihi iubet afferri: oratoribus nanque omnibus à
Sol-

à Soldano ex ipſius arce diſcedentibus, ex more gentis, veſtis exhibetur. Sed cymatilis tãtùm, aut ex ſimplici ſerico, linea tela ſupplicato. Mihi autem, vt fraternum inſolubile fœdus, me iaciente, vobiſcum inijſſe adſtantes ſuſpicarentur, ex auro intexto miráque arte, vtì videbitis, cum Arabicis literis inſutis laboratam, arminijsq́ candentibus magno emptis ſuffultam, dono dedit. Aulicis deindè ſuis, vt ſic indutum per vrbem adusque meum contubernium comitarentur, imperauit. Per latam quandam planitiem ex induſtria inter principum Mahometęæ legis ſepulcra, quæ nemini Chriſtiano perambulare licet impunè, ab ipſiſmet ducor. Illa non pyramidea, vt Aegyptij quondàm cõſtruere ſolebãt, ſed haud ſecùs ac generales ſuæ Meſchitæ ſtructura fabricantur. Intra hæc ſuo & ipſi Mahometæ, quem paracletum à Chriſto vaticinatum garriunt ac fabulantur, ſacerdotes inſtituunt, qui ſuo ritu ſacra ibì in ipſorum peragant memoriam. Circumeunt autem ſuperba hæc dominorum ſepulcra, clientum ac filiorum & pellicum ſub dio tumuli: ad ſuorumq́ quiſque ſepulcra quotoquoque die Veneri ſignato (is enim eſt Mahometęorum dies feſtus) ſacra pro ritu eorum dicturus graditur: ſepulcráque aſſperſione frigentis aquæ, cum ramis frondentibus & odoratis herbis, defunctorum vmbris hęc profutura credentes, ſuo more ſalutant. Ego igitur ea via domùm rediens, expedita per famulos à manibus, quæcunque poſtulaueram, chirographa recepi. Ad diſceſſum me iam accingo. Impenſa Soldani, nauigia parantur. Nilum Alexãdriam versùs denauigaturus, tertio Kal. Martij, lętus, ijſdem qui me adduxerant, mecum redeuntibus, conſcendo.

do. Alexandriam quarto nonas Martias perrexi. A prorege honorificè suscipior. Id enim per prȩcursores à suo principe in mandatis habuit: aliter nanque eam minimè curam fuisset complexus, cùm nihili penitùs faciant omne Christianorum genus: seséq; solos viuere in orbe terrarum qui strenui sint atque imperio digni, arbitrentur: ludibrioq́; sibi cedere ducant, Christiano cuiquam honorem exhibere. Sed attendite catholici principes, cur nos Barbarum ac syluestre ab incunabulis hoc genus hominum ità paruipendat, quibus´ve argumentis innixa gens hȩc imperita, nullius virtutis particeps, immersa cœnosæ libidini, detestandis erroribus implicita, rationis penitùs expers, hoc de se, illud de nobis, sibi posse persuadere existimet. Quater parua manu ingentes Turcarum copias Mameluchi profligârunt: propterea de se nimiùm sibi credunt. Christicolas autem omnes duabus rationibus penitùs cõtemnunt. Cùm nanq; mercatores, qui ad eos assiduè cõmeant, ingentesq́; opũ aceruos inutilium aromatum & effœminantiũ viriles animos gemmarũ permutandarũ gratia important, opprobriosa ferre passim ludibria, ignominias, contumelias, iniurias, lucri gulosa rabie captos videant: cùm nacti occasionem quamcunq; leuem, nobiles etiã Venetos (quos Barbari, quia ex vicino cȩteris negociatoribus opulẽtiores esse cognoscunt, Christianorum principes arbitrantur) catenis, carceribus, tormentisq́; interdùm, vt eos expilent, quotidiè premant: patientérque omnia lucri causa tolerare conspiciant, viles esse ac nullius momenti homines, Christianos omnes autumant. Sed tum præcipuè, quod in Christianorum principum dedecus cedit, fronte

rugo-

rugosa nasoq́ adunco quantulumcũque plebeij, prætereuntibus nobis irrident ac subsannant, & eam quam sibi imbiberunt arrogantiam confirmant, quandò ipsis subit in mentem, se nostrę fidei domum initialem, nobis inuitis & silentibus, sub sua ditione per tot iam secula impunè, indiès collabentem, retinuisse: nec ausos vnquàm Christianos fuisse, de illa è manibus eorum redimenda, cogitare. Iure igitur merito nos, qui rerũ domini quondàm esse solebamus, ab immanissimis & truculentis Barbaris ità negligimur. Hæc volui, catholici principes, in epistolæ calce recensere: non quô putem orationis meæ calcaribus addere quicquam posse vobis, qui à primis vnguiculis de expurganda, tutanda, protendendaq́, quam profitemini, religione sentẽtiam induistis. Nulli enim alteri rei magìs vnquàm, post intra Europæ limites stratas Maurorum vires, inuigilâstis, quàm de traijciendo in Mahometæos in Africam exercitu: fecissetísque iandudùm, si per aliorum insatiabilem & inexhaustam imperij cupiditatem licuisset. Sed ira concitus, cùm ista videam nostra accidere desidia, remq́ Christianam indiès magìs ac magìs intestinis seditionibus in deterius labi conspiciam, impatiens euomo. Intercludatur tandèm exundãs nimiùm hic noster riuulus. Galeaceas adhuc stare in ancoris easdem, quæ me transmiserant, reperi. Dum hæ sua peragunt cõmercia, in Europã renauigante Venetias versùs nauigiolo, cui me credere nõ fuit consilium, tertiã hanc ad catholicã vestrã maiestatẽ do. Cætera egoipse viua voce, si per piratas, per maris irã, per incolumitatẽ licuerit, corã relaturus. Felicibus intereà viuant auibus, precor. Ex vrbe Alexãdria Aegyptia, quarto Nonas April. M.D.II.

DAMIANI

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI OPVSCVLA ALIQVOT HISTORICA, LECTV IVCVNDISSIMA, VIDELICET,

De Fide, Religione, moribusq́; Aethiopum.

Epiſtolæ aliquot Precioſi Ioannis, Paulo Iouio, & ipſo Damiano, interpretibus.

Deploratio Lappianæ gentis.

Lappiæ deſcriptio.

Bellum Cambaicum I.

Bellum Cambaicum II.

De rebus & Imperio Luſitanorũ, ad Paulum Iouium diſceptatiuncula.

Hiſpaniæ vbertas & potentia.

Pro Hiſpania aduersùs Munſterum defenſio.

NOS Decanus cæteríque ſacræ Theologicæ facultatis doctores, in hac celebri Louanienſi vniuerſitate Regentes, Vniuerſis & ſingulis cuiuſuis ordinis ac religionis, ſalutem & Chriſti ſeruatoris noſtri pacem. Notũ vobis facimus, librum, quẽ D. Damianus à Goes, eques Luſitanus, de Fide, Religione, moribúsq; Aethiopum Latinum fecit, à nobis, ipſomet domino Damiano petente, cùm adhuc impreſſus non eſſet, viſitatum, examinatúmque diligentia omni adhibita, fuiſſe. Cuius lectio hîc per nos approbata fuit, cùm liber ipſe contineat narrationem eorũ quæ cognitione digna ſunt. Et quoniam hæc vera ſunt, denuò hac noſtra approbatione, cui ſigillũ facultatis noſtræ quoq; adiunximus, iterùm teſtamur eundem ipſum librum talẽ eſſe, qui ſine aliqua oppoſitione paſsìm per totum orbem legi & deportari poſſit. Datum Louanij, Anno à natiuitate Domini M. D. XLI. Menſis Iulij die xij.

Iohannes van Houe, dictæ ſacræ Theologicæ facultatis Bedellus & Notarius.

DAMI-


DAMIANVS A GOES EQVES LVSITANVS, PAVLO PONTIFICI ROMANO TERTIO S. P. D.

NVLLA haud dubiè est res, in qua vberiùs niti debeamus, quàm vt totus terræ orbis (si id aliter fieri non poterit) labore, sumptu, martyrio, ac omniũ nostrûm cruciatibus, ad Christi fidem alliciatur: allectusque, vt sub vnũ ordinẽ & viuendi ritũ redigatur. Cuius rei cura, tibi Paule Põtifex Maxime, qui vt primus Episcopus, & Christi vicarius, eius vniuersali Ecclesiæ præsides, cæteris nobis omnibus magis debetur. Quamobrèm tuũ est officium, (quod etiã iam cum magna spe omniũ incepisti) calamitatibus, quotidiè ipsius Christi ouili occurrentibus, mederi, & opera & studio tuo efficere, vt ipsi soli Christo totus mundus pareat, ac credat: cùm verò crediderit, vt tibi monitisq; tuis, veluti Petri successori, in omnibus quæ ad salutem animarum spectant, obediat. Quod cùm euenerit, dicemus te authore, prophetiam vnius pastoris & ouilis adimpletam esse. Ioann. 10. *Cuius rei palmã si obtinueris, quis profectò Pontificũ, te vel honore, vel felicitate, vel merito anteibit? vel cui triplicem tiarã maiori iure cõcedemus, quàm tibi? quum vt consequaris, tempora licèt alioquin infelicia, magnas tibi occasiones nunc præstant: infelicia, inquam, ob eas calamitates, quas in Europa medendas habes. Quæ vt vicinæ, maiori certè periculo Ecclesiæ imminent. A nemine acriùs impetimur, quàm à vicino hoste. Nunc verò, vt has molestissimas curas, quæ tibi (vt scio) perpetuò cordi sunt, omittamus: ad alias miti-*

ores veniamus, quæ cum magna ſpe coniunctæ ſunt, vt alter & nouus quodã modo orbis, cum Chriſti fide, tuæ Sanctitatis maieſtatẽ & dignitatem agnoſcat. Quas ſi pro tua prudẽtia ità tractaueris, vt te quaſi gubernatore Eccleſia, tum Europæa, tum Aethiopica, vitatis periculis & naufragijs, in portum ſalutis veniat, de te canemus illud Propheticũ Sapientiæ canticũ, Penetrabo oẽs inferiores partes terræ, & inſpiciã omnes dormiẽtes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. videte, quoniã nõ ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirẽtibus veritatem Ad quæ omnia perficiẽda, adeſt iam demùm tempus hoc, in quo huiuſmodi vaticinia per te adimpletũ iri cõfidimus. Adſunt hîc modò Aethiopes, gens magna & Chriſti auidiſsima, cuius ſanctiſsimus Imperator amicitiam Europæorũ Chriſtianorũ cupiens, ad te, & ad inuictiſsimos Reges Luſitaniæ, legatos miſit, per quos, vt ex eius epiſtolis appáret, non tantùm ſibi Chriſtianam amicitiam & charitatem cupit à Principibus Europæis impertiri, verùm etiã eoſdẽ (quos aſsiduè in acerbiſsimis diſcordijs nouit verſari) ad Chriſtianã concordiã pientiſsimè adhortatur. Res ſanè, ob quã omnes pudore affici debemus. Surrexit verò iam regina Saba, & vocat nos in iudiciũ, errata noſtra repræhẽdens. Adimplẽtur Chriſti prophetiæ, & quos ipſe elegit, paulatim ab ipſius cõſortio dilabũtur, eiusq; præcepta & promiſſa deuoluuntur ad eos, qui Ethnici & à Chriſto alieni reputabãtur. Is enim Aethiopũ Imperator, cum omnibus ſuis regnis, vt ex noſtra enarratione apparebit, ſub tua diſciplina viuere cupit, nec quicquã magis optat. Nec etiam ignorat ex Apoſtolorũ doctrina, quã in octo libris digeſtam habet, Epiſcopo Romano, omniũ Epiſcoporũ totius orbis principatũ deberi, cui planè ſanctèq; parére vult, ab eoq;

in Christi Ecclesiæ institutis, benè & sanctè instrui, & ad id insupèr viros doctos sibi dari orat, atq; exorare auidè affectat. Nec eo contentus, vt suarũ etiã postulationum in posterum extet memoria, petit, vt huius rei fides maneat in Pontificũ Annalibus, vt sic ab historia Ecclesiastica, eius epistolæ ac pijßima optata illuminẽtur, & posteritas intelligat, quo tempore, sub quoq; Põtifice hæc gesta fuêre. Viros autẽ doctos, sacrarumq; literarum disciplina & aliarũ artiũ benè instructos, non dubito, quin tua Sanctitas iam ad eum trãsmiserit, aut omninò sit missura. Quorũ doctrina & industria, simul cum sermone & labore nonnullorũ, quos iam serenißimi Reges Lusitaniæ Emanuel & Ioannes eius filius miserunt, facies, vt omnes Christiani in Aethiopia & India degentes, sensim legibus & institutis Romanorũ Episcoporum (quos Christi vicarios non reformidãt fateri) pareant. Quibus tandèm tua opera nobiscũ per verã religionem coniunctis, ac in vno ouili simul & sub vno pastore Christo congregatis, intelligemus super nos omnes Domini misericordiam confirmatam, & eius regnum omnium seculorum, & dominationem eius omniũ generationum esse, & tunc omnis caro benedicet nomini sancto eius in secula. Et nè prolixior sit exhortatio mea, quàm oportet, præsertim ad eum, cuius vitæ ac doctrinæ omnes imitatores sumus, & esse debemus, ad exordium enarrationis me conferam, quam aliquãtulò altiùs repetam, vt sic clariùs ostendam, quibus principijs hæc sanctißima Preciosi Ioannis, & Regum Lusitaniæ amicitia & fœdera inita sint, sperans me, dum quæ vera & legitima sunt, enarro, animos legentium incendere posse, & ad huiusmodi munera allicere, quo Christi fides vberiùs in omnibus terræ angulis propagetur, prædicetur, colaturq;.

FIDES, RELIGIO, MORESQVE AETHIOPVM.


NNO ab ortu Seruatoris humani generis Christi 1433. vita functo Ioãne Lusitaniæ Rege eius nominis primo, cognomento bonæ memoriæ, qui Lusitaniam à Castellanorum incursionibus, oppugnationibusq;, quibus eam fermè totam populauerant, liberauit: inter alios, quos reliquit filios, Henricus cæteris omnibus, in disciplinis pręcipuè Mathematicis, doctior fuit, qui propter sola astrorum studia cęlebs vixit, ac vt cursus stellarum accuratiùs meditaretur, vitam in sacro promontorio, quod caput S. Vincentij dicitur, egit: quem locum propterea, quòd in eo cælum rarò turbidum efficitur, elegit, nè nubibus interpositis, instrumentis, quibus ad rationẽ eius muneris vtebatur, consideratio cælestiũ cursuum impediretur. Is autem Henricus, vt fructus studiorum suorum capesseret, id quod iam ex multis vigilijs compertum habebat, nempe Atlanticum Oceanum, in Indicum, rursùs Indicũ in Atlanticum profluere, nauibus proprijs suis ac sumptibus constituit inuestigare. quibus iterùm atq; iterùm missis, bonam partem litoris Atlantici penetrauit, in quo oppida & ciuitates, insulæ'que permultæ repertæ sunt. Quibus in locis omni-

omnibus Christi fides, eius opera innotuit, ibiq; templa quoq; erecta sunt, præsertim in insulis olìm desertis, quarum prima insula Lignorũ, quæ vulgò Madeira vocatur, nũc celeberrima & frugifera est. Tandèm vt sunt res mortalium instabiles, anno salutis nostræ 1460. die 24. Octob. morte interceptus, has nauigationes, quoniã expers matrimonij erat, ad coronã regni, tanquàm fundum hæreditariũ transmisit. quæ per manus traditæ, ad tempus Ioannis secundi eius nominis, sine aliqua externorum Regum ac principum æmulatione aut inuidia, deriuatæ sunt. Quo Rege viuente, Colũbus Genuensis, vir nauticæ artis peritus, ab ipso Rege, cui Occidentalium Indiarum nauigationes ostendere pollicebatur, repulsus, ac inauditus, dimissusq;, auxilio, auspicioq; Ferdinandi & Elizabeth Regum Castellæ, illud iter feliciter tentauit, ac prouincias illas amplissimas, & magni emolumẽti primus repperit, & qua nauibus adiri poterant, commonstrauit. Is autem Ioannes cùm diù animo voluisset res Orientalium Indiarum, de quarum vbertate scriptis antiquorum, multa & varia prodita erãt, inter alios immensos labores, & sumptus, quibus non pepercit, viros aliquot lingua Arabica edoctos, ad illas prouincias, præsertim ad Preciosum Ioannem mittere decreuit. Quorum duo fuerunt, Alfonsus à Paiua, natus ex Albo Castro: Alter verò Ioannes Petrus à Couilham, vterque Lusitanus. Ij Schalabitano, septimo die Maij, Anno à Seruatoris CHRISTI ortu millesimo, quadringentesimo, octogesimo sexto, iter suum facere auspicati sunt, & mercatores se semper simulantes, primùm Barchinona, indè Neapoli, posteà Rhodo, demùm Alexan-

dria iter facientes, Cairum peruenerũt: ibi mercatorum sodalitium nacti, versùs Thor iter ceperunt. In quo loco naui conscensa, ad quandam vrbem, nomine Cuaquen, in littore Aethiopico sitam appulerunt. Posteà Adenem nauigant. indè Alfonsus iterùm in Aethiopiam ad Preciosum Ioannem, Ioannes verò Petrus in Indiam proficisci inter se constituunt. Ioannes autẽ Callecutio, Goa, ac toto Malabarorum littore peruestigato, Zofalam nauigauit. Indè rursus Adenem, hinc rectà Cairum profectus est, vt sodali suo inuento, in Lusitaniam ad regem redirent, (statuerant enim, cùm Adene discessissent, certo quodam tempore, ad eundem Cairi locum conuenire) quò cùm reuerterentur, à duobus Iudæis Lusitanis, quorum alter Rabbi Abraham vocabatur, Beiensis, alter Ioseph Lamecensis, literas Regis Ioannis accepit, ab eisq; intellexit, collegam suum Alfonsum inibì vitam morte commutâsse. Ijsdem literis præceptum erat, nè in patriam redirent, nisì Oromuzia perlustrata, ac Precioso Ioanne salutato, de cuius statu Rex auidìssimè cupiebat certior fieri. Qua de causa Ioannes Petrus, ignorans quæ Alfonsus eius collega, dum viueret, gesserat, iterùm Adenem, Rabbi Abraham socio, repetit: Iosephum verò cum literis, quibus itinera sua, actaq; significabat, ad Regem remittit. vndè quadam naui conscensa, in Oromuziam nauigauit. In quo loco Abraham Iudæo relicto, cui literas quoquè ad Regem tradidit, Mecham versùs nauigare constituit, quam cùm iam in oculis haberet, cupído eum incessit montis Sinai videndi. indè discessum est Thor. Rursus nauigatione vsus, faucibus maris Erythræi transmissis, Zeilam peruenit: reliqua de-

deindè itinera, vſque ad aulam Precioſi Ioannis, pedibus emenſus eſt, qui tunc temporis Alexander vocabatur: cui, humaniſsimè acceptus, literas quas habebat à Ioanne rege, tradidit, eiq́; topographiam, quam vulgò mappam vocāt, quo noſtras nauigationes perſpiceret, in manus dedit. Is autem Alexander cùm ſtatuiſſet eum remittere, nè id faceret, morte præuentus eſt. Quo mortuo, frater in eius locū ſucceſsit, cognomento Naū, ſed ab eo nunquàm idem Ioannes Petrus potuit facultatem in patriam redeundi impetrare, eoq́; extincto, idē illi à filio Dauide, regni hęrede, denegatū fuit. Donatus igitur ampliſsimis muneribus, quæ illi ad patriæ deſiderium leniendum conceſſa fuêre, (quandò exire prouinciam non licebat) vxorē nobilem duxit, ex qua quamplurimos filios ſuſcepit. Hunc noſtri oratores, in ipſa aula Precioſi Ioannis inuenerunt, & allocuti ſunt. A qua diſcedentes, anno M D XXVI ſalutis noſtrę, eum libenter in patriam reduxiſſent, atque ipſe quoquè eò redeundi percupidus erat. ſed id à Dauide obtinere nunquàm valuērunt, reſpondēte ad ipſorum preces, ſe illum virum, vnà cum regnis ſuis, à patre Naū accepiſſe, eumq́; pari cura & amore cum ipſis regnis ſeruare velle, nec debere illum tædere Aethiopicæ vitæ, apud quos tum à patre, tum ex ſua liberalitate amplas diuitias & ditiones accepiſſet. Is, vt noſtri aſſerūt, omnium hominum fermè linguas callet: qua de cauſa, & præcipuè ob eius eximiam prudentiam, tam auidè ab Aethiopiæ Imperatoribus retentus fuit. vndè res Luſitanicas eorumq́; nauigationes exactiſsimè cognouerunt: quibus ſæpiùs recenſendis, vt doctus & eloquens erat, Aethiopū nationem nobis conciliauit. Poſtmodùm Ioanne

ſecundo Rege mortuo, in eiusq́; locũ Emanuele feliciſsimo ſuccedẽte, claſſe, cui prę̨erat Vaſcus à Gama, anno milleſimo, quadringenteſimo nonageſimoſeptimo, Vlyſſippone ſoluẽte, capiteq́; Bonæ ſpei primò ſuperato, ad Indiam Orientalẽ noſtri tandèm peruenêre. In qua varia bella gerẽtes, multas prouincias ac ciuitates, ſub noſtrũ imperium redegerũt. Quæ cùm in Aethiopia, tum per finitimos, tum per aliquot Luſitanos, qui ad aulã Precioſi Ioannis tunc temporis ex India venerãt, renũciata eſſent, Helena Dauidis auia, quę ob tenellam ipſius Dauidis ætatẽ, adminiſtrationẽ regnorum habebat, quendã Matthæum Armeniũ, virum multarũ rerum atq́; linguarum peritũ, in Luſitaniã ad Emanuelẽ Regẽ miſit, & quo maior authoritas & fides legationi eſſet, quendam nobilem iuuenẽ Abeſynum miſit, quos ego ſæpiùs in aula noſtra cõueni, & familiariter allocutus ſum. Is enim Matthæus varijs itineribus Goam ad Alfonſum Albuquercũ Proregem peruénit, à quo humaniſsimè acceptus ac liberaliter dimiſſus, noſtris nauibus, anno milleſimo quingenteſimo decimotertio, Vlyſsipponem appulit. Is, corã Emanuele legatione ſua expoſita, crucem concinnatã ex eo ligno, in quo Chriſtus pepẽdit, Regi dedit: quam crucem frequentiſsimè vidi, & veneratus ſum, dum frater meus Fructus à Goes, Regis cubicularius, eam in ſua cuſtodia haberet. Literæ autem ſui principis, quas ſecum ad Emanuelem Regem tulerat, ſic loquebantur.

Epiſtola Helenæ auiæ Dauidis Precioſi Ioannis Æthiopũ Imperatoris, ad Emanuelem Luſitanorum, &c. Regem, ſcripta Anno 1509.

IN

IN nomine Dei patris, & filij, & spiritûs sancti, vnius solius in tribus personis Dei, salus, gratia, & benedictio Domini nostri, & redemptoris Iesu Christi, filij Mariæ virginis, nati in domo Bethlehemitica, sit super dilectum fratrē nostrū Christianissimum Regem Emanuelem, dominatorem maris, victorem ferorū incredulorumq́ Maurorum. Dominus Deus te benè fortunet, tibi victoriam de inimicis tuis donet, tuaq́ regna & ditiones, per deuotas preces nunciorū redemptoris Christi, nēpe quatuor Euangelistarū, sancti Ioannis, Lucæ, Marci, & Matthæi, longè lateq́ dilatet & extendat, quorum sanctitates & orationes te seruent. Certiorem te facimus, perquàm dilecte frater, ad nos vsque appulisse ex magna illa vestra & eximia aula duos nuncios, quorum quidem alteri nomen erat Ioannes, qui se presbyterum aiebat, alteri verò Ioannes Gomez, petijsseq́ à nobis commeatum & milites. Quarè nos mittimus nostrum Oratorem Matthæum, fratrem nostri seruitij, cum venia patriarchę Marci, qui nobis dat benedictionem, mittens presbyteros Hierosolymā, qui est pater noster, ac omnium nostrarum ditionum, columna fidei Christi, & sanctæ Trinitatis. Is de nostro mandato misit ad magnum vestrum ducem eorum, qui pro fide nostri seruatoris Iesu Christi militant in India, ad illi significandum, nos esse promptos ad mittendum tum cōmeatum, tum milites, si necessè fuerit. Proindè fama accepimus principem Cairi cogere magnam classem aduersùs vestras copias, nimirùm vt sese vindicet de iniurijs damnisq́, per militiæ tuæ (quam in India habes) duces, sibi (vt verè nobis constat) sæpè illatis, quod Deus sua sancta bonitate indiès magìs magísque fortunare

Fuit olim princeps Cairi Sultanus, quā ciuitatē nunc occupat magnus Turca.

tunare

tunare dignetur, vt cuncti tandèm increduli, penitùs sub iugum mittantur.

Babel, Mẽdel loci, ad ostia maris rubri sunt.

Nos itaque aduersùs illorum insultus missuri sumus militum copias, quæ maneant ad fretum Mechæ, scilicet Babel, Mendel, aut certè, si id tibi commodius videbitur, ad portũ Iudæ, aut Thor, vt tandèm auferas perdasq́ huiusmodi Mauros, & incredulos à facie terræ, ità vt dona & oblationes, quæ afferuntur ad sanctum sepulcrum, deincèps non vorentur à canibus.

Iuda & Thor, sunt ciuitates maritimæ ad sinum Arabicũ, quo Lusitani quotannis in Barbaros excursum faciunt.

Adest iam tempus illud promissum, quod, vt aiunt, Christus & mater eius Maria prædixêre, quòd scilicet in postremis temporibus oriturus esset è regionibus Francicis Rex quispiam, qui aboliturus esset vniuersum Barbarorum & Maurorum genus, & hoc ipsum quidem nunc tẽpus est, quod Christus benedictæ suæ matri futurum promisit.

Francicis, .i. Christianis Europæis. Indi enim & Mahometani ferè omnes, Christianos Europæ generali nomine Frãcos vocant.

Porrò quicquid Orator noster Matthæus, vobis dicturus est, id velut à nostra ipsorum persona profectum accipite, eiq́ fidem adhibete. Est siquidem vnus inter nostræ aulæ præcipuos, atque ob id illum ad vos mittere voluïmus. Cõmisissemus autem hęc vestris nuncijs, quos huc legâstis: sed cepit nos metus, nè nostra negocia, nõ ex nostra sententia vobis nota forent.

Mittimus ad vos per hunc nostrum Oratorẽ Matthæum, crucem vnam, factam haud dubiè ex frusto ligni, in quo Seruator noster Iesûs Christus crucifixus fuit Hierosolymis. Id autem sacrosancti ligni frustum, ex Hierosolymis ad nos allatum est. Porrò ex eodem duas fecimus cruces. earum altera quidem apud nos manet, alteram verò dedimus isti nostro Oratori, ad vos perferendam. Lignum nigri coloris est, pendétque

dètque ab exiguo argenteo annulo.

Cæterùm si vobis visum fuerit, aut vestras filias matrimonio iungere nostris filijs, aut nostros filios dare vestris filiabus, id & nobis in primis pergratum erit, & vtrisque vtile, & fraterni inter nos initium fœderis, quod quidē nuptiarū connubium, cùm inpræsentiarùm, tum etiam in futurum, tecum inire percupimus. Reliquum est, vt & salus, & gratia nostri Redēptoris Iesu Christi, sanctæq; nostræ Dominæ Mariæ virginis, se extendat tum super vos, tum super filios, filias, vniuersamq; vestram domum, Amen.

Ad hæc autem vos certiores facimus, si bella, exercitusq; coniungere velimus, satis virium nobis futurum esse ad (diuino accedente auxilio) abolendum vniuersos nostræ sanctæ fidei inimicos. Verùm nostra regna & ditiones sic sunt in mediterraneis sita, vt nusquàm in maria possimus erumpere. Quarè nihil nobis est potentię in mari, in quo (Deo laus) vos omnium estis potentissimi. Iesus Christus sit vobis auxilio, res enim quæ in India per vos gestæ sunt, sunt profectò magìs miraculosę, quàm humanę. Quòd si mille velis armare naues, nos & commeatum dabimus, & cuncta, quæ ad eam classem opùs erunt, abundè suppeditabimus.

Hanc epistolam cum aliquibus fidei, religionis, morum, statùsq; Aethiopum articulis, quos Matthæus coram Rege Emanuele, & eius cōcilio explicuit, hortatu Ioānis Magni Gothi Archiepiscopi Vpsaliæ, in regno Suedię, cum quo in Prussia non vulgarem contraxi amicitiā, ex idiomate Lusitanico, in quo eam conscriptam habebā, Latinam feci, quæ posteà cum ipsis quoquè articulis, me inscio, Antuerpiæ excusa est.

His

His ex legatis Aethiopum cognitis, Emanuel, vt erat & prudẽtiſsimus, & propagãdę fidei Chriſtianę auidiſsimus, legationẽ inſtituit grauiſsimis & ornatiſsimis viris inſtructam. cuius capita fuêre Eduardus Galuanus, vir non minùs ætate, q̃ prudentia, ac rerũ vſu grauiſsimus, & Franciſcus Aluarez, ſacerdos, ac Regi à ſacris, & is quoquè ſenex, & moribus inculpatis. quos vtroſq; de facie nouimus. Ij cum Matthæo, ſub Lupo Soarez Prorege, ad Indiam nauigant, ac tandèm Didaco Lupez à Sequeira, Prorege, qui Lupo Soarez ſucceſſerat, cum inſtructa claſſe, quã aduersùs Turcas parauerat, ad portum Arquicum nomine, in litore Erythræo, ac in ditione Precioſi Ioannis ſitum, deducũtur. ad quem locum appulſa eſt claſſis, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo, die ſecundo Aprilis, in quo itinere, in Camara, maris Erythræi inſula, vita defunctus eſt Eduardus Galuanus, in cuius locum ſuffectus eſt Rodericus Limius, qui ab ipſo Arquici portu, vigeſimonono eiuſdem menſis, cum ſocijs eiuſdẽ legationis, duce ſimul ac comite Matthęo, (nã Abeſynus ille iuuenis, de quo ſuperiùs mentionẽ fecimus, è viuis iam diſceſſerat) ad aulam Precioſi Ioannis contendere cœpit. in quo itinere quoquè mortuus eſt Matthæus, ac in quodã celeberrimo cœnobio, nomine Biſayn, à noſtris ſepultus. Poſt cuius funebre officium, ad inſtitutam profectionem redeunt, ac poſt maxima itinera, labores infinitos, ingentia pericula, ad aulam Precioſi Ioannis perueniunt, à quo Rodericus cũ collegis honorificè excipitur, ac tandèm peractis mandatis, & acceptis, ad Emanuelem Regem remittitur. Is cum ſuis Arquicũ profectus, claſſem, cuius prætor Ludouicus Meneſius erat, & quæ ea de cauſa appu-

appulerat, vt eos reduceret, non inuénit, quæ illos, quòd seriùs aduenerant, expectare nõ potuit propter ventorũ importunitates, qui in illis plagis, miro naturę arcano, sex perpetuos menses, ex vno cæli climate, deindè alteros illos sex menses ex aduerso spirant. Arquici literas inuenit apud Præfectum oppidi, à prætore Ludouico relictas, ex quibus Regis Emanuelis mortem cognoscit. Quamobrèm iterùm in aulam Preciosi Ioannis redeundum esse constituit: quo reuerso, Preciosus Ioannes ad Romanum Pontificem scribit, literasq; Frãcisco Aluarez Romam ferendas commisit. Ij omnes iam spatio sex annorũ in illis prouincijs commorati, tandèm cum legato Aethiopico, quem Preciosus Ioannes ad Regẽ nostrum mittebat, Arquici aliam classem regiam, quæ eorum causa iterùm venerat, conscendunt, idq; anno M D XXVI, mense Aprili. Indè soluentes, Indiam petunt, ac tandèm lõgis nauigationibus, Vlysipponem ad Regem Ioannem, anno millesimo quingentesimo vigesimoseptimo, mense Iulio redeunt. qui oratorem Aethiopicum ob certas eius legationis causas, apud se ad annum millesimum quingentesimum trigesimumnonũ vsque retinuit, Franciscumq; Aluarez ad Clementẽ Pontificem septimum cum literis Preciosi Ioannis, cuius orator ex Aethiopia venerat, misit: quas ipse Pontifex ex manibus eiusdem Francisci Aluarez Bononiæ, anno salutis millesimo quingentesimo trigesimotertio, mense Ianuario, Carolo quinto Imperatore præsente, accepit. Quarum & aliarum ad Emanuelem & Ioãnem Reges interpretatio, Paulo Iouio viro erudito debetur, qui eas ex Lusitanico sermone, in quẽ tum versæ erant, Latinas fecit, vt iam hîc videre licet.

Miri quidda de ventorum constantia.

Literæ

Literæ serenissimi Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Emanuelem Portugaliæ, &c. Regem, scriptæ anno millesimo quingentesimo vigesimoprimo, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris, vtì semper fuit, cui nõ inuenitur principiũ. In nomine Dei filij vnici, qui est similis ei, antequàm sit visum lumen stellarum, antequàm poneret fundamenta maris Oceani: alio autem tempore conceptus fuit in vtero virginis, sine semine virili, & sine nuptijs. in hunc enim modum scientia erat officij eius. In nomine paracleti spiritûs sanctitatis, qui scit cuncta secreta, quæ sunt, vbi anteà fuit, omnium scilicet altitudinũ cæli, quod sine columnis, & absq; vllis fulcimentis sustinetur, qui amplificauit terram, quæ anteà non erat creata, nec cognita ad omnes partes ab ortu ad occasum, & à septẽtrione ad austrum. Nec iste est primus, vel secundus, sed est trinitas coniuncta in vno æterno creatore rerum omnium, ab vno tantùm consilio, & vno verbo, per secula seculorum, Amen.

Has literas mittit Athani Thingil, id est, thus virginis, quod nomen est à baptismate, nunc verò in ipso suscepti regni initio, assumpsit nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iudæ, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius Manûs Mariæ, filius Naü per carnem, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorũ regnorum, & ditionum, & terrarum Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa,

maraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, vndè fuit Regina Saba, de Bernagaes, & dominus vsq; ad Nobiam finem Aegypti. Hę literę diriguntur Regi potentissimo & excellētissimo, semper victori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide catholica, filio Apostolorum Petri & Pauli, Regi Portugalliæ & Algarbiorum, amico Christianorum, hosti, Iudici, Imperatori, domitori Maurorum, & gentium Africæ & Guineæ, à promontorio atque insula Lunæ, Maris rubri, Arabiæ & Persidis, & Armutiæ, magnæ Indiæ, & omnium locorum earum, & omnium insularum, terrarum adiacentium, profligatori Maurorum, & fortium paganorum, domino arcium & altorum castellorum & murorum, propagatori fidei Iesu Christi. Pax tibi domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio, Mauros occídis, & tua classe, tuo exercitu, & tuis ducibus vndiquè tanquàm infideles canes expellis. Pax sit cum Regina vxore tua amica Iesu Christi, serua Mariæ virginis matris, ipsius Saluatoris totius mundi. Pax sit filijs tuis, nunc vtì in virenti horto, & florentibus lilijs, mensa esculentis parata. Pax filiabus vestris, quæ sunt indumentis ornatæ, sicut palatia aulæis exornantur. Pax affinibus tuis, ex sanctorum semine procreatis, sicutì dicit sacra scriptura, filij sanctorum sunt benedicti, & magni foris & intra domum. Pax sit consiliarijs & officialibus tuis, potestatibus, & ius dicentibus. Pax ducibus tuis castrorum & confinium & omnium rerum munitarum. Pax omnibus gētibus, populis, & vrbibus, & cūctis inhabitantibus, præter Mauros & Iudęos. Pax oībus parochijs, & omnibus Christo & tibi fidelibus. Amē.

Cognoui domine Rex, & mi pater, quòd cùm ad te nominis mei fama, per Matthæum oratorē nostrum fuisset delata, statim Archiepiscoporū, & Episcoporum, ac Prȩlatorum magnum numerū aduocari iussisti, qui de ea legatione Deo Christo gratias agerent, ipsumq́ Matthæum summo cum honore, & hilaritate fuisse susceptum: qua de re mirificè sum lætatus, & gratias pariter Deo egi, & hoc deuotè fecit etiam populus meus. Dolui autem cùm ab his intellexi ipsum Matthȩum in reditu suo dum intraret fines meos, in monasterio de Bisayn fuisse mortuum: eum autem ego non miseram, quoniam adhuc puer eram vndecim annorum, vixdū suscepto regni sceptro, post mortē patris, sed Helena Regina, quam loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthȩus mercator erat, Habraham vocatus, sed sibi nouum nomen idcircò imposuerat, vt securiùs per fines Maurorum iter faceret. Verùm is in Dabul à Mauris pro Christiano agnitus, in carcerem fuit coniectus. Quod cùm significâsset vestrorum exercituum Præfecto, is misit fortes viros, qui Christianum hominem è teterrimo carcere liberarent, maximè cùm didicisset eum esse legatum meum. Itaque illum ereptum è manibus inimicorum, curauit vestris nauibus, ad conspectum vestrum transuehendum. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mandata exposuit, rescripsitq́ se honorificè susceptum fuisse, & cumulatè omnis generis muneribus honestatum: quod & nuncij pariter vestri affirmabant, quos magnus vestræ clasſis Præfectus Didacus Lupez de Sequeira ad nos misit, qui literas præsentârunt, quas affere debuerat Eduardus Galuanus, qui in insula Cameronis diem obiērat, quibus conspe-

ctis literis, magnoperè ſum gauiſus, & Deo egi gratias, & tum magnam cepi voluptatem, cùm pectora veſtrorum nunciorum crucibus inſignita conſpicerem, & experirer percontando eos, ritus tenere fidei Chriſtianæ, qui eſſent veriſsimi, & illud me ſingulari deuotione iniecta vehemẽter permouit, quòd intelligerẽ iter in Aethiopiam inuentum eſſe, non ſine miraculo. Nam referebant, Præfectum claſsis, quum diù per mare Arabicum errâſſet, & propterea de inueniendo noſtro portu deſperâſſet, re infecta, redire in Indiam voluiſſe, maximè propter ſæuas maris tempeſtates: ſed in aurora opportunè rubram crucẽ in cælo apparuiſſe, qua ſalutata, à nautis proras in eam partem eſſe conuerſas, monſtranteq; Deo repertum eſſe portum noſtrum, quę res mihi pro miraculo viſa eſt: & certè is claſsis Præfectus Deo debet admodùm eſſe dilectus, poſtquàm tantam ei felicitatem cõceſſam videmus, quantam nemo ante eum à Deo impetrare potuerit. De hac autẽ mutua legatione antiquitùs prædictũ fuit à Propheta in libro de vita & paſsione ſancti Victoris, & in libris ſanctorum Patrum, quòd Rex magnus Chriſtianus, cum Rege Aethiopiæ eſſet cum mutua pace conuenturus, ſed hoc nequaquàm futurum exiſtimabam diebus vitæ meæ. Verùm Deus certum ſciebat, vt laudetur nomen eius, qui nuncium ad me detulit, vt ego pariter id mittere poſſem ad te patrem meum in Chriſto, & amicũ, vt ſimus in vna fide, poſtq̃ à nullo alio Rege Chriſtiano nuncium aut certam notitiam habuerim. Hactenùs circùm me Mauri erant, filij Mahometis, & Gentiles, & reliqui ſunt ſerui, qui Deum non agnoſcunt, & alij qui ligna & ignem venerantur, & alij qui ſolem adorant, &

alij qui ſerpentes deos eſſe putant. cum his nunquàm pacem habui, quoniam ad veritatem venire recuſant, & fruſtrà his prædicabam fidem: nūc verò cōquieſco, & Deus quietem dono mihi dedit cum hoſtibus meis & tuis. Nā in finibus meis cùm armatus contra eos progredior, ipſi faciem & terga vertunt, & duces & milites mei, per campos de his victorias conſequuntur. Neque mihi Deus iraſcitur, vt dicit Pſalterium, & Deus vota eorum Regum implet, qui iuſta petunt, nec hoc ad laudem noſtram pertinet. Nam Deo agendę ſunt gratiæ. is eſt qui mundum vobis dedit, & terram Gētilium perpetuò conceſsit, ac aliorum terras, quæ ſunt à finibus veſtris, ad initium Aethiopiæ. propterea ingentes Deo gratias ago, & prædico ſummam eius potentiam, cùm ſperem eorum populorum filios, qui in tuam ditionem venient, procul dubio fidei veritatē eſſe cogituros. quamobrem do gratias Deo, & ſpero quòd filij veſtri, & ego, & vos, de felicibus earum rerū ſucceſsibus, abundè lætabimur. & vos Deo debetis continuè ſupplicare, donec gratiam vobis det potiundi templi ſancti in Hieruſalem, quę eſt in poteſtate hoſtium Chriſti, Maurorum, & Gentilium, & hęreticorum. &, ſi hoc perfeceris, caput tuum omni laude pleniſsimum erit. Cęterùm ex numero legatorum, qui ad me veniebāt, cum prædicto Matthæo, tres periêre, & Præfectus magnus veſtræ claſsis deuenit apud * Macua in colloquium cum Rege de Bernagais, qui eſt imperio meo ſubiectus, & ſtatim legatos ad me miſit, & munera ingentia, quę mihi chariſsima fuerunt. Verùm nomen veſtrū omni gemma, & theſauro mihi precioſius videtur. Sed hęc trāſeamus, & agamus inter nos, quo modo inuadere &

* Arquicū

re & capere poſsimus alias infidelium terras. Ego certè dabo milliès centena millia drachmarum auri, & totidem millia militarium virorum. Itemq́ materiam & ferrum, & cuprum, in vſum ædificandę & ornandę claſsis, magnam etiã commeatûs copiam. amicè vnà conueniemus, & quoniam non eſt conſuetudinis & dignitatis meæ, ad petendam pacem legatos mittere, & tu primus à me eam ſyncerè quæſiuiſti, ad verificanda Chriſti verba. Nam ſcriptum eſt, Beati pedes, qui portant pacem. Et ego propterea ſum ad id paratus, more Apoſtolorum, qui erant vnanimes, & vnius cordis. O rex, & pater mi Emanuel, vnus Deus te ſoſpitem velit, & ſeruet, qui eſt Deus cæli, & ſemper vnius ſubſtantiæ, nec iuueneſcit, nec ſeneſcit. Is qui à te nuncium attulit, Rodericus Lima vocabatur, legationis optimorum virorum princeps, & cum eo Franciſcus Aluarez, quem propter vitę probitatem, & ſingularem religionem, & iuſtitiam valdè chariſsimum habui, maximè quòd veriſsimis verbis, cùm eſſet interrogatus de fide, aptiſsimè reſpondebat. Et ità debetis eum exaltare, & magiſtrum appellare, & dare ei officium conuertendi populos de Macua, & de Dalaca, de Zeila, & omnium inſularum maris rubri, quoniam ſunt in finibus regnorum meorũ, & ego ei conceſsi crucem & baculum, in ſignum poteſtatis, & ità vos iubete, vt hæc ei concedantur, & creetur Epiſcopus illarum terrarum, & inſularum, quoniam hoc meretur, & idoneus eſt in hoc officio adminiſtrando, & tibi Deus plurimùm benefaciet, vt ſemper ſis fortis contra hoſtes tuos, & eos cogatis ad pedes veſtros procidere, & Deus tibi vitam prolonget, & participẽ faciat regni cęlorum in optimo loco, ſicutì

Naum I.

ego pro me optarẽ. Audiui autem auribus meis multa bona de te,& oculis video, quæ videre nequaquàm credebam, & Deus cuncta de bono in melius ſuccedere velit, & ibì ſit veſter locus ſupra lignum vitæ, vbì eſt locus ſanctorum, Amen.

Ego ſicutì filius paruulus,quæ iuſsiſtis, feci, & faciam,ſi venerint legati veſtri, vt inuicèm mutuis opibus adiuuemur.Singulis autem Oratoribus veſtris,qui venient,ſicut tum feciſtis ad Mazua, aut Delacam, & ad portus intra anguſtias maris Rubri,ea tribuam,tribuiq́ curabo, quę fienda ſignificabitis,ſicutì maximè deſidero, vt in conſilio & rerũ actione, proſperè coniungamur. Nam cùm ad ea littora copiæ veſtræ peruenerint, maturè & ego cũ meis exercitibus adero. Et quoniã in finibus meis nemo eſt Chriſtianus, neq́ templa Chriſtianorũ viſuntur, concedam veſtris hominibus habitandas illas terras, quæ ſunt proximæ Maurorũ ditioni: propterea opùs eſt, vt cœptis veſtris debitum finem afferatis. Interìm mittitote ad me viros eruditos,atq́ etiam cęlatores imaginum auri & argenti,& fabros cupri, & ferri, & ſtanni, & plumbi. item artifices,qui literis noſtrę linguæ, pro Eccleſia libros imprimant, item aliquos qui ex auro bracteolas facere,& cum his inaurare alia metalla ſciunt. Hi erunt in domo mea honeſtiſsimè tractati, & ſi diſcedere voluĕrint,laborum ſuorum eis amplam mercedem ſoluam. Iuroq́ per Deum Ieſum Chriſtum Dei filiũ,me eos liberè, cùm voluĕrint, eſſe dimiſſurum. Hoc autem peto fidentiſsimè, quoniam mihi veſtra virtus ſpectata eſt, & bonitas maximè agnita, & ſcio me amari abs te plurimùm. & hoc agnoui certiùs, quòd Matthæum meî gratia honorificè & liberaliter ſuſceperitis, & remiſeritis. Et ideò adni-

adnitor ea impetrare. neque hoc vobis pudorem afferat, nam omnia persoluam. Et id quod filius petit à patre, negari non debet. & tu es pater meus, & ego filius tuus: & simus coniuncti simul, sicut laterculus cum laterculo in pariete copulatur, ità duo in vno corde, & amore Iesu Christi consentimus, qui est caput mundi, & qui cum eo sunt, assimilantur laterculis in muro coniunctis. Amen.

Literæ eiusdem Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Ioannem huius nominis tertium Portugalliæ, &c. Regem, scriptæ Anno M D XXIIII. Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis, creatoris cæli & terræ, & omnium rerum factarum, visibilium, & inuisibiliũ. In nomine Dei filij Christi, qui est filius, & consilium, & propheta patris. In nomine Dei spiritûs sancti, paracleti, Dei viui, æqualis patri, & filio, qui locutus est per os Prophetæ, spirando super Apostolos, vt gratias agerent, & laudarent Trinitatem perfectam in cælo & in terra, in mari & in profundo semper, Amen.

Mitto has literas & nuncium ego Thus virginis, quod est mihi nomen à baptismate, nunc verò cum Imperij sceptro assumpsi nomen Dauid, dilectus Deo, columna fidei, stirps Iuda, filius Dauid, filius Salomonis Regum Israël, filius columnæ Siõ, filius seminis Iacob, filius de Manu Mariæ, & filius Naü per carnem, maximo & potentissimo, & altissimo Ioanni Regi Portugalliæ,

& Algarbiorum, filio Regis Emanuelis. Pax sit tibi, & gratia Domini nostri Iesu Christi sit semper tecum, Amen.

Eo tempore quo ad me relatum est de potentia Regis patris tui, qui Mauros fœdissimi Mahumetis filios debellabat, Deo gratias ingentes egi, propter incrementum & magnitudinem, & coronam conseruationis in domo Christianitatis, Similiter summam cepi voluptatem ex legatorum aduentu, qui verba ipsius Regis ad me detulerunt, ex quibus singularis amor, & notitia, & amicitia inter nos effecta est, ad eradicandos, expellēdosq; malignos Mauros, & incredulos Gentiles, qui habitant inter tua meaq; regna. Dum essem in hac lætitia, audiui tuum meumq; patrem, priùs esse vita defunctum, quàm hinc legatos ad eum mitterem. Quamobrèm gaudium meum in mœrorem subitò cōuersum est, ità vt in hoc cordis mei dolore, mecum etiam aulæ nostrę proceres & Prælati Ecclesiastici, & qui in monasterijs sunt, omnesq; demùm subditi nostri vehementissimum luctū fecerint, ità vt voluptas primi nuncij, cū tristitia huius nouissimi exequaretur. Domine, à principio regnorum meorum hactenùs nulla legatio, nullusq; nuncius, vel à Rege, vel à regno Portugallię ad me peruénit, nisì dum viueret Rex, tuus pater, qui duces suos ad me misit, & proceres cum Clericis & Diaconis, qui totum solennium Missarum apparatū attulerunt. Et propterea maximè sum lętatus, & eos honorificè suscepi, & non multò pòst eos dimisi, vt reuerterentur cum honore & pace. & postquàm peruenerunt ad portum maris, qui est in finibus meis, in mari Rubro, non inuenêre magnum Præfectum classis, quem pater tuus miserat. is enim non expectauit,

pectauit, & de hoc me fecerat certiorem, quoniam non poterat expectare, cùm esset moris vestri, de triennio in triennium magnũ classis Præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit: qua de causa longiorem, quàm opùs esset, moram legati contraxerunt. Nunc verò mitto mandata mea per fratrem Christophorum Licanati, cui nomen à baptismate est Zaga Zabo, nempe gratia patris, qui desideria mea coram vobis explicabit. & item ad Papam Romanum mitto Franciscum Aluarez, qui nomine meo præstet obedientiam vtì iustum est. O domine Rex, frater mi, attende, & da operam amicitiæ, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebrò mitte nuncios & literas, nam eas magnoperè videre desidero, vtì à fratre meo: nam id æquum est, cùm ambo simus Christiani. & Mauri, qui mali sunt, semper in sua secta concordes existunt, & nunc profiteor me nolle in posterum legationes Regis Aegyptij admittere, nec aliorum item Regum, qui ad me sæpè legatos mittebãt, sed solùm celsitudinis tuæ, quos venire maximè opto, quoniam reges Mauri me loco amici non habent, propter religionis dissensionem: sed amicitiam simulãt, vt tutiùs & liberiùs mercaturam in nostris regnis exerceant, indè magnum commodum consequuntur. Ingentem enim vim auri, cuius sunt auidissimi, è regnis meis exportant, cùm parùm mihi sint amici, & commoda eorum nullam mihi afferant lætitiam. sed hoc tolerandum fuit, quoniam superiorum regum nostrorum vetus est institutum, & si eis nequaquàm bellum infero, & penitùs profligo, temperandum in hoc mihi esse arbitror, ne illi contrà sanctum templum in Hierusalẽ violent, & diruant, in quo sepultura est IESV Christi,

quam Deus in poteſtate fœdiſsimorũ Maurorũ reliquit, & pariter ſolo æquarent alia templa, quę ſunt in Aegypto, & Syria, & hæc cauſa eſt, cur eos non inuadã & debellem, cuius rei me plurimùm tædet. Etiam hoc mihi faciliùs perſuadeo eſſe faciendum, quum neminem Chriſtianum Regẽ habeam finitimum, qui me adiuuet, & cor meũ exhilaret. Ego, mi Rex, nequaquàm lætari poſſum de Chriſtianis Europæis Regibus, cùm eos audiã in vno corde minimè cõſentire, vigereq́; inter eos bella. Eſtote ſimul omnes in vna concordia vnanimes. Deberetis enim inter vos certo fœdere eſſe contenti. Et certè ſi mihi Chriſtianus Rex finibus eſſet coniunctus, nunquàm vna hora ab ipſo diſcederem, & de hoc non planè ſcio quid dicam, aut omninò faciam, cùm hæc à Deo ordinata eſſe videantur. Domine mi, mitte, obſecro frequentes ad me nuncios. nã cùm literas tuas video, vultum certè tuum intueor: quoniam maior amicitia oritur inter longinquos diſtantes, quàm inter eos qui propinqui ſunt, propter deſiderium quo tenentur. Nam is qui recõditos habet theſauros, cùm eos oculis non videat, corde ſemper, & quidem vehementiſsimè diligit, ſicuti Dominus Ieſus Chriſtus in Euãgelio dicit, Vbi theſaurus tuus, ibi cor tuum: ità cor meum apud te eſt, quũ
Matt. 6.
tu ipſe meus ſis theſaurus, & tu pariter me, tuum theſaurum debes efficere, & cum meo tuum cor ſyncerè copulare. O Domine frater, ſerua verbũ hoc. nam es prudentiſsimus, &(vtì audio)patri in ſapientia ſimilis, & de hac re cognita, ſtatim Deo gratias egi, abiectoq́; dolore, gaudium à me ſuſceptum eſt, & dixi, Benedictus ſit filius ſapiens & magni capitis, filius Regis Emanuelis, qui ſedet in cathedra regnorum ſuorum. Domine mi,
caue

caue nè defatigeris, cùm sis fortis nō secùs àc pater tuus: nec ostēde debiles vires aduersùs Mauros & Gentiles. Nam eos cum Dei auxilio, adiuuante virtute tua, facilè debellabis & destrues. & non dicas tibi esse à patre tuo vires exiguas. Nam eæ sunt certè satìs magnæ, & Deus semper opem feret. Mihi adsunt viri, aurum, commeatus instàr arenæ maris, & stellarum cæli. Nos simul coniuncti, totam Maurorum barbariem destruemus. neque aliud à vobis peto, quàm peritos viros, qui meos milites in prælijs ordines seruare doceant. Et tu Rex vir integræ ætatis existis. Rex Salomon duodecim annorum ætatis, imperium suscepit, habuítque magnas vires, & patre sapientior fuit. Ego quoquè, cùm Naü pater meus excessit ab humanis, puer vndecim annorū remansi, ingressúsque sedem patris, Deo dante ampliores opes & vires eo sum consecutus. Nam in manu mea omnes finitimi & Regni Gentes existunt. propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficij. Præbe mihi aures, frater & domine. Nam hoc vno verbo à vobis postulo, vt viri docti, atque etiam artifices mihi mittantur, qui imagines, & libros impressos, enses, & omnis generis arma militaria fabricare sciant. Itémque architecti, fabri lignarij, & Medici, qui pharmaca componere, & vulnera curare didicerint. Cupio etiam eos habere, qui aurum in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregiè cælare valeant, ac etiā aurū & argentum è venis terræ ĕruere, & metallorū omnium fodinas exercere sciāt. Præter hos, apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebunt. omnes deniquè artifi-

artifices mihi vſui erunt, & præſertim ſclopetorum. Adiuua me, obſecro, in his rebus, ſicutì frater fratrem: & te Deus ità adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes & petitiones tuas, ſicutì recepit ſancta ſacrificia in omni
Gen. 4. 8. tempore, & in primis ſacrificia Abel, & Noê quan-
Gen. 13. dò fuit in arca, & illud Abraham, quandò fuit
Gen. 26. in terra Madian, & illud de Iſaac quandò diſceſ-
Gen. 35. ſit à foſſa iuramēti, & illud Iacob, in domo Bethleem, & Moyſis in Aegypto, & Aaron in monte, & Ieſon filij Nau in Galgala, & Gedeonis ſupra plagam, & Sampſonis, quandò ſitim habuit in terra ſicca, & Samuelis in Rhama prophetæ, & Dauid Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon, & Heliæ in monte Carmelo, quandò ſuſcitauit filium viduę mulieris è Richa ſupra puteum, & Ioſaphat in prælio, & Manaſſe quandò peccauit, & ad Deum eſt conuerſus, & Danielis in ſpelunca leonum, & trium ſociorum Sidrach, Miſach, Abdenago in camino ignis, & Annæ ante altare, & Nehemiæ, qui fecit muros cum Zorobabel, & Ma thathiæ cum filijs ſupra quartam partem mūdi, & de Eſau, ſupra benedictionem. Ità domine, Deus recipiet tua ſacrificia, & ſupplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruerſitates in omni tempore, & ſingulis diebus. Pax ſit tecum, & ego te amplector ſanctitatis brachijs, & ſimiliter ſingulos amplector, qui tibi ſunt à conſilijs ſanctis Regni Portugalliæ. Itemq́ Archiepiſcopos & Epiſcopos, Sacerdotes & Diaconos, viroſq́ pariter & mulieres. Gratia Dei, & benedictio virginis Mariæ matris Dei, ſit tecum & omnibus, Amen.

Literæ

Literæ eiuſdē ſereniſſimi Dauidis Æthiopiæ Imperatoris ad Pontificem Romanum, ſcriptæ anno milleſimo quingenteſimo vigeſimoquarto, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis, creatoris cæli & terræ, viſibilium, & inuiſibilium. In nomine Dei filij IESV CHRISTI, qui eſt idē cum ipſo à principio mundi, & eſt lumen de lumine, & Deus verus, de Deo vero. In nomine Dei ſpiritûs ſancti, Dei viui, qui proceſsit ex Deo patre. Has literas is ego Rex mitto, cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia vocor Athani Thingil, id eſt, Thus virginis, filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Regis de Manu Mariæ, filius Nahu per carnem, filius ſanctorum Petri & Pauli per gratiam, Pax ſit tibi iuſte domine, pater ſancte, potens, pure, ſacrate, qui es caput Pontificum omniũ, & neminem metuis, cùm nemo tibi poſsit maledicere, qui es vigilantiſsimus ſupra animas curator, & amicus peregrinantium, conſecrate magiſter, & prædicator fidei, & earum rerum hoſtis, quæ conſcientiam offendunt, amator optimorum morum, vir ſanctus, quē omnes laudant, & benedicunt. O felix ſancte pater, ego tibi reuerenter obedio, cùm ſis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ità æquum, vt omnes tibi obedientiam præſtent, ſicutì ſancti Apoſtoli præcipiũt apud Denm. Hoc verè veſtrum eſt, ità etiam præcipiunt, vt veneremur Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Prælatos. Similiter vt te loco patris amemus, & loco Regis vereamur, & tibi vtì Deo fidem habeamus. Proptereà dico ego humiliter, ad terrã genibus flexis, tibi pater ſancte, ſyn-

ſyncero admodùm corde, quòd tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater ſancte potētiſsime, cur neminem vnquàm ad nos miſiſti, vt certiùs de vita, ſaluteq́ꝫ mea cognoſceres, cùm tu ſis paſtor, & ego ouis tua. bonus etenim paſtor ſui gregis nunq̄ obliuiſceretur, nec tibi à regionibus veſtris nimiùm ſemotus debeo exiſtimari, vt nuncij ad me nequeāt peruenire, cùm ex remotiſsimis terrarum regnis Portugalliæ Rex Emanuel filius tuus, Oratores ad nos commodiſsimè miſerit, & ſi Deus eum ad ſe in cælum euocare diſtuliſſet, ea quæ tum agitabamus, procul dubio felicem exitum habuiſſent. nunc verò maximè opto proſpera & ſalutaria de Sanctitate veſtra, per certos nuncios audire. neque enim vnquàm à Sanctitate veſtra verbum recepi, quum aliqua tantùm à noſtris, qui ex voto peregrinantur, audierim. Sed hi cùm neque meo nomine proficiſcantur, neque quicquam literarum à vobis afferant, incerta fide nobis percontantibus, dicunt ſe ab Hieroſolyma, deindè ſolutis votis, ad viſitanda Apoſtolorum limina, Romam perueniſſe, cùm intelligant ea loca facilè peti, quòd à Chriſtianis teneantur, & certè ſummam capio ex eorum ſermonibus voluptatem, quoniam dulciſsima cogitatione ſancti vultûs tui imaginem intueor, quæ mihi Angeli formæ ſimilima videtur, & illā ſicutì angelicam me diligere, venerariq́ꝫ fateor. Sed profectò mihi eſſet gratius atque iucundius, verba tua, tuasq́ꝫ literas deuotiſsimè contēplari. Atq́ꝫ ità nunc te oro, vt nuncium tuum cum benedictione ad me mittere velis, ad exhilarādum cor meū, nam cùm in religione & fide conſentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum: ſuppliciterq́ꝫ item oro, vt amicitiam meā, ad inſtàr annuli,

nuli, quem induis in digitum, & torquis aurei, quem humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt meî memoria nunq̃ ex animo veſtro deleatur. Gratis etenim verbis & literis amicitia maximè creſcit, cùm eam ſancta pax complectitur, è qua omnis humana lætitia facilè prouenit. Quemadmodùm enim is, qui vehementer ſitit, frigidam maximè aquam deſiderat, vt in ſacris ſcripturis habetur: ità animus meus ex nuncijs & literis, quæ ex remotiſsimis terris deferũtur, incredibile gaudium concipere ſolet. neque tantummodò de Sanctitate veſtra, ſi aliqua audiero, verùm ſi certa de ſingulis terræ Chriſtianæ Regibus referentur, mirum in modum lætabor: ſicutì his accidit, qui præliando opima ſpolia reperiunt & legunt. hoc enim facilimè fieri poteſt, poſtquàm Rex Portugalliȩ totum id iter aperuit, qui ad nos iam pridèm legatos ſuos miſit cum ſtrenuiſsimis equitibus. Dum autem pater meus eſſet in humanis, neque tum, aut demùm à quoquam alio Rege Chriſtiano, vel ipſo Pontifice, aut nunciũ, aut omninò literas recepimus. Quanquàm in Archiuis proaui noſtri ſeminis Iacob earum literarum memoria conſeruetur, quas Papa Romanus nomine Eugenius, ad has literas miſit, cùm ipſe ſemen Iacob regnaret, Rex regum in vniuerſa Aethiopia, Rex metuendus. Præſcriptio autem literarum hæc erat: Pſal. 42.

Eugenius Romanus Pontifex, filio dilecto noſtro Regi, ex ſemine Iacob, Regi Regum in vniuerſa Aethiopia, maximè metuendo, &c. In ſumma autem literarum ſignificabat, filium ſuum Ioannem Palæologum, qui biennio antè eſſet mortuus, Regem Regum Romȩorum, ad ſacroſanctam ſynodũ celebrandam, euocatũ fuiſſe, &

& cum eo Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum venisse cum magno numero Archiepiscoporum, & Episcoporum, & omnis generis Prælatorũ, in quibus etiam fuissent Procuratores Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, & Hierosolymitani. Qui omnes se cum sanctæ fidei & religionis amore firmiter coniunxissent, constitutaq; vnitate Ecclesiæ, sublatas fuisse antiqui temporis difficultates, non sine diuino auxilio, quæ erroneæ, & religioni contrariæ videbantur: quibus rebus ritè sancitis, & constitutis, ipse Papa omnibus singularem lætitiam peperisset. Hũc autem librũ Papæ Eugenij ad vos mittimus, quẽ incorruptum seruauimus: totum etiam Pontificiæ benedictionis ordinem & potestatem misissemus, nisi harum rerum nimis magnum volumẽ esse videretur, quum magnitudine librum Pauli ad gentes omninò superet. Legati verò, qui hæc à Pontifice ad nos detulerunt, fuêre Theodorus, Petrus, Didymus, & Georgius, serui Iesu Christi. Tu verò, sanctissime pater, rectè feceris, si euolui vestros libros iusseris, vbi harum rerum, de quibus scribimus, vti facilè arbitror, aliqua memoria reperiatur. Itaque sancte pater, si aliqua ad nos perscribes, firmiter existimato, cuncta in nostros libros diligentissimè fore conscripta, vt posteris nostris earum rerum sempiterna memoria relinquatur. Et certè is mihi beatus esse videtur, cuius memoria custodita literis in vrbe sancta Roma, & in sede Sanctorum Petri & Pauli conseruatur. Hi enim sunt domini regni cælorum & totius mundi iudices. Et quoniam ità credo, proptereà has mitto literas, vt mihi gratia paretur apud Sanctitatem vestram, & vestrum sanctissimum Senatum, vt indè sancta benedictio mihi pro-

prouenіat, & bonorum omnium incrementum. Obnixè etiam precor Sanctitatẽ vestram, vt mihi mittere velit aliquas Sanctorum imagines, & præcipuè beatæ Mariæ Virginis, vt sæpissimè sit in ore atque memoria mea nomen vestræ Sanctitatis, & continuam ex muneribus vestris capiam voluptatem. Idcircò etiam vehementer postulo, vt mihi viros sacrarum literarum doctos atq; etiam artifices mittatis, qui imagines fabricent, atq; ità enses, & arma bellica omnis generis, itẽq; cælatores auri atque argenti, & fabros lignarios, præcipuè architectos, qui domos ex lapide construant, & tegulas ex plumbo, cuproq; ducere sciant, quibus domorum tecta protegantur: ad hos etiam nobis admodùm chari erunt, qui vitrum conflare, organaq; musica scitè facere, & doctè pulsare sciãt, itemq; fistulatores, & tibicines. Hos verò artifices ex domo vestra pręcipuè mihi mitti vellem. vel si horum domi vestræ exigua erit copia, ab alijs regib. filijs vestris, eos Sanctitas vestra poterit impetrare. quoniam vestris imperijs & nutibus facilè obediunt. Hi cùm ad me peruenerint, pro meritis summo in honore habebuntur, ex liberalitate mea mercedem amplam accipient. & si domum aliquis redire concupiscet, præmijs abundè ornatus abibit, quandò nec inuitum quenquam sim retenturus, cùm fructum aliquem ex ejus industria percepero. Nunc ad alia transeundum est, & iam à te postulo, sanctissime pater, cur non hortaris Reges Christianos filios tuos, vt arma deponant, &, vti fratres decet, concordes inter se esse velint, postquàm ipsi oues tuæ sunt, & tu ipse pastor earum? Optimè quidem tua Sanctitas nouit, quid Euangelium præcipiat, quod dicit: Omne regnum in se di- uisum,

Matt. 12.
Luc. 11.

uiſum, deſolabitur. Nam ſi reges animis & fœdere certo conſentient, facilimè Mahumetanos omnes delebunt, & pſeudoprophetæ ſepulcrum felici irruptione diſturbabunt & diruēt. Ob hāc rem da operá, pater ſancte, vt inter eos bona pax fiat, & certum fœdus amicitiæ percutiatur: hortareq́ eos, vt mihi adeſſe, atq opem ferre velint, cùm in regnorum meorum finibus à Mahumetanis Mauris peſsimis hominibus ſim ex omni latere circundatus. Ipſi autem Mauri Mahumetani, inter ſe mutuis auxilijs vtuntur, Regésque cum Regibus, & Reguli cum Regulis, aduersùs nos ſyncerè & conſtantiſsimè cōueniunt. Mihi Maurus quidam admodùm vicinus eſt, cui finitimi alij Mauri arma, equos, atque inſtrumenta bellica ſuppeditāt. Hi ſunt Reges Indiæ, Perſidis, Arabiæ, atque Aegypti. Quibus de rebus ſingularem animo indiès capio moleſtiam, cùm hoſtes Chriſtianæ religionis, fraterna charitate inter ſe coniunctos pace frui conſpiciam: Reges verò Chriſtianos, fratres meos, nihil omninò iſtis iniurijs commoueri, neque vllam mihi opem afferre, vtì certè deceret Chriſtianos, poſtquàm fœdiſsimi filij Mahumetis, inter ſe mutuis opibus adiuuantur. Neque ego is ſum, qui ad id militares copias poſtulem, cùm milites mihi ſuperſint. Orationes, & ſupplicationes tantùm peto, locumq́ gratiæ apud Sāctitatem veſtram, & reges fratres meos exopto. Quærenda enim mihi eſt hæc vobiſcū amicitia, vt copiosè his rebus, quas ſuprà poſtulaui, ad terrorem Maurorum ſim inſtructus, & Chriſtiani nominis hoſtes vicini mei, intelligant Reges fratres meos, ſingulari ſtudio mihi fauere, atque opem ferre. quod certè ad commune decus pertinet, poſtquàm in vna religionis & fidei veri-

veritate consentimus, & in eo cōsilio sumus permansuri, quod firmum atq; absolutum erit cum eo, quod vtilius eueniet. Deus itaq; desideria vestra impleat, super laudibus IESV Christi, & Dei patris nostri, quem omnes laudāt per omnia secula. Et tu, domine pater sancte, complectere me cum omnibus sanctis IESV CHRISTI, qui sunt Romæ. & pariter in hos amplexus recipiantur omnes incolæ regnorum meorum, & qui Aethiopiam inhabitant, & reddatur gratia Domino IESV CHRISTO cum spiritu vestro. Has verò literas Sanctitas tua accipiet, de manu fratris mei Ioannis Regis Portugalliæ, filij potentissimi Regis Emanuelis per Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

Aliæ literæ eiusdem Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum, scriptæ anno millesimo, quingentesimo vigesimoquarto, Paulo Iouio interprete.

FElix sancte pater, qui à Deo effectus es Gentium consecrator, & sancti Petri sedem obtines. Tibi datæ sunt claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris, vel solueris super terram, erit ligatum, vel solutum in cælis, sicut dixit Christus, & ità in Euāgelio Matthæus scribit. Matt. 16. Ego rex, cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia Athani Thingil, id est, Thus virginis, vocor, quod nomen est à baptismate, nunc verò in ipso suscepti regni initio, assumpsi nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, fi-

lius columnæ Sion, filius ſeminis Iacob, filius de Manu Mariæ, filius Naū per carnem, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baalinganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbì Nilus oritur, de Damaraa, de Vagemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, vndè fuit regina Saba, de Bernagaes, & dominus vſque ad Nobiam, finem Aegypti. Hæ prouinciæ omnes in mea poteſtate ſunt, & pleræque aliæ magnæ, & item paruæ, quæ nunc à me nequaquàm numerantur, neque regna & ꝓuincias ſuis nominibus expreſsi, velutì ſuperbia & vana gloria inductus, verùm ob id, vt ſummus Deus magìs ac magìs laudaretur, qui ſingulari benignitate, tot ampliſsimorum regnorū Chriſtianæ religionis, ſuperioribus meis regibus, imperia tribuiſſet, ſed profectò me clariore gratia, inter alios reges dignum fecit, vt religioni continuè inſeruirem. Quoniam me Adel dominum fecerit, hoſtē Maurorum & Gentilium, qui adorant idola. Mitto ad deoſculandos pedes Sanctitatis veſtræ more cæterorum Chriſtianæ fidei Regum, fratrum meorum, quibus neque religione, neq; potentia ſum inferior. Ego etenim in regnis meis ſum colūna fidei, neque externis iuuor auxilijs, cùm in ſolo Deo ſpem & opem reponam, qui me ſuſtinet & gubernat ab eo tempore, quo Angelus Dei allocutus eſt Philippum, qui fidem doceret Eunuchum potentis Reginæ Candacis, Reginæ Aethiopiæ, quæ ab Hieroſolyma Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eunuchum, & Eunuchus demùm Reginam, cum magna parte familiæ, & populi eius, qui nunquàm deſiērunt eſſe Chriſtiani,

Acto. 8.

ani, omniq́ꝫ ſequenti tempore perſtiterunt fortes in fide. Prædeceſſores verò mei, nulla alia ope adiuti quàm diuina, fidem in latiſsimis regnis propagârunt, quod & ego quotidiè efficere contendo. Maneo etenim inter maximos regnorum meorum fines, vt leo ingenti ſylua circundatus, & ſeptus aduersùs Mauros obſidentes, & alias nationes fidei Chriſtianæ inimiciſsimas, quę nolunt audire verbum Dei, neque cohortationes meas, & ego gladio accinctus eos perſequor, & paulatim extrudo, diuino ſcilicet fretus auxilio, quod nunquàm mihi deeſt, quod ſecùs accidit regibus Chriſtianis. Nam ſi regnorum ſuorum fines extendunt, id facilè poſſunt aſſequi. quoniam alter alteri opem ferre poſſet, & auxilia ſubminiſtrare, iuuaríque benedictione veſtræ Sanctitatis, cuius particeps ego ſum, cùm in libris meis habeantur literæ, quas ſuperioribus temporibus Eugenius Papa cum benedictione miſit, ad Regem ſemen Iacob. Qua accepta, tradita per manus benedictione ego fruor, & magnoperè lætor. Cæterùm ego in magna habeo veneratione ſanctum templum in Hieruſalem, ad quod ſæpiſsimè mitto oblationes debitas, per noſtros peregrinantes. Et multo plures & pinguiores mitterem, niſi itinera à Mauris & infidelibus obſiderentur. Nam præter illud, quòd dona noſtra & theſauros nuncijs eripiunt, etiam eos liberè pertranſire non ſinunt. Quòd ſi paterent itinera, in familiaritatem & commercium Romanæ Eccleſiæ deuenirem, vtì fit à cęteris Chriſtianis Regibus, quibus in religione Chriſtiana non ſum inferior. Et ità vt illi credunt, vnam fidem rectam, & vnam eccleſiam confiteor, credóque ſynceriſsimè in ſanctã Trinitatem, & in vnũ Deũ,

& virginitatem Dominæ nostræ virginis Mariæ, & articulos fidei teneo & obseruo, vtì ab Apostolis conscripti fuerunt. Nunc Deus optimus manu potentissimi & Christianissimi Regis Emanuelis iter patefecit, vt per legatos conueniremus & in fide coniuncti Christiani, cum Christianis Deo inseruiremus. Sed dum in aula mea eius oratores essent, allatum est, eum vitā cum morte commutâsse, filiumq́ eius, fratrem meū Ioannem, paterni regni sceptrum accepisse. Vndè sicutì ex patris morte summum senseram dolorem, ità ex filij felici in regnum assumptione mirificè sum lætatus, adeò vt sperem nos communibus copijs & viribus per regiones Maurorum pessimorum, terra mariq́ iter aperturos, atque eos, magno terrore illato, sedibus & regnis esse depulsuros, vt commodo pacatóque itinere Christiani Hierosolymitanum templum petere, & liberè commeare, possint. Atque ego in primìs, sicutì vehementer exopto, Diuini amoris particeps esse possim in templo Apostolorū Petri & Pauli. Cupio autem ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionē à vicario Domini nostri IESV CHRISTI. Nam procul dubio Sanctitas vestra, Dei est vicarius. Et cùm à peregrinis, qui ex regionibus nostris ad Hierusalem atque indè Romam non sine miraculo eunt, & redeunt, multa de Sanctitate vestra ab his audio, quæ mihi incredibilem afferunt voluptatem & gaudium. Sed multo maiorem omnino caperem lætitiam, si mei Oratores breuiore itineris compendio vti possent, & noua referrent. Sicutì antequàm moriar, aliquandò allaturos spero nō sine gratia Dei omnipotentis, qui vos in sanitate & sanctitate conseruet, Amen. Exosculor autem
pedes

pedes ſanctos, & ſupplex oro, vt benedictionem mittat. Has quoquè literas Sanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis Regis Portugalliæ, per eundem Oratorem noſtrum Franciſcum Aluarez.

Has epiſtolas à Paulo Iouio verſas, huic noſtro opuſculo ob maiorem huius hiſtoriæ cognitionem adiunximus, nec in eis aliquid mutauimus (quanquàm in quibuſdam locis mutatione indiguiſſent) præter pauca, quæ ex Arabico & Abeſynico idiomate, in Luſitanicum ſermonem, omninò malè interpretata, mutato epiſtolarum ordine, fuerunt. Idem Iouius quoquè in harum epiſtolarum enarratione, volumen quod Franciſcus Aluarez de ſitu, moribus, cultúque Aethiopum compoſuit, in quo etiam totum ſuum iter explicat, pollicitus eſt Latinum facere, cuius voluminis vnum exemplar penès me habeo. quòd ſi Iouius à vertendo ſuperſedeat, nõ abhorrerem ab eius rei tractatione. quanquàm id prouinciæ non libenter ſuſcepero, nisì id tuis, ſanctiſsime pater, mandatis mihi imperatum cognouero, quo tutior eſſe poſsim aduersùs calumnioſos, quibus videri poſsim non ſtudio Reipublicæ Chriſtianæ, ſed æmulatione gloriæ Iouianæ hoc onus ſubijſſe. Ad quod cum fide tractandum, me non parùm inſtructum arbitror. Nam cùm perfunctus Germanicis & Sarmaticis legationibus, è Belgica ad Regem meum Ioannem eius nominis tertium redeo, cujus plurimam in me excipiendo & humanitatem, & munificentiam expertus ſum, Vlyſsippone in colloquium Aethiopici legati íncido, viri & Epiſcopali dignitate venerabilis, & fide, doctrina, ac eloquentia Chaldaicæ & Arabicæ linguæ admirabilis,

& in ſumma idonei, qui à potentiſsimo Aethiopum Imperatore, ad maximos principes de maximis rebus mitteretur. huic aũt nomen fuit Zaga Zabo, cum eo poſt initã inter nos firmiſsimã & conſtantiſsimam amicitiã, ſæpiùs ſermoné miſcui, variasq́ꝫ diſputationes habui, præſertim de moribus & religione Aethiopũ Chriſtianorum, cupiebã enim eas res nõ ex verbis interpretantiũ peregrinorũ, ſed ab indigena, coràm & ore tenus cognoſcere. Inter cætera epiſtolã quoq́ꝫ per Matthæum legatũ in Luſitaniam miſſam, ei oſtendi, quam ego iam pridèm cum articulis, quos coram Rege Emanuele expoſuerat, in linguã Latinã (vt dictum eſt) tranſtulerã, multaq́ꝫ ex illius admonitu caſtigaui, vbì interpretatio nõ plenè rei fidem aut indolem aſſecuta erat: quod tum mihi, tum Iouio non raró accidiſſe affirmabat. habebã enim iam mecũ ipſius Iouij epiſtolas, quas ſumma cum diligentia cõtulimus. Poſtmodùm vigente inter nos iam vera Chriſti charitate, & amicitia, auſus ſum ab eo petere planam & legitimam Aethiopũ fidei & religionis enarrationem, eamq́ꝫ ſua manu deſcribi, quod mihi ſumma cum alacritate conceſsit, illamq́ꝫ ſtatìm deſcribere incepit, ſententiã ſumma fide in Latinã linguã refudi, vt ex ſequentibus patebit. Id verò, conſcientia vrgente, eo ardentiùs aggreſſus ſum, ꝙ non ignoré, ſi hęc apud me perijſſent, à nemine mortalium vnq̃ in lucem proditura fuiſſent. Indè quòd ſic digeſta & cõpoſita ad phraſim Chaldaicã & Aethiopicã eſſent, vt vix à quopiã intelligi potuiſſent, niſì à me, qui ea omnia tam ex ore, q̃ ex ſcriptis ipſius Aethiopici Oratoris, per multam familiaritatem conſequi iam poteram.

IN

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI AMEN.

Hæc ſunt, quæ de fide & religione apud nos Æthiopes habentur & obſeruantur.

CREDIMVS in nomen ſanctæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, qui vnus eſt Dominus: tria quidē nomina, vna diuinitas: tres facies, vna verò ſimilitudo: æqualis trium perſonarum coniunctio, æqualis, inquam, in diuinitate: vnum regnum, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnum verbum, & vnus ſpiritus. Verbum autem patris & filij, verbum ſpiritûs ſancti, & filius eſt idem verbū, & verbū apud Deum, & apud ſpiritum ſanctum, & apud ſemetipſum, ſine defectu vllo, aut diuiſione, filius patris, & filius ipſius patris ſine principio, nēpe primo ſine matre filius patris. Nemo enim nouit ſecretum, & myſterium eius natiuitatis, niſi pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Is autem filius in principio erat verbum, & verbum erat verbum apud Deum, & Deus erat verbum. Spiritus patris, ſpiritus ſanctus, ſpiritus filij, ſpiritus ſanctus eſt. ſpiritus autem ſanctus, ſpiritus ſui, ſine vlla diminutione, aut augmentatione. is etenim ſpiritus ſanctus, paracletus, Deus viuus, qui ex patre & filio procedit, locutus eſt per os Prophetarum, & in flamma ignis deſcēdit ſuper Apoſtolos in atrium Sion. Qui per totum terrarum orbem denunciârunt, ac prædicârunt verbum patris, quod ver-

Hoc poſteà explicat.

Huius noſtri oratoris ſcripta in hoc loco ambiguā habebant ſignificatione: eā, quæ magìs catholicæ eccleſiæ cōgruit, textui inſeruimus, aliam hic in margine explicādā duximus.

bum erat ipse filius. Præterea neque pater est primus indè, quòd pater sit, nec filius postremus indè, quòd filius sit: sic spiritus sanctus neque primus, neque postremus est. Tres personæ vnus Deus, qui videt, & à nemine videtur, qui vnico suo consilio cuncta creauit. Posteà verò filius spontè propter nostram salutem, ipso patre volenti, spiritu sancto consentienti, ex altissimo suo domicilio descendit, & incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria virgine, quæ Maria duplici ornabatur virginitate, vna spirituali, altera verò carnali. Et natus est sine aliqua corruptione, ipsa Maria matre post partum virgine permanenti, & magno cum miraculo & arcano igne diuinitatis afflata, sine sanguine & doloribus peperit filium suum Iesum Christum, qui homo innocens & sine peccato fuit, & perfectus Deus, & perfectus homo, vnum solummodò habens adspectum. Adoleuit sensim vt infans, sugens lac Mariæ virginis matris suæ. & cùm attigisset trigesimum annum, baptizatus est in Iordane. Et vt cæteri homines, ambulauit, fuitq; lassus, sudauit, esuriuit, & sitiuit. Hæc omnia passus est spontè & voluntariè, plurimaq; fecit miracula. Atque per suam diuinitatem cæcis visum restituit, claudos sanauit, leprosos mundauit, mortuosq; suscitauit, ipseq; postremò volens captus est, & flagellatus, ac colaphis verberatus, & crucifixus, & languit & mortuus est propter peccata nostra, & sua morte vicit mortem ac diabolum, & sua viua ægritudine dissoluit peccata nostra, & languores nostros tulit, & baptismo sanguinis sui, qui baptismus mors eius fuit, baptizauit patriarchas & prophetas: descenditq; ad inferos, vbì erat anima Adæ & eius filiorum, atque

que sequens est: Sine defectu vllo aut diuisione filius patris, & filius sui, & principium sui, nempe primò sine matre filius patris, &c.

Hoc in fi-

que

que anima ipsius Christi, quæ est ab Adam, quam animam Adæ ipse Christus accepit ex sancta Maria virgine, & in splendore & potentia diuinitatis suæ, & crucis fortitudine fregit æneas ac igneas inferorum portas, & catenis ferreis satanam colligauit, & redemit Adam & eius filios. Hęc omnia Christus fecit propterea quòd plenus diuinitate erat, & ipsa diuinitas erat cum ipsius anima, & erat etiam cum ipsius sanctissimo corpore, quæ diuinitas virtutem dedit cruci. Quam quidem diuinitaté, is cum patre in Trinitate & vnitate semper habuit, & habet communem. Nec enim ipse Christus obambulans in terris, caruit oculi momento diuinitate, vel dignitate sua. Tum demùm sepultus, tertia die ipse Iesus Christus, Princeps resurrectionis, Iesus Christus dulcissimus, Iesus Christus, princeps sacerdotum, Iesus Christus Rex Israel, cum magna potentia & fortitudine resurrexit. Et postquàm omnia fuerunt adimpleta, quæ sancti Prophetæ prædixerunt, asscendit in cælum cum gloria, & sedet à dextra patris, & venturus est cum gloria, ferens ante faciem suam crucem, & in manu gladium iustitię, iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credo vnam sanctam catholicam, & Apostolicá ecclesiam, credo vnum baptismũ, qui est remissio peccatorum, spero resurrectionem mortuorũ, & vitam venturi seculi, Amen. Credo dominá sanctam Mariam virginem. virginem (inquam) spiritu & carne, quæ vt Dei mater, charitas omnium gentium est, sancta sanctorum, & virgo virginũ, quam modis omnibus veneror. Credo sanctum lignum crucis, lectum ægritudinis Domini nostri Iesu Christi filij Dei esse, qui Christus salus nostra est, propter quẽ salui sumus, Iudæis quidẽ scan-

ne latè explanat.

1. Cor. 1.

ſcandalum, Gẽtibus autẽ ſtultitia. Nos verò prę-dicamus & credimus fortitudinem crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quemadmodùm ſanctus Paulus doctor noſter præcepit. Credo ſanctũ Petrum petram legis eſſe, quæ lex ædificata eſt ſuper ſanctos prophetas, fundamentum & caput Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ Orientalis & Occidentalis, vbi eſt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius Eccleſiæ poteſtatẽ Petrus Apoſtolus habet, ac claues regni cælorum, quibus claudere & aperire, ſoluere & ligare poteſt. Is autem ſedebit cum alijs Apoſtolis eius ſocijs ſuper duodecim ſedes, cum honore & laude apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui in die iudicij ſententiam eſt de nobis laturus. Quæ dies gaudij quidẽ ſanctis, doloris autem & ſtridoris dentium, peccatoribus erit, cùm deijcientur in ardentes flammas inferni cum eorũ patre diabolo. Credo ſanctos Prophetas & Apoſtolos, Martyres & Cõfeſſores, veros Chriſti imitatores fuiſſe, quos cum ſanctiſsimis Dei Angelis veneror & honoro. pariq́; modo etiam omnes illorum ſectatores complector & deoſculor. Deindè confeſsionem vocalem omnium meorum peccatorum credo faciẽdam eſſe apud ſacerdotem, cuius precibus per Chriſtum Dominum noſtrũ, ſalutẽ animæ meæ ſpero me conſecuturum. Præthereà Pontificẽ Romanum tanquàm primum Epiſcopum & paſtorem ouium Chriſti agnoſco, ac omnes Patriarchas, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, quorum ille caput eſt, quibus tanquàm ipſius Chriſti miniſtris pareo, ac obedio.

Hæc eſt fides & lex mea, & populi Aethiopiæ, qui eſt ſub ditione Precioſi Ioannis, quæ fides atq; Chriſti amor, ità ſunt apud nos confirmata, vt ea

nec

nec per mortem, nec per ignem, nec per gladium, fretus auxilio Saluatoris nostri Iesu Christi, vnquàm sim abnegaturus, quam fidem omnes portaturi sumus in die iudicij ante faciem eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

Iam his enumeratis, erit nobis explicanda disciplina & doctrina ac lex, quæ Apostoli in sanctis Synodorum libris & Canonum (quos Manda atque Abethilis vocamus) nobis præceperũt. Sunt enim ij sanctæ Ecclesiæ legum libri octo, quos oẽs Apostoli Hierosolymis congregati, scripserunt. De quibus habita inquisitione, cum quibusdam doctoribus, postquàm in Lusitaniam véni, neminem reperi, qui horum memoriã teneret. Obseruationes verò, quas sancti Apostoli nobis in his libris præscripserunt, hę sunt: Primò oportere nos ieiunare singulis diebus Mercurij in memoriam consilij Iudæorum, quo die ab eis decretum & consultum fuit, Christum occidẽdum esse. Præterea ieiunandum esse singulis diebus Veneris, quo in die Christus Iesus crucifixus & mortuus est ꝓ peccatis nostris. Et in his duobus diebus præceptum est ieiunare vsque ad occasum solis. Quadraginta verò diebus quadragesimalibus, pane & aqua ieiunandum iniunxerũt. Septẽ diei ac noctis horis incumbere rebus diuinis. Ex ijs edictis quoquè tenemur & sacrũ celebrare diebus Mercurij, ac Veneris tẽpore vespertino, quoniam tunc expirauit Dominus noster Iesus Christus in sancto ligno crucis. Diebus autem Dominicis, omnes vnanimiter vt congregaremur in sacra ęde hora tertia diei ab ortu solis ad legendum & audiendum Prophetarum libros voluẽrunt, atq; posteà, vt sanctum Euangelium prędicemus, sacrum quoquè faciamus. Præterea nouem dies festos

festos in Christi memoriam celebrandos constituerunt, scilicet, Annũciationis, Natiuitatis, Circuncisionis, Purificationis siue Candelarum, Baptismi, Transfigurationis, Dominicę Palmarum, vsq; ad octauam Veneris sancti, (vt vocamus) qui dies duodecim sunt. Asscensionis quoquè atque Pentecostes cum suis etiam ferijs. Et ex horum librorum præceptis, sine aliqua exceptione, à festo Paschæ vsque ad Pentecosten singulis diebus vescimur carnibus, nec per hos dies, vsq; ad octauam Pentecostes ieiunare tenemur, id quidem propter maiorem venerationem & honorem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Itẽ voluerunt vt diem mortis & assumptionis Mariæ virginis, cum omni honore celebraremus. Præterea præter Apostolorum præcepta, quidã Preciosus Ioannes nomine Semen Iacob, constituit in honorem eiusdem beatæ virginis, singulis annis triginta supra tres dies etiam celebrandos. Deindè propter Christi Saluatoris natiuitatem, celebrari iussit de vnoquoque mense diem vnũ, qui dies vigesimusquintus semper est. Constituit quoquè ex singulis mensibus, vnum diem propter sanctum Michaelem celebrandum. Vlteriùs ex indicto Synodorum Apostolorum, diem martyrij sancti Stephani, ac aliorum martyrum celebramus. Ex institutione quoquè Apostolorum celebrare tenemur duos dies, scilicet Sabbati & Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem. Diem verò Sabbati ob id, quòd Deus in eo, mundi perfecta creatione, quieuisset, seruamus. quem vt vocari voluit, Sanctum sanctorum, ità planè videretur contra eius voluntatem & pręceptum fieri, qui cęlum & terram potiùs, quàm suum verbum

perire

perire vult, si cum magno honore ac religione is dies non celebraretur, præsertim cùm ipse Christus non ad soluendum legem, sed ad implẽdum venerit. Quapropter non ad imitationem Iudęorum, sed iussu Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum Apostolorum, eum seruamus, quorum Iudæorum gratia in nos Christianos translata est. In quo die Sabbati, excepto tempore quadragesimali, carnes semper comedimus. Id tamen in regno Bernagaes, ac Tigri Mahon non seruatur, quorum duorum regnorum indigenæ ex veteri consuetudine, carnibus in diebus Sabbati & Dominici quadragesimalibus vescuntur. Diem autem Dominicum, vt cæteri Christiani, in memoriam Christi resurrectionis celebramus. Diem tamen sabbati ex legis libris, & non ex Euangelio, celebrandum esse scimus. Nihilominùs Euangelium, finem legis ac Prophetarum esse, non ignoramus. In quibus duobus diebus credimus animas piorum defunctorum, in Purgatorio minimè cruciari. Quam quietem Deus in his sanctissimis diebus, animis concedit, donèc indè (finito termino suarum pœnarum, pro facinoribus in hoc seculo meritarum) penitùs emergant. Ad quas pœnas minuendas, ac earum cruciatûs tempus attenuandum, eleemosynas pro defunctis factas, credimus ipsis animis in Purgatorio degentibus maximè prodesse. Ad quarum animarum remissionem Patriarcha nullas dat indulgentias, id ad solum Deum, ac pœnarum temporis constitutionem credimus spectare. Nullos quoquè dies indulgentiarum Patriarcha concedit. Matth. 5.

Ex Euãgelij lectione, sex tantùm tenemur seruare præcepta, quæ Christus ore proprio ità expla-

Matt. 25. planauit: Esuriui, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes erã, & collegistis me: Nudus, & operuistis me: Infirmus, & visitâstis me: In carcere eram, & venistis ad me. Quæ verba Christus in die iudicij solummodò
Roman. 3. est prolaturus: quoniam lex, teste Paulo, peccata nobis ostendit, quam legem, excepto Iesu Christo, nemo custodire potuit. Ipso Paulo quoquè
Roman. 5. teste, Omnes ex peccato nati sumus, propter Euę matris nostræ transgressionẽ, & propter eius maledictionẽ. Littera inquit ipsemet Paulus, nos propter Adam mori, & propter Christi vitam viuere, qui Christus ob suam immẽsam misericordiam, nobis hæc sex pręcepta dedit, vt cùm venerit in sua maiestate, iudicatum viuos & mortuos, saluemur. Quibus verbis ac præceptis, in ipso tremendo iudicij die bonis gloriam sempiternam, malis ignem & perpetuam damnationem denunciabit. Et quinq; tantùm peccata mortalia (vt vocant) annumeramus, id quidem ex vltimo Apo-
Apoca. 22. calypsis capite, vbi dicitur: Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Item constitutum est à sanctis Apostolis, in Synodorũ libris, clericos vxores licere ducere, id quidem postquàm cognitionem aliquam habuerint rerum diuinarum. Deindè inito matrimonio, in ordinem presbyterorum recipiuntur, in quẽ nisì post annum trigesimum nemo recipitur, nec spurij, nec nothi aliqua ratione ad eundem sacratissimum ordinem intromittuntur, qui ordines à nemine, nisì ab ipso patriarcha dantur. Mortua tamen prima vxore Episcopi aut clerici aliam ducere non possunt, nisì patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquandò indulgetur magnatibus pro-

propter publicum bonum) nec habere concubinam, nisì se voluērint à sacris abdicare: quod si fecerint, res diuinas ampliùs tractare nō possunt. Et hoc tam strictè seruatur, vt ij presbyteri, qui secundò vxorem duxerint, ne candelam quidem vnam Ecclesiæ consecratam, in manum auderent accipere. Quòd si inuentum fuerit, Episcopū aut clericum filium spurium habere, ab omnibus beneficijs ac sacris ordinibus abdicatur, quorū bona, si sine legitima prole discedant, ad Preciosum Ioannem, & non ad Patriarcham, veniunt. Et id, quòd presbyteri apud nos vxores posſideant, ex Paulo accepimus, qui mauult clericū & laicum nubere, q̃ vri. Is quoq; inquit, oportere Episcopū virum vnius vxoris esse, & irrepræhensibilē, sobrium: pariq; modo vult esse diaconos. Atq; etiā, vt Ecclesiastici perindè atquè seculares, proprias vxores ex legitimo matrimonio habeant. Monachi tamen vxores non ducunt. Et tam laici quàm clerici vnam tantùm posſidēt vxorem, & matrimonium nō contrahitur, pro foribus sacræ ædis, sed in priuatis domibus Paranymphorū. Ex sanctorum Apostolorum constitutione habemus, vt si sacerdos fuerit compræhensus in adulterio, homicidio, latrocinio, vel falsum testimonium tulerit, vt à sacris ordinibus destituatur, ac vt cæteri malefici puniatur. Rursus ex eorum Apostolorum instituto: Si aliquis siue ecclesiasticus, siue laicus cum vxore cōgressus fuerit, vel in somnis pollutus fuerit, spatio quatuor & viginti horarū templum non ingreditur: nec id quoquè menstruatis mulieribus licet, nisì septimo quoq; die à mēstruo, id quidem omnibus vestibus ablatis, quibus tempore menstrui vtebatur, ipsáq; benè lota, atq; à sordibus repurgata. Item mulieri pa-

1. Cor. 7.
1. Tim. 3.

rienti masculum, non conceditur venire in templum nisi post quadragesimum diem: parienti verò fœminam, post octogesimum. Hanc cõsuetudinem ex veteri lege, ac ex noua Apostolica habemus, quas leges, instituta ac præcepta diligenter in omnibus, quatenùs fieri posit, obseruamus. Deindè prohibitum est apud nos, nè aut gentes, aut canes, aut alia huiusmodi animalia, in templa nostra intrent. Item non datur potestas nobis adeundi templum, nisi nudis pedibus, neque licet nobis in ipso templo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, nec spuere, aut screare in ipso templo. Quia Ecclesiæ Aethiopiæ non sunt similes terræ illi, vbì populus Israel comedit agnum paschalem, decedens ab Aegypto, in quo loco Deus iussit eos comedere indutos calceamẽtis, & zonis accinctos propter terrę pollutionem. Sed similes sunt monti Sinai, vbì Dominus locutus est Mosi, dicens: Moses Moses, exue calceamenta tua, quoniam terra, quam pedes tui premunt, sancta est. Et hic mons Sinai parens nostrarum Ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt originem, ità vt Apostoli ex Prophetis, & nouum testamentum à vetere. Prætereà nec sacerdoti, nec laico, vel alij personæ cuius cõditionis sit, assumpta venerabili Eucharistia, licet expuere, à tempore matutino vsq; ad occasum solis: &, si spuerit, grauissima pœna mulctatur. Item in memoriã Christi baptismi, singulis annis, omnes in Epiphanijs Domini baptizamur, id quidem facimus, non quòd ad salutem spectare credimus, sed propter Seruatoris nostri laudem ac gloriã. Neq; vberiùs atq; refertiùs spectaculis, iocis & cæremonijs, vllum aliud festum celebramus. quoniã in hoc die primò manifestè apparuit sanctissima

Exo. 3.

ma Trinitas, cùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus baptizaretur in flumine Iordane, cùm ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper caput eius deſcenderit, & vox de cælo dixerit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Qui ſpiritus ſanctus apparens in ſpecie albę colũbę, cum facie & figura patris & filij apparuit in vna diuinitate. Pariq; modo Chriſtus viſus eſt à ſanctis Prophetis per multas ſimilitudines & formas. Primùm in ſpecie arietis albi, ꝓpter ſalutẽ Iſaac filij Abrahæ, eoq; modo nominauit Iacob, Iſrael: & Iacob, Iudam catulũ leonis, cui ſuper alios fratres poteſtatem tribuit, dicens: Ad prædam, fili mi, aſſcendiſti: requieſcens occubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Item manifeſtauit ſe Moſi in monte Sinai in ſpecie flãmæ igneæ, oſtendit ſe ſancto Danieli prophetę in ſimilitudine petræ. Ezechieli quoq; filio hominis apparuit, & Iſaiæ in forma infantis. Manifeſtauit etiam ſe Regi Dauidi, & Gedeoni in rore ſuper vellus. Præter has recenſitas formas, in multis alijs viſus eſt à ſanctis Prophetis. Tametſi tam varijs formis fuerit viſus, ſemper ſimilitudinem patris & ſpiritûs ſancti repræſentauit. Et cùm Deus etiam creâſſet mundum, dixit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & fecit Adam ad ſuam imaginem & ſimilitudinem. Propterea nos dicimus patrem, filium, & ſpiritũ ſanctum, eſſe tres vultus in vna ſimilitudine & diuinitate. Habemus quoquè à temporibus Reginæ Saba circunciſionem, quam ad hunc vſque diem ſeruamus. Erat autem huic Reginæ Saba nomen proprium Maqueda, quæ more Maiorum colebat idola. Ad cuius aures fama ſapientiæ Salomonis cùm perueniſſet, quendam virum prudẽtem

Matt. 3.

Gen. 22.

Gene. 32.

Gene. 49.

Exod. 3.

Gene. 1.

Hic explicat quæ in principio de tribus faciebus & vna ſimilitudine dixit

Hierosolymam misit, vt re omni explorata, certior de Regis prudentia redderetur. Quo reuerso & re explanata, subitò se ad iter Hierusalẽ versùs componit. Atq; cùm eò peruenisset, præter multa alia, quibus à Salomone erudita est, legem ac prophetas didicit, eaq́; in patriã (facultate impetrata abeundi) proficiscens, in itinere filiũ, quẽ ex Salomone conceperat, peperit, qui vocatus est Meilech, quem ipsa Regina in Aethiopia vsq; ad vigesimum ætatis annũ apud se educauit, ac posteà ad Salomonem eius patrẽ remisit, vt ab eo scientiam & sapientiam disceret, quem per literas obsecrauit, vt filium Meilech coram arca fœderis testamenti Domini, regem Aethiopiæ cõsecraret, ac crearet, néve vlteriùs fœminæ ius regnandi in Aethiopia haberẽt, vt tum in more erat, sed vt recto tramite masculi in regnum succederẽt. Qui cùm Hierosolymam venit, à patre facilè matris postulata obtinuit, ac pro Meilech vocatus est Dauid, quem iam abundè in lege, atque in alijs disciplinis edoctum, pater Salomon constituit ad matrem remittere, id quidem cum maiore ornatu, Regioq́; apparatu. Ad quod munificentiùs conficiendum, comites illi, nobiles ac primorum virorum filios, tradidit, qui ei pro Regio more inseruirent. Præterea decreuit cum eo mittere Azariam principem sacerdotum, filium Sadoch principis quoquè sacerdotũ. Quod cùm Azarias intellexisset, Dauidem hortatus est, vt ei à patre impetraret potestatẽ sacrificandi pro successu itineris, ante arcam fœderis Domini. Qua re à Salomone impetrata, Azarias subitò tabulas, quàm secretissimè potuit, ad imitationem tabularum fœderis Domini, dedolare curat. Quibus perfectis, ad sacrificandum se componit, in ipsoq́;

ſacrificio clanculùm, atque mira arte, veras fœderis Domini tabulas ex arca ſurripuit, pro eisq; adulterinas, quas ſecum portauerat, repoſuit, ſe ſolo, ac Deo conſcio. Hæc narratio apud nos Aethiopes ſanctiſsima & probatiſsima habetur, vt ex hiſtoria ipſius Regis Dauidis(quę iucundiſsima lectu eſt)appáret. Cuius hiſtoriæ liber tantæ craſsitudinis eſt, quantę omnes Pauli epiſtolę. Cęterùm cùm iam Dauid ad fines Aethiopię perueniſſet, Azarias eius tentoriũ ingreſſus, id quod ſemper apud ſe occultum tenuerat, ei reuelat, nẽpe tabulas fœderis Domini penès ſe eſſe. Qua re audita, ſubitò Dauid ad tẽtorium, vbì Azarias tabulas fœderis Domini habebat, accurrit: ibiq́; prę nimio gaudio, ad exemplum aui ſui Dauidis, ante arcam, in qua tabulæ erant, incepit ſaltare. Quo à ſuis viſo, & re intellecta, omnes pari modo gaudia & lætitiam ingentem celebrauerunt. Tandèm peragrata magna Aethiopię parte ad ſuam matrem peruénit. Quæ ſtatìm ei imperium omnium prouinciarum detulit, omnemq́; adminiſtrandi regni curam in eius humeros reclinauit. Et ab eo tempore fermè iam indè vſq; in hunc diem, elapſis interìm bis millenis ſexcentis annis, regnũ Aethiopiæ recto tramite, de maſculo ſemper ad maſculum transfertur. Et ab his temporibus legem Domini, & circunciſionem ſeruamus, vt antè dictum eſt. Ab eodem quoquè tempore hucuſque miniſteria, quæ Salomon filio ſuo Dauidi ad aulam ſuam gubernandam ordinauit, in eo ordine ac familijs, quo tunc temporis erant, conſeruantur, nec aulica miniſteria ex alia ſtirpe deligere fas habet, vel ipſe Imperator. Inſupèr iuſſu, & decreto ipſius Reginæ Maquedæ, mulieres quoquè circunciduntur. Ad id ea ratione de-

ducta est, vt quemadmodùm viri præputiũ habent, eodem quoquè modo mulieres etiam quandam glandulosam carnem, quam Nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam accipiendo characteri circuncisionis. Id quod fit tam in masculis quàm in fœminis ad octauum diem. & post circuncisionem, masculi baptizãtur ad quadragesimũ diẽ, mulieres verò ad octogesimũ, nisi aliqua interuenerit ægritudo, vt opùs sit festinatione. quòd si ante tẽpus constitutũ baptizentur, infantibus nõ licet lacte matris lactari, sed nutricis tantùm, id quidem donèc matres purificẽtur. Et aqua in qua baptizantur, exorcismis cõsecratur & benedicitur: & ea ipsa die, qua pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt, sub exigua specie panis. Nos fermè priùs cęteris Christianis omnibus, baptismum ab Eunucho Candacis Reginæ Aethiopiæ, cui nomen erat Indich, ac-
Act. 8. cepimus, ità vt in Actis Apostolorũ traditur, quẽ vnà cum circuncisione (quam tum temporis, vt priùs dictum est, habebamus) sanctè & Christianè obseruamus, & Deo adiutore sumus perpetuò obseruaturi. Nec quicquã præter ea, quæ in lege & Prophetis, & in Euangelio, atq; in libris Synodorum Apostolorum sunt, seruamus, aut admittimus: &, si quę alia pręter hęc recipimus, ea seruantur interim, quòd ad ordinem & pacem Ecclesię videntur spectare, id tamen sine aliquo peccati vinculo. Quamobrèm circũcisio nostra immunda non est, sed lex & gratia data patri nostro Abrahæ est, quam à Deo tanquàm signum accepit, non vt propter circuncisionem saluus fieret, aut filij eius, sed vt ipsi filij Abrahæ, à cæteris nationibus dinoscerentur. Et id quod symbolo circuncisionis latenter ostenditur, eximiè seruamus,

uamus, nempe vt corde circuncisi simus. Nec ob circuncisionem gloriamur, nec etiã cæteris Christianis putamus ob id nobiliores, nec Deo acceptiores esse, apud quem nulla est acceptio personarum, teste Paulo, qui etiam ostendit nos saluos fieri non propter circuncisionem, sed propter fidem, quia in Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet, nec prȩputium, sed noua creatura. Is autem Paulus non prædicauit ad destruendam legem, sed ad stabiliẽdam, qui circuncisus quoquè fuit, & ex semine Beniamin. is quoquè Timotheum iam Christianum factum, ex matre Hebræa & ex patre Gentili natum, circũcidit, sciens Deum circuncisionem ex fide, & præputium per fidem iustificare. Et vt ipsemet ait, factus est omnibus omnia, vt omnes faceret saluos: Iudæis, tanquàm Iudæus, vt Iudæos lucraretur: his qui sub lege erant, quasi sub lege esset, cùm ipse non esset sub lege, vt eos qui sub lege erant, lucrifaceret: His qui sine lege erant, tanquàm sine lege esset, cùm sine lege Dei non esset, sed in lege Christi, vt lucrifaceret eos, qui sine lege erant. Et factus est infirmus, vt infirmos lucrifaceret: id quod fecit, vt ostenderet nõ ex circuncisione, sed ex fide, nos salutem cõsecuturos. Vndè cùm Hebræis prædicâsset, tãquàm Hebræus varijs sermonibus locutus est, dicens: Multifariè, multisq; modis olim Deus locutus est patribus nostris in Prophetis, ostendens eis ex ipsis Prophetis, Christũ ex semine Dauidis secundùm carnem: deindè Christum eis prædicauit, cum patribus nostris in tentorijs, in deserto fuisse, eosq; in terram promissionis introduxisse, per manum Iosuæ. Prætereà idẽ quoquè Paulus inibì testatur, Christum principẽ fuisse sacerdotum, ac in nouum tentorium intrâsse,

Rom. 2. Gala. 2. Ephe. 4. Act. 16. 1. Cor. 9. Heb. 1.

quod est sanctum sanctorum, & sacrificio sui corporis & sanguinis, sanguinē hircorum ac taurorum, quo nemo accedentium poterat iustificari, aboleuisse: & sic multis modis locutus est Iudæis, multis quoquè ritibus, sancta & incorrupta fide, se à suis coli patitur. Præterea apud nos habentur semichristiani pueri illi, quos hîc audio Paganos ab Romana Ecclesia vocari. Qui quoniam sine baptismo moriantur, semichristiani debent appellari. quoniam filij sacrati sanguinis parentum ex baptismo, & ex spiritu sancto, & ex sanguine Domini nostri Iesu Christi nati sunt, ex quibus tribus testimonijs omnes Christiani reputantur. Quoniam tres sunt, qui testimonium
1. Ioan. 5. dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, teste Ioanne in sua prima Canonica, etiam vt Euangeli-
Matth. 7. um dicit, bona arbor fert bonos fructus, mala verò arbor, malos. Ideoq́ filij Christianorum non sunt, vt filij Gentilium & Iudæorum, atque Maurorum, qui sunt arbores aridæ sine aliquo fructu. Christiani autem sunt electi in vtero matrū
Hiere. 1. suarum, vt sanctus Hieremias Propheta, & san-
Lucæ 1. ctus Ioannes Baptista fuerunt. Insupèr infantes Christianarum mulierum, sunt electi & cōsecrati ex corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi communicatione. Nam fœminę grauidę, cùm assumunt venerabile corpus Domini nostri Saluatoris Iesu Christi, infans capiēs indè nutrimentum, fit sacratus: Quoniam sicut infans existens in vtero, ex eius matris affectibus contristatur ac lætatur, sic etiam ex matris nutrimēto nutritur. Et vt ipse Dominus ait in suo sancto Euan
Ioan. 6. gelio, Si quis comederit corpus meum, & biberit sanguinem meum, non gustabit mortem in æternum. Rursus, Si quis gustauerit meum corpus, & bi-

& biberit meum ſanguinem, erit mecũ. Ad hæc Paulus doctor gentium ait: Vir infidelis iuſtificatus eſt per mulierem fidelem, & mulier infidelis ſanctificata eſt per virum fidelem, alioquin filij veſtri immundi eſſent. nũc autem ſancti ſunt. Quod ſi ità eſt, vt filij matris infidelis, ſanctificentur in patris fidelitate: multo ſacratiores eſſe debent illi, qui ex patre & matre fidelibus nati ſunt. Ob quam rem longè magis pium erit, vocare infantes, antequàm baptizati ſint, ſemichriſtianos, quàm paganos. Id quoq; dixerunt Apoſtoli in ſuis ſynodorum libris: Omnes qui habent fidem, & non acceperunt baptiſmum, meritò poſſunt dici ſemichriſtiani. qui etiam dicunt in memoratis libris, Si Iudæus, Maurus, Gentilis fidem accipere voluẽrit, non eſſet ilicò admittendus, ſed voluẽrunt eum priùs venire ad valuas templi, ibiq; audire conciones & verba Seruatoris Chriſti, vt qui priùs ad fidem incitatus, ac quaſi arreptus fuit, iugum legis cognoſcat, quod cùm fecerit, vocari poſsit ſemichriſtianus, quanquàm baptizatus non ſit, quemadmodùm Euangelium docet, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Et eſt etiã moris apud nos, vt mulieres grauidæ ante partûs tempus ſemper confiteantur, ac vt corpus Dominicum confeſſæ accipiant. & eę quæ hoc non faciunt, ac puerorum patres, ſi eas ad id non impulerint, habentur impij & mali Chriſtiani. Prætereà ſciẽdum, apud nos Confirmationẽ & Chriſma ſiue extremam olei Vnctionem, pro ſacramento non haberi, nec in vſu eſſe, vt video hîc ex Romanæ eccleſiæ conſuetudine fieri. Item ex lege Moſi ac Apoſtolorum inſtituto non licet nobis cibos immũdos comedere. id facimus ad omnẽ

1. Cor. 7.

Mar. 16.

legis ac ſcripturarum obſeruationem, quarum octoginta & vnum libros, tam veteris quàm noui teſtamenti annumeramus, ſcilicet ex vetere quadraginta & ſex, & ex nouo triginta & quinq;, quem numerum ſingulorum librorum computatione expreſſum habemus ab ipſis Apoſtolis, quibus libris veteris & noui teſtamenti nihil addere, nec minuere licet, quanquàm angelus de cælo id nobis perſuadere conaretur. Et qui talia auderet tentare, p anathemate reputaretur. Quarè nec Patriarcha, nec Epiſcopi noſtri, per ſe, nec in concilijs putant, aut opinantur vllas leges ſe condere poſſe, quibus ad mortale peccatum obligari quis poſsit. In ipſis etiam Synodorum libris conſtitutum à ſanctis Apoſtolis eſt, oportere nos confiteri, atque quam pœnitentiam pro magnitudine ſingulorum peccatorum à confeſſore accipere debemus. Inſtruunt quoq; nos, quomodò orandum & ieiunandum ſit, & charitas exercenda. Prętereà hoc familiariſsimè vtimur, quòd ſtatìm ad pedes confeſſoris, cùm peccatum commiſſum eſt, accurrimus, & hoc faciunt omnes tam maſculi, q̃ fœminæ, cuiuſcunq; conditionis ſint. Et quotieſcunquè confitemur, aſſumimus corpus Domini, & id quidem ſub vtraque ſpecie, in pane azymo triticeo. Quòd ſi ſingulis diebus confiteamur, ſingulis quoquè diebus accipimus venerabile Sacramẽtum, & id tam apud clericos, quàm apud laicos in vſu eſt. Et ſacramentum Euchariſtiæ non ſeruatur apud nos in templis, vt ſit hîc apud Europæos, nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, niſì dum conualuerint. id fit, quoniã omnes tam laici quàm clerici, conſueuerunt illud, ad minus bis in hebdomada accipere, & omnes idem volentes facere, templum

acce-

accedunt. quippe nemini datur nisì in ipſo templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipſi Precioſo Ioanni. Vtimur etiam ſemper vno confeſſore, nec alium accipimus, nisì eo abſente: quo reuerſo, ad ipſum redimus. Et confeſſores omniũ peccatorum dant nobis ex Eccleſiæ poteſtate abſolutionem, nullo caſu Epiſcopis, aut Patriarchę reſeruato, quanuìs grauiſsimo. Vlteriùs presbyteri non poſſunt audire confeſsionẽ eius, cui confitentur. Præterea presbyteri & monachi & oẽs Eccleſiæ miniſtri, apud nos ſuo labore viuunt. Quippe eccleſia nullas habet decimas, nec accipit, habet tamen prouentus & agros, quos ipſi clerici & monachi fodiũt, aut ſua aut aliena opera colunt, & nullas alias habẽt eleemoſynas, præter eas, quæ gratìs in templis offeruntur pro exequijs mortuorum & alijs pijs rebus. nec eis licet vicatìm mendicare, nec à plebe aliquid eleemoſynarum extorquere. Item in noſtris templis ſingulis diebus, vna tantùm celebratur Miſſa, quam ſacrificij loco habemus, nec plures ex veteri inſtituto celebrare licet. pro qua quidẽ Miſſa, nullũ preciũ aut mercedẽ accipimus, in quo miniſterio ſacramentum Euchariſtiæ non oſtenditur, vt hîc video fieri. inibiq́; omnes Sacerdotes & Diaconi, Subdiaconi, & templum accedentes, corpus Domini accipiunt, & nullã pro remiſsione animarũ facimus Miſſam, ſed mortui cum crucibus & orationibus ſepeliuntur in certo loco, ſuper quos mortuos, præcipuè inter alias orationes, initium Euãgelij Ioannis dicimus, & ſequẽte die à ſepulto mortuo, eleemoſynas ꝓ eis offerimꝰ, id etiã poſteà facimus certis diebus, in q̄bus omnibus epulis funebribus indulgemus. De fide ac religione noſtra diximus. Nunc verò quoniã poſtq̃ in Luſitaniam

niam venimus, crebras diſputationes ac contentiones cum doctoribus quibuſdã, præſertim cum magiſtris noſtris, Didaco Ortyſio, epiſcopo inſulæ ſancti Thomæ, atq; Regis ſacelli decano, & Petro Margalho, de delectu ciborum habuimus, de hac re aliquid dicere non erit incõgruum. Primùm ſciendum eſt, nos ex veteri teſtamento delectum ciborũ ſeruare, qui delectus ab ipſo verbo Dei conſtitutus eſt, quod verbum poſteà natum ex Maria virgine, & ambulauit atq; verſatũ eſt cum ſuis Apoſtolis. Id quoq; verbũ Dei ſemper viuum, integrum, inuiolatum ſermonem, ac verbum habuit. Nec id quod olim ex immunditia ꝓhibuit comedere, poſteà in aliquo ſui Euangelij loco dixit eſſe comedendum. Id verò quod
Mat. 15. in Euãgelio ait, Quod per os intrat, hominem nõ coinquinare, ſed ea quæ ex ore procedunt: non ea de cauſa dixit, vt frangeret id quod anteà conſtituerat, ſed vt refutaret ſuperſtitionem Iudæorum, qui arguebãt Apoſtolos, quòd illotis manibus panem manducarent. Immò nec Apoſtoli id temporis, quandò verſabantur cum Domino noſtro IESV Chriſto, vnquàm vſi ſunt immundis, nec guſtauerunt ea quæ in lege prohibita ſunt, nec vllus eorum eam trãſgreſſus eſt. Nec ijs temporibus, quæ paſsionem Domini inſecuta ſunt, cùm Euangelium cœperunt prædicare Apoſtoli, vllis apud nos ſcriptis probari poteſt, eos ediſſe, aut occidiſſe immunda. Verum tamen
1. Cor. 14. eſt, Paulum dicere, Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſciẽtiam. Poſteà, Si quis vos vocat infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponetur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Rurſus, Si quis autem dixerit, hoc immo-

molatum est idolis, nolite mãducare propter eũ qui indicauit, & propter conſcientiã,&c. Omnia hæc dixit Paulus, vt placeret ijs, qui in fide non erant admodùm confirmati, quoniam inter hos & Iudæos variæ conſurgebant diſputationes ac contentiones, quas vt ſedaret, Chriſtianis nondũ ſatis confirmatis indulgentiùs morigerabatur & acquieſcebat. Id tamen faciebat, non quòd legem frangere vellet, ſed vt plures, ità in cæremonijs relaxandis gratificando, ad fidem alliceret. Idem Apoſtolus quoq; ait, Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: quoniã is qui manducat, Domino manducat: & qui non manducat, Domino non manducat. Quamobrèm indignum eſt, peregrinos Chriſtianos tam acriter ac hoſtiliter repræhendi, vt ego de hac re, & de alijs quæ minimè ad veram fidem ſpectabant, reprænhenſus fui. Sed multo conſultius erit, huiuſmodi Chriſtianos homines, ſiue Græcos, ſiue Armenios, ſiue Aethiopes, ſiue ex quauis ſeptem Chriſtianorum Eccleſiarum, in charitate & Chriſti amplexibus ſuſtinere, & eos ſine contumelijs permittere, inter alios fratres Chriſtianos viuere ac verſari, quoniam omnes filij baptiſmi ſumus, & de vera fide vnanimiter ſentimus. Nec eſt cauſa, cur tam acriter de cæremonijs diſceptetur, niſi vt vnuſquiſq; ſuas obſeruet, ſine odio & inſectatione aliorum, nec commercijs Eccleſiæ ob id excludendus eſt, ſi peregrè in alienis prouincijs domeſticos ritus obſeruet. Id p̃tereà quod in Actis Apoſtolorũ habemus, nempe quo pacto Petrus vidit cælum apertum, & vas deſcendere quoddã, velutì linteum magnũ, quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupe-

Rom. 14.

Act. 10.

dia

dia & serpentia terræ, & volatilia cæli. Cui vox dixit: Surge Petre, occíde & manduca. Cui Petrus: Absit, Domine, quoniam nunquàm manducaui omne commune aut immundũ. Cui vox iterum: Quod Deus purificauit, tu commune nè dixeris. Quod vbi cùm tertiò repetítis vicibus contigisset, statìm illud vas in cælum receptum est. Quibus peractis, spiritus misit eum in Cæsaream, ad Cornelium virum pium, & timentem Deum. Apud quem loquente Petro, cecidit super omnes, qui verbum Dei audiebant, spiritus sanctus: quo spiritu sancto accepto, Petrus totam familiam Cornelij baptizari iussit. Quod cùm cæteri Apostoli, ac fratres qui in Iudæa erãt, Cornelium esse baptizatũ audiuissent: Petro, quòd dedisset baptismum & verbum Dei Gentilibus, succensere cœperunt, dicentes: Quarè introîsti ad viros præputiũ habentes, & manducâsti cum illis? Qui à Petro tota visione exposita, placati sunt, atq; Deo gratias egérunt, dicentes: Ergò & Gentibus pœnitentiam dedit ad vitam, & recordati sunt verbi Domini, quod in cælum ascendens, dixit, Ite per omnem terram, & prædicate Euangelium omni creaturæ. qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Tunc Apostoli cœperunt prædicare Euangelium per totum mundũ omni creaturæ, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, atq; per omnem terram exiuit sonus eorũ. Et hanc visionem, in qua munda & immunda apparebant, ità in Aethiopia exponimus, munda animalia fuisse populum Israel, immunda autem populum Gentilium. Ideò verò Gentiles sunt vocati immundi, quòd idolorum cultores essent, & inseruirent operibus diabolorum, quæ immunda sunt.

Mar. 16.

da ſunt. Quod aũt vox illa dixit, Petre occide: id apud nos in hunc modũ interpretatur, Petre baptiza: & quod dixerit, Petre comede: interpretamentum habet, àc ſi dixiſſet, Doce & prædica fidem, & legem Domini noſtri Ieſu Chriſti, populo Iſrael & Gentibus. Ad hæc certiſsimum eſt, nullibì in ſcripturis reperiri, Petrum aut alios Apoſtolos immũda occidiſſe, aut comediſſe, poſt hanc viſionem. Porrò ſciẽdum eſt, cùm ſcriptura loquitur de pane, nõ intelligendũ eſſe cibum, nec corporale nutrimentum, ſed explicationem ac expoſitionem Chriſti, & ſcripturarum doctrinæ. Conſultũ profectò eſſet, omnes doctores & prædicatores de hoc linteo, quod oſtenſum fuit Petro, ſublimia & alta docere, & nõ illa quæ infima ſunt, & quę nihil ad ſalutem videntur pertinere, ac non indè documenta aucupari, quaſi fas & licitum eſſet nobis immunda comedere, quandò ex ſcriptura id minimè colligere poſſunt. Quid ꝙ ipſi Apoſtoli in ſuis Synodorum libris præceperunt nobis, nè comedamus animalia ſuſpenſa, ſuffocata, lacerata, neq; ſemeſa ab alijs beſtijs, nec ſanguinem? quoniam Dominus amat mũditiam & ſobrietatem, & odit gulam & immunditiam. Et plurimùm etiam eos Dominus diligit, qui abſtinent à carnibus: & multo magìs eos, qui ieiunant pane & aqua & herbis, vt Ioannes Baptiſta eremita vltra Iordanem fecit, qui ſemper vſus eſt herbis. Et ſanctus Paulus eremita, qui octoginta annis ſemper ieiunans, commoratus eſt in deſerto, atque ſanctus Antonius, & ſanctus Macarius, ac plurimi alij filij eius ſpirituales, qui nunquàm guſtauerunt carnes. Ideóque, fratres mei, non oportet nos contemnere, neque inſectari proximos noſtros, quoniam Iacobus

ait:

Iac. 4. ait: Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Paulus quoque docet, melius esse vnumquenque viuere contentum suis traditionibus, quàm cum fratre Christiano de lege disputare. Rursus non plus sapere, quàm
Rom. 12. oportet, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique, sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quapropter indecens est, cum fratribus de lege aut de delectu ciborum disputare, quòd esca nos non commendet Deo, præsertim cùm ipse Paulus Apostolus
Rom. 14 dicat, Nec si manducauerimus, abundabimus; nec si non manducauerimus, deficiemus. Idcircò altiora & cælestem cibum quæramus, & has infimas & inanes disputationes omittamus. Hæc omnia quæ de traditionibus scripsi, nõ ad disputationem, nec cõtentionem scripsi, sed vt meos, quatenùs fieri potuit, protegerem ac defenderẽ contra acerbissimas multorum repræhensiones, quibus nulla fuit reuerentia, quo minùs potentissimum Preciosum Ioannem, ac nos eius subditos conuicijs proscinderent, ac Iudæos & Mahumetanos appellarent, eô quòd circuncisionẽ seruamus, & Sabbatũ sanctificamus vt Iudæi. Deindè, quòd velutì Mahumetani, ad occasum solis vsque ieiunamus, id hominem Christianum minimè decere asserentes. Id quoque acerbissimè obijciunt, sacerdotum coniugia, vt laicorum, licita esse apud nos.Ittereà nec id sine morsu omittitur, quod primo baptismo quasi diffisi, singulis annis rebaptizamur, quòd præter viros etiam mulieres circũcidantur, more nec apud Iudæos quidem recepto. Denique, quòd delectum ciborũ sanctissimè obseruatum volumus. Postremò, quòd infantes, qui ante baptismum Pagani vocari solent, semichristianos nuncupemus. Quibus obtrectati-

trectationibus coactus sum talia dicere, vt nostros purgarē ab huiusmodi calumnijs, & vt doctores sacræ Ecclesiæ Romanæ, redderem nobis affabiliores. A quibus (nescio quàm piè) mihi interdictum est sumere corpus Dominicum, postq̃ in Lusitaniam véni, quod spatium est septem annorum, & (id quod non sine dolore ac lachrymis dicam) reputor inter fratres Christianos, tãquàm Ethnicus & Anathema. De quibus rebus ille, qui omnia vegetat, videat, cuius iudicio omnia committo. Ego autem non sum missus à potẽtissimo domino meo, Imperatore Aethiopum, ad Romanum Pontificem, & Serenissimum Ioannem Lusitaniæ regem, ad disputationum & contentionũ rixas, sed ad amicitiam & societatem contrahendam, non autem ad traditiones humanas vel augendas, vel diminuẽdas. Sed vt de erroribus Arij principis hæreticorum diligenter exquirerem, & intelligerem, an Europæi Christiani cum nostris, ad huius hominis opiniones deuincendas, conuenirent. Propter cuius errores, Niceæ sub Iulio Papa congregatum fuit concilium trecentorum octodecim Episcoporum. Ac deindè vt scirē, an id apud Europæos Christianos seruaretur, quod Apostoli in suo Synodorum libro præcipiunt, scilicet, vt singulis annis bìs in Ecclesia Christi concilium celebretur, in quo de rebus fidei rationem habendam statuerunt. Quorum primum voluērunt cogi ad festum Pentecostes, secundũ, decima die Octobris. Deindè vt intelligerem, quomodò inter nos conueniret de erroribus Macedonij, cuius causa, sub Damaso Papa congregatum fuit Constantinopoli concilium centũ quinquaginta Episcoporum. Prætereà de erroribus Nestorij, propter quem sub Cælestino Papa con-

gregatum fuit in Epheſo concilium ducentorum Epiſcoporũ. Poſtremò vt etiam ſcirem de quarto ac magno cõcilio Chalcedonienſi, in quo propter errores Eutychis cõgregati fuerunt ſexcenti trigintaduo Epiſcopi, quo tempore Pontificatum obtinebat Romanũ ſanctus Leo, ex quo concilio varijs diſceptationibus habitis, & nihil ad concordiam Eccleſiæ conſtituto, atque re infecta, omnes diſceſſerunt, vnuſquiſque ſuam retinens opinionem. Quarum Synodorum libros, & aliarum, quæ poſteà celebratæ fuêre, potentiſsimus dominus meus Aethiopum Imperator, penès ſe habet, & de hac zizania, quam aduerſarius veritatis diabolus ſeminauit inter Chriſtianos, dominus meus plurimùm dolet, vnà cum omnibus ſuis ſubditis Chriſti fidelibus. Noſtri certè ab exordio primitiuæ Eccleſiæ Romanum Pontificem, vt primum Epiſcopum agnouerunt, cui etiam hodierno die, vt Chriſti vicario paremus. In cuius curia frequentiſsimè eſſemus, niſi obſtarẽt magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum regna interiecta, quæ tranſitum impediunt, ità vt ſuſceptis maximis periculis, nihil tamen efficias. Quanquàm prudentiſsimus & inuictiſsimus Rex Emanuel felicis memoriæ, qui primus non ſine cæleſti numine itinera Orientalium Indiarum ſuis nauigationibus aperuit, magnam ſpem præbuit, id in poſterum commodius futurum. Is enim, ſuperato Oceano, Rubrũ mare ſuis claſsibus edomuit, nihil deterritus magnitudine ſumptuum, quo & Chriſti fidem augeret, & ad vſum noſtræ amicitiæ, quasì viam patefaceret: & id quoniam iam factum eſt, & vtraq; gens alterius opibus vti poteſt, breuì ſperamus fore, vt ab Luſitanis, vnà cum noſtris, armis

omnes

omnes Mahumetani, cæteríque Ethnici, ex toto mari Erythræo, ac vniuersa Arabia, Perside ac India depellantur. Itidèm & illud futurum confidimus, pace inter omnes Europæos Christianos composita, vt etiam ex Mediterraneis locis, Ponto, alijsq; prouincijs, inimici Crucis profligantur, vt sit iuxta Christi verbum, super faciem terrę vna lex, & vnum ouile, & vnus pastor. *Ioan.* 10.
Cuius rei oracula duo habemus, alterum ex prophetia S. Ficatoris, alterũ ex sancto Synoda eremita, nato in extremis Aegypti cautibus, quorum neutrum ab altero dissentit. Et ex quo dominus meus potentissimus, legatos serenissimi & prudentissimi Regis Emanuelis accepit, videtur fides oraculorum, ad euẽta properare. Certè iam indè noster princeps nihil magìs cogitat, consilijsq; & armis meditatur, quàm vt Mahumetani de facie terræ deleantur. His de causis, alijsq;, quas corã serenissimo Rege Ioãne Emanuelis filio exposui, istuc missus sum à domino meo potentissimo, nõ ad friuolas & inanes disputationes. Atque vtinã instituta atque conatus Principis nostri, pro quibus legatus sum, Deus optimus maximus ad finem optimum, & ad suam gloriam perducat, Amen.

His omnibus explicatis, obitèr & breuissimè aliquid de statu nostri Patriarchæ, ac Imperatoris exponam. Primùm sciendum, solenni ritu Patriarcham nostrum ab Hierosolymitanis Monachis nostris, qui ibì apud sepulcrum Domini habitant, suffragijs creari, ídque hoc modo: Vita defuncto Patriarcha, statim Imperator noster Preciosus Ioannes nunciũ aliquem expeditũ mittit Hierosolymam ad Monachos ibidèm agentes, vt dictum est: qui, nuncio accepto ac muneri-

neribus, quæ Imperator dominus noster ad sanctum sepulcrum dono mittit, continuò aliũ Patriarcham suffragijs plurium eligunt. Sed fas nõ est, alium, quàm Alexandrinum, eligere, ac moribus incorruptũ. Quo creato, suffragia sua obsignant, eaq; legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is statim Cairum contendit. quò vbì ventum est, Patriarchæ Alexandrino, qui ibì semper sedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus destinatum, cum legato in Aethiopiam mittit, qui ex veteri instituto Monachus ordinis diui Antonij eremitę debet esse, cum quo in Aethiopiam confestìm nuncius proficiscitur. vbì cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negocio aliquandò annus vnus & alter transigitur, interimq; Preciosus Ioannes de prouentibus ipsius Patriarchæ pro libitu dispensat. Præcipuum autem Patriarchæ officium est, sacros ordines dare, quos nemo, ipso excepto, aut dare, aut auferre potest. Cæterũ nullum Episcopatum, aut Ecclesiæ beneficium in vllos confert. id solum ad Preciosum Ioannem spectat, qui omnia pro suo arbitrio dispẽsat. Mortuoq; Patriarcha, cuius ditiones ac ꝓuentus amplissimi sunt, ex solido omnium illius bonorum fit hæres. Est præterea Patriarchę munus, excommunicationibus aduersùs contumaces procedere, quarum tam arcta obseruatio est, vt præuaricatori pœna perpetuæ inediæ vsque ad mortẽ infligatur. Indulgẽtias nullas dat, neque concedit. Nec pro vllo delicto, quantumcunque magno, cuiquam Sacramenta Ecclesiæ interdicuntur, nisì tantùm propter homicidia. Ipsum nomen Patriarchatûs, nostro idiomate Abunna dicitur. Cęterùm

terùm qui nunc hoc ſoliũ tenet, proprio nomine, quod ex baptiſmate accepit, Marcus vocatur, vir centum annorum, aut vltra. Sciẽdum etiam, apud nos Calendis Septembribus annum incipere, qui dies ſemper incidit in vigiliã Ioannis Baptiſtæ. Reliqui dies feſti, vt natalis Domini, Paſchæ, alijq́ꝫ deincèps eodem tempore apud nos celebrantur, quo in Eccleſia Romana. Id quoquè diſsimulanter prætereundum non eſt, apud nos diuum Philippum Apoſtolum, Euangelium & fidem Seruatoris Chriſti prædicâſſe. Quòd ſi libeat ſciſcitari de agnomine noſtri Imperatoris, is ſibi perſuaſum habeat, illum perpetuò appellari, Precioſum Ioannẽ, & non Presbyterum Ioãnem, vt hîc falsò paſsim iactatur. Scribitur enim noſtro ſermone his characteribus ጃን ፡ ቤልል quod ſonat Ioannes Belul, hoc eſt, Ioannes Precioſus, ſiue Altus, & in Chaldaica lingua ſic ſcribitur, ጃን ፡ ዕንቍ, quod eſt, Ioãnes Encoe, id ſi interpreteris, etiam Ioannis Precioſi, ſiue Alti ſignificatum habet, nec eſt nominandus, vt Matthæus falsò indicauit, Imperator Abeſſynorum, ſed Aethiopum. Matthæus enim, quoniam Armenius erat, non poterat res noſtras perſpicuè ſcire, præſertim eas, quæ ad fidem ſpectabant. Idcircò multa coram prudentiſsimo felicis memoriæ Rege Emanuele expoſuit, quæ minimè apud nos habentur. Id autem fecit, nõ quòd mentiri voluẽrit, quippe vir bonus erat, ſed quòd in rebus religionis noſtræ non admodùm erat edoctus. Regnorum autem & Imperij ſucceſsio, non in filiũ maximũ natu tranſmittitur, ſed ad eum, in quem pater id conferre vult. Et is qui modò Imperium tenet, ordine naſcẽdi tertius eſt, quod

pia quadam reuerentia emeruit. cùm enim filij à patre moribundo, in regijs solijs sedere iuberentur, cæteris id facientibus, solus id facere recusauit: absit, inquit, id mihi tribui, vt in cathedra domini mei sedeã. Qua pietate à patre circunspecta, ei regna ac Imperium tradidit. vocatur is autem Dauid. Cuius imperij ditiones tam Christianorum, quàm Ethnicorum, miræ amplitudinis sunt. In quibus multi Reges & reguli, comites, barones ac proceres, multaq́; nobilitas inest, ad eius mandata obtemperãtissima. In cuius omnibus ditionibus, nulla præter peregrinam habetur moneta. Aurum verò & argentum pondere datur, ac accipitur. Oppida & ciuitates apud nos permultæ sunt, sed non tales, quales hîc in Lusitania videmus. id magna ex parte indè venit, quod Preciosus Ioannes semper in castris & tentorijs versetur. Quæ cõsuetudo ideò recepta est, vt Nobilitas continuè & perpetuò, se in rebus militaribus exerceat. Nec illud prætereundum videtur, nos ab omnibus lateribus circũdatos esse, ab hostibus nostræ fidei, cum quibus crebrò confligimus, semper secundo Marte vsi, quas victorias numinis auxilio imputamus.

Ius autem scriptũ apud nos in vsu non habetur, nec litigantium querelæ libellis, sed ore peraguntur: id fit, nè lites auaritia iudicũ & patronorum in longum protrahantur.

Id quoquè admonitione dignũ videtur, Matthæum non fuisse ab Imperatore nostro Dauide missum, ad inuictissimum, potentissimumq́; Regem Emanuelem, felicis memoriæ, sed ab Regina Helena vxore Imperatoris, cognomento Manus Mariæ, qui huius Dauidis, de quo loquimur, auus fuit, quæ tunc temporis, ob tenellam

Da-

Dauidis ætatem, regnorum gubernacula administrabat, mulier haud dubiè prudentissima & sanctissima. Eadem ista Helena duos composuit libros sermone Chaldaico, vt erat doctissima. Quorũ vnus dicitur Enzera Chebaa, id est, Laudate Deum in organis, in quo de Trinitate doctissimè disputat, & de matris Christi Mariæ virginitate. Alter vocatur Chedale Chaay, hoc est, Radius solis, in quo acutissimè de lege Dei disceptationes habet. Omnia hæc de fide, religione, ac patriæ nostræ statu, ego Zaga Zabo, quod gratia patris interpretatur, Episcopus & sacerdos, ac Bugana Raz, nẽpe miles, ac Prorex prouinciæ, quæ Bugana dicitur, nec tibi in Christo filiolo meo charissimo Damiano petenti, nec vlli homini talia flagitanti denegare potui, aut negare licuit duabus de causis. quarum prior est, quòd in mandatis habeo à potentissimo domino meo Precioso Ioanne Aethiopum Imperatore, omnibus me interrogantibus de fide, religione, ac prouincia nostra, nè quid clàm haberem, sed ex fide veritatem rerum, scriptis & verbis exponerem. Secunda, quòd operępręcium existimarẽ, mores, ritus, instituta nostra, & locorum situs in publicam notitiam venire. Quas res nemini ad hunc vsque diem scripsi, nec verbis exposui, non quòd ad id laboribus meis parcere vellem, sed quòd nullus Christianorum hominum, postquàm in Lusitaniam véni, à me talia cognoscere appetiuit. De qua re non potui, nec possum satìs mirari. Te verò, quem rerum nostrarum cupientissimum multis argumẽtis iudico, per Christi plagas ac Crucem oro, vt hanc nostram fidei, ac religionis confessionem, in linguam Latinam conuertas, vt per te liceat omnibus pijs Euro-

pæis Christianis, ritus ac integritatem morũ nostrorum intelligere.

Porrò si tibi inter tuas peregrinationes Romã petere contingat, tunc nomine meo Pontificem, ac venerandos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterósque bonos Christi cultores, per IESVM Christum, in osculo pacis(quæso)salutes, petasq́ꝫ ab ipso Pontifice, vt ad me remittat Franciscum Aluarez, literis illis suis instructum, quibus domino meo potentissimo Aethiopum Imperatori respondeat, quô tandèm in patriã redeam, meosq́ꝫ lares inuisam. nimiùm enim diù hîc detẽtus fui, vt ante obitum meum, qui ex nimio senio pro foribus est, mandata perferam, reliquias deindè vitæ, transacta hac legatione, Deo consecrem, diuinisq́ꝫ rebus totus vacem. Cæterùm te oro, si aliqua in nostris scriptis non fuerint satìs composita aut ordinata, vt ipse tu id ad phrasim Latinam coaptes, sed ità, vt nihil de sensu immutes. Postremò te obsecro, vt inter vertendum exquiras diligenter vetus & nouum testamentum, vt intelligas ex quibus locis meas authoritates excerpsi, quô certiùs vertas. Quòd si omnia non fuerint tam feliciter tractata, quàm forsitan aliquis curiosus, aut scrupulosus exigat, id condonandum erit inopiæ & penuriæ librorũ Chaldęorum, quos penès me non habeo. quos enim habui, iniquitas fortunæ in itinere perdidit. Quamobrèm destitutus omnium librorum auxilio, nihil, nisì quod recẽs memoria adferebat, dictare potui, sed ea omnia certissima fide. Vale, filiole in Christo dilectissime. Vlyssippone, vigesimoquarto Aprilis, Anno salutis nostræ millesimo, quingentesimo, trigesimoquarto.

Postquàm hæc omnia scripsi, venit mihi in

mentem

mentem locus ille, vbì dico Christum descendisse ad inferos, pro anima Adæ, atq; pro anima ipsiusmet Christi, quam ipse Christus acceperat ex sancta Maria virgine matre sua. De qua re habemus testimonium verissimum in libris quos Regiminis vocamus, quos Christus Iesus Seruator noster Apostolis tradidit, in quibus habentur hęc verba, quæ mysteria doctrinarum appellantur. Quorum authoritate, & testimonio, omnes sine vlla hæsitatione, in hac sententia versamur. Ego tamen postquàm in Lusitaniam veni, depræhendi Theologos diuersa tradere, contra nostrûm omnium opinionem, quæ tam certa est, vt non hoc solùm, sed etiam omnium hominum animas ab Adam profluxisse asseramus, & vt caro nostra est ex seminio carnis Adæ, ità quoquè anima nostra, quasi lucerna in anima Adæ accęnsa, originem suam & naturam ex Adam trahit. Ex quo appáret, nos omnes semen esse Adæ ex carne & anima.

Hisce characteribus, manu propria ipsius Oratoris omnia suprà scripta, subsignata erant.



ብቶና፡ ሩጸኪ፡ ሊቀ፡ ካህናት፡ ጸጋ
ዘአብ፡ ቋሲ፡ ጤዐ፡ ዘንጉሥ፡ ብስል፡ ሐፄ
ልብነ፡ ድንግል

DEPLORATIO LAPPIANAE GENTIS, DAMIANO A GOES AVTHORE.

NON indignum puto, Pontifex maxime, in calce huius nostri opusculi, quoniã ad fidem & vnionẽ Ecclesiæ hæc quoquè spectant, Ioannis Magni Gothi, Archiepiscopi Vpsaliæ in regno Suediæ (vt ab eo ad miserandam Lappianam gentem veniamus) aliquam mentionem facere. Is autem Ioannes Magnus Gothus, vir est optimis parentibus ac diuitibus natus, sacrarum literarum non vulgariter peritus, probitate vitę spectatissimus, Ecclesię Romanæ ità addictus, vt eius causa amplissimum Vpsaliæ archiepiscopatum cum prouentibus plùs minùs quadraginta millium aureorum in singulos annos, vnà cum fundo paterno amiserit. cuius dignitatis ac bonorum iactura, ab fluctibus fortunæ agitatus, in Prussia, Gedani diù tenuiter victitans delituit. Vbi (interìm quòd mihi regis mei negocia in illis Germaniæ partibus tractanda erant) cum eo, ac cum Olao Magno Gotho eius fratre, indissolubilem contraxi amicitiam. Hos inopinatè posteà Vincentiæ reperi multo tenuiùs, quàm anteà, degentes, quem locum ex illis vltimis terrarũ orîs, propter promulgatum Concilium, ex quo nonnihil spei sibi ac suis calamitatibus conceperant, adeundũ esse proposuerant. Concilio tandèm intermisso, ij boni viri iam à suis facultatibus planè destituti, quibus, dum ampliores essent, sæpiùs in aquilonaribus illis partibus, pro Romana Ecclesia pugnauerant, & adhuc (si res successisset)

fiſſet) pugnaturi eſſent, Venetias emigrant, vel aliena liberalitate, vel ſuis laboribus, præſertim docendo, ac inſtituendo, victum quæſituri, nullis enim alijs ſubſidijs niti poterant, nisì quòd in numinis auxilio totam ſpem repoſuerant. Quò cùm perueniſſent, ſolùm ab Hieronymo Quirino Patriarcha Veneto, in ipſo patriarchatu humaniſsimè accepti hoſpitantur, vbì ad hunc vſq; diē dilatum Conciliū expectantes hærent. Sub huius Vpſalienſi Archiepiſcopatu, pars illius vaſtę Lappianę prouincię habetur. Cuius indigenę Chriſti Seruatoris noſtri leges minimè nôrūt, id quidem vt à multis, tum bonis, tū fide dignis viris, dum in illis prouincijs verſarer, ob turpiſsimum pręlatorū & nobiliū quęſtum ac auaritiam, accidere intellexi. Nā ſi Chriſtiani eſſent, liberi eſſent ab illis vectigalib9 & tributis, quibus ipſi vt Ethnici mulctantur, nobilitas contrà cum Epiſcopis diteſcit. Vetāt igitur eos Chriſtianos fieri, nè ſubditi ſuaui iugo Chriſti, aliquid lucelli eorū tyrannidi & rapacitati ſubducāt, & aliquid ex vectigalibus decreſcat, quibus gens illa miſerāda, ab ipſis Monarchis, turpiter & inſatiabiliter premitur & torquetur. qui impatiētiſsimè ferunt, ſi illi Chriſtiani facti, non longè plus vectigaliū ipſis péndereēt, quàm cæteri Chriſtiani ſuis principibus pendunt. ac proindè deformem iſtum & ſacrilegum quæſtū, fidei ac religioni Chriſtianæ, contempta tot animarum ſalute, anteponunt, verè habentes claues, quibus nec ipſi intrant, nec alios intrare ſinunt. Auaritiam ſanè inexplebilem, & impietatem intolerabilem, ac à pijs pectoribus, armis, & ſcriptis, deniquè totis viribus expugnandam, quam proculdubiò ſopitam hoc tēpore habuiſſemus, ſi hic bonus vir in priſtinum ſuum hono-

rem

rem restitutus esset. nihil enim magis cupit, nihil acriùs meditatur, quàm quo pacto hæc gens ad Christi fidem reduci posit: nihil flebiliùs deplorat, quàm quòd se authore (id quod sæpè animo voluerat) hæ miserandæ pecudes adhuc propter impiam religionem, per Christianam fidẽ Christi oues factæ non sint. nec tam queritur se ab Archiepiscopatu vel bonis auitis depulsum, quàm quòd careat neruis, auxilio, & facultatibus, quibus hanc Lappianam plagam, & medicari, & sub Christi iugum mittere, & Romanæ Ecclesiæ coniungere posit. Id quidem posteà mihi sæpiùs per literas confirmauit, quibus nondùm ipse placatus, acrem huius negocij, in fine illius primæ Preciosi Ioannis legationis (quam ipsi Ioanni Magno Gotho consecraui) mentionem feci, ne tum quidem mihijpsi in hoc negocio satisfeci, sed cum Erasmo Roterodamo meis literis egi, vt causam istius rei scriptis commendaret. Postmodùm in illius contubernio agens, quod mihi cum eo Friburgi Brisgoiæ, ad quinque menses fuit, præsens cum præsente verba super eodem negocio feci. Quibus rebus impulsus, cõstituerat de hac re iustum volumen emittere. mortis tamen interuentu, operis materia, quam iam congesserat, dissoluta est. Nihilominùs in suo Ecclesiaste tam nefandam impietatem non obticuit, quæ sanè talis est, vt omnes Christianos, quibus potentia & doctrina à Deo cõcessæ sunt, posset quodammodò reos facere, & ab eis in vltimo iudicio, coram Christo iusto iudice vindictam petere. Videant iam Christianorum Monarchæ, quam rationem, quẽ calculum tantarum perditarum animarum, in nouissimo die ad Christi tribunal, vbì nec gratiæ, nec indulgentiæ locus est, nec blandimenta, nec assen-

assentationes recipiuntur, reddituri sint. Tu tamen, Pontifex maxime, is iam solus es, qui huic morbo mederi potes. Tu iam is es, qui huic Genti vias Domini demonstrare potes, &, vt rectè in ijs ambulent, dirigere. Tu solus eas de inferno inferiore redimere valebis. per te paruulis Christũ accedere licebit, & in virtute dexteræ tuæ à dæmonũ catenis ac insidijs liberari, & copiosa Christi in hoc, & in alio seculo redemptione frui. Vide quam palmam obtinebis, si messis illa multa, te operario, in horreum Christi comportetur. Nec dubium est, quin comportabis, modò incipias. Sunt hodierno die cum Gostauo Suediæ & Gothiæ rege aliquot Magnates, ab ecclesia Romana recisi. Sunt in ipsis quoquè regnis, qui omninò ex diametro dissentiunt, possis ad vtrosq; literas pro tua dignitate & pastorali officio dare. eousq; per Christi plagas (hunc enim omnes, quanquàm ab ipsa Romana Ecclesia dissentiũt, filium Dei, & Seruatorem nostrum fatentur) obtestari, vt hanc orientalem & occidentalem Lappiá, cum Fimmarchia, Scricfinia, & Biarmia amplissimis prouincijs, quarum maior pars Christum non nouit, ad eius suauissimũ iugum venire permittant, ab eisq; tantum aucupentur & extorqueãt, quantum alij Christiani principes à suis subditis, vel iure postulare, vel precarijs exactionibus obtinere consueuerunt. Ad id non tantùm literę, sed viri quoquè docti, & sanctitate vitæ probati, mittendi videntur, vt hæ prouinciæ, Romanæ Ecclesiæ per Christi fidem coniungantur. Quibus per te vnà cum Aethiopica gente, ad veram Christi legem adductis, & si populi irascantur, Dominus sedẽs super Cherubim regnet, & terra moueatur, ipsaq; exultet, & insulæ multę lætentur. Vale Pontifex

tifex maxime in Christo Iesu, Amen. Ex Louanio Cal. Septemb. Anno 1540.

LAPPIAE DESCRIPTIO.

LAppia, mari Botnico interiecto, in orientalem & occidentalem diuiditur, cuius ęquoris extremũ, Tornia est. Ab oriéte lacum album tangit, ad septentrionem varias prouincias amplectens, ad incognitũ se extendit. Ad occidentem Islandiam respiciens, parti Noruegię est contigua. Ad meridié, ab altera Noruegiæ parte, Suedia, Finlandia, ac ab vtraq; Botnia cingitur. Lappia enim oriẽtalis Ecclesiam Diui Andreæ in gradu eleuationis poli octogesimoquarto habet, quę magnifico & sumptuoso templo, ac doctis & sacrarum literarum eruditis viris ornatur. Ecclesia hæc Archiepiscopo Vpsaliẽsi obedit & obtemperat, sub cuius diœcesi sita est. Nihilominùs eius circunuicini, siue incuria, siue auaritia Prælatorũ & Magnatum (vt dictum est) Christum nõ agnoscunt. Lappia Latino sermone interpretatur inepta siue secors prouincia. nomen puto inditum indè, quòd ex nimio & intẽso frigore, solum tanq̃ stupidum, minimè aptum sit, nec ad recipiẽdum, nec ad procreandũ fruges. Indigenæ istius prouinciæ, neruosi & mediocris staturę sunt, mirè dexteri & agiles in arcubus & sagittis vtẽdis. quã arté iaculandi ab incunabulis sic exercẽt, vt puero à scopo erranti cibus non detur tantispèr, donèc in eum rectè sagittam dirigat. Pellibus nõ ineleganter contextis loco vestium præcipuè vtuntur, quibus se à frigoris iniuria tutãtur. Quod ità etiam pati assueuerũt, vt dum opùs sit, id sine aliquo pellium munimine expugnare valeãt. In tabernaculis habitant, nec domus eis alicui vsui

sunt,

ſunt, quippe ſæpiùs hinc indè migrant. Aliã viuendi rationem, quàm venationis, aucupij & piſcationis, non habent, in quibus plurimùm præſtant. Eſt enim prouincia illa iſtarum rerum feraciſsima. Agrum non colunt, nauiculis vtuntur ſine aliquo ferreo clauo cõpactis, quibus piſcibus aëre exiccatis, ac pellibus onuſtis ad vicinos nauigant, vt permutatione tantùm annonam & pecuniã, nullo ſermone adhibito, ſed ſolis nutibus agentes, acquirant. Id ſolùm accidit ob linguæ barbariẽ & aſperitatẽ, alioquin in ſuis permutationibus ſagaces & expertiſsimi ſunt. Gens bellicoſa & animoſa eſt. Loco equorum vtuntur animalibus, quę Raingi ſuo ſermone vocãt, magnitudinẽ & colorẽ aſini, vngulas bifidas, formã atque cornua ceruorũ habentibus, ſed cornua lanugine quadã cooperiũtur, & humiliora & ramis rariora cerui (vt ipſi vidimus) ſunt. hæc tantę ſunt velocitatis, vt ſpatio duodecim horarũ, vehiculum ad triginta milliaria Germanica ꝑripiant: In quorum progreſſu, lento vel celeri, ex tibiarũ articulorũ agitatione, ad inſtar nucũ colliſionis crepitus auditur. Religio iſtius gentis eſt, & ignem & ſtatuas lapideas pro dijs habere. Ex quauis re animata eis manè occurrẽte, totius diei euentũ iudicãt & augurãtur. Matrimoniũ obſeruant, & mirè ſunt zelotypi. Incantamentis ſic pollent, vt inter multa alia dictu mira, quæ prætermitto, naues in medio curſu retineant, ſic vt nulla vi ventorum amoueri poſsint. Quod malũ ſolo virginũ excremento forîs nauium ac tranſtris illitis, curatur, à quo ſpiritus illi, vt ab incolis accepi, natura abhorrẽt. Lege Saxonẽ Grammaticũ, & mira de ſagis & incantamentis Aquilonaribus videbis.

DIEN-

DIENSIS NO-BILISSIMAE CARMA-NIAE SEV CAMBAIAE VRBIS OPPVGNATIO, DAMIANO A GOES AVTHORE.

Damianus à Goes Eques Lusitanus, Petro Bembo sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinali, S. P. D.



QVID tibi pro tua aßidua erga me, dignißime Cardinalis, humanitate gratiarum referam, reperire nequeo, nec præsens tempus facultatẽ adfert, sed pensabimus aliquandò pro nostra facultate. Nũc verò mitto id, quod gratum scio tibi fore, historięq́; nobilißimę Reipub. Venetæ, quam cum maxima in futurum gloria, in manibus habes, forsan etiam non incõmodum. Quantùm delecteris gestis nostrorum Lusitanorum, non me fugit, præsertim illis, quæ pro bono sacrosanctæ fidei nostræ geruntur. Id sanè quod facis, vt bonus fidusq́; Patricius Venetus facis, non ignorans antiqua nostratium cum vestris fœdera, amicitias, & beneficia hinc indè vicißim collata. Vtinàm cæteri Christiani homines in tuã sentẽtiam irent, & ex animo magìs rebus nostris, quàm faciunt, fauerent ac opitularentur. quin vt omittamus opitulationem, saltem non officerẽt, ac tantùm, quod Rex nostriq́; cupiunt, ociosos se spectatores præberent, interìm dum nostri cum

Mauris

Mauris Turcisq́ ſtrenuè depugnant. Sed abſint querimoniæ & infauſtæ ominibus, & pręſenti negocio incongruæ: ac, quod in manibus eſt, tractemus.

DVM agerem Patauij, vbì me tua humanitate mirè totum deuinxiſti, inter cætera, quæ ex Luſitania ad me perferebantur, accepi de bello Cambaico nonnulla, quę (vt petiſti) ex Luſitanica lingua in Italicum ſermonem conuerti. Poſtmodùm mors illius Regis Cambaiæ, de quo tam multa ac miranda retuleram, inſecuta eſt. à noſtris enim ob proditionē, quam in Nunium à Cunha Proregem noſtrum meditabatur, ex quadam triremi deiectus ante muros Dij, fortiſsimæ ipſius Cambaiæ regni ciuitatis, à quodā nauta, haſta inter natandū perfoſſus eſt. Ex cuius cęde omninò ipſa ciuitas iam imperio noſtro ſubiacet, id quod anteà facere reluctabatur, quanquàm in eius faucibus littoris arcem munitiſsimam haberemus. Qua re peracta, nonnulla deindè intercapedine tēporis, claſsis Turcica ad eandem ciuitatē appulit, vt noſtros indè expelleret. Quam claſſem Imperator Turcarum innumerabilibus ſumptibus in ſinu Arabico inſtrui iuſſerat. idq́ maximè iſtius Regis quem dixi, adhortatu & opera, vt poſtmodùm compertum fuit, & ex ſequentibus latiùs intelliges. Iure autem belli ipſe Turcarum Imperator Cairū, cæterasq́ Sultani prouincias (vt nôſti) occupauit, atque vnà cum regno curam, qua perpetuò Sultanus angebatur, ſuſcepit, nempe vt Luſitanos omni cōtentione ex India profligaret. Ad id materiam ex longinquis plagis colligi iuſsit, illamq́ ſumptu inæſtimabili ad mare rubrum vehendam curauit. Atque in Suezij portu eiuſdem ſinſis, naues ædi-

ficare instruereq́ apparat, cui negocio Architectus quidam Genuensis præfuit, huius artis (vt fertur) peritissimus. Habebat etiam multos alios opifices Christianos, quos hinc indè muneribus pellexerat. Classi verò præfecit quendam Bassam Pręposιtum Cairi, nomine Solimanum, peritissimum exercitûs ducem. Quæ autem classis sexagintatribus triremibus constabat, in singulisq́ triremibus vigintisex transtra, inter reliquas naues aderant sex Rostratæ, quas Galleones vocant: aderant quoquè sex biremes, holcades duæ, actuariæ viginti, celoces quamplurimæ. Classis prętereà instructa viginti millibus militum fuit, præter nautas & bombardarios: quorum quatuor millia Genicerorũ, quos Rhomęos etiam appellamus, erant. Insupèr armabatur classis maximo tormentorum numero, inter quæ erant quadraginta, quos basiliscos appellant, qui globum ferreum emittunt nonaginta librarum. Soluit itaque hæc ingens, & ad omnem naumachiam ornata classis Suezio, versùs Indiam sub finem Iunij anni millesimi quingentesimi trigesimioctaui, & vi interceptis aliquot mercatorum nauibus, quibus commeatu oneratis, atque ex eis nonnullis nautis ad remigium edoctis, (tyrannide triremibus damnatis) quinto Iulij Adenam contendit, quæ ciuitas adiacet freto sinûs Arabici, & decimoquinto eiusdem mensis, ad quendam locum aquationi idoneum appulit, quadraginta millibus passuum distantem ab Adena. Ibidèm ancoris fixis, Solimanus Baxa classis Præfectus, literas Imperatoris Turcarum de pace ad Regem Adenẽsem mittit, atq́ ex aureo panno talarem vestem, legatisq́ in mandatis dedit, Regi vt dicerent, ipsum Turcarum Impera-

pera-

peratorem claſſem illam ei dono mittere, quam ſuo imperio conſilijsq́; gubernari volebat, ſeq́; ea de cauſa Indiam petiturum, vt Luſitanos indè excluderet, homines Maomethanæ fidei infenſiſſimos, ad quam expeditionem ſe nihil aliud ab illo poſtulare, quàm carnes & ligna. Quippe cæteris rebus atque commeatibus claſsis abundè inſtructa erat. Hæc omnia Rex Adenenſis (quanquàm Regis tunc noſtri Luſitaniæ tributarius eſſet, cui ſingulis annis, fœdere percuſſo ab Hectore à Sylueira, decem millia ducatorum perſoluebat) gratiſsimo animo accepit, legatisq́; reſpondit, eius aduentum ſibi peroptatum eſſe, cui liberè omnia, tum ad claſſem, tum ad militem neceſſaria pollicitabatur. His ſpatio ſeptem dierum trāſactis, ancoris iuſſu Solimani ſublatis, ad portum Adenenſem claſsis depulſa eſt, inibì ſub ancora moram faciens, applaudentibus omnibus, tanquàm verus amicus accipitur. Rex ad eum Magnates aliquot mittit, vt aduentui eius gratularentur. Qui ex mandato, Solimano ſignificauêre, gratiſsimum fore Regi, ſi in terram deſcenderet, vtì ciuitatem ſibi obtemperātiſsimam oculis cerneret, vbì pro dignitate atque officio eum in ſua Regia tractare poſſet. Ad hæc Solimanus: Dicite, inquit, Regi, me non deſpicere magnifica eius oblata. Veruntamen nauſea ſentinæ, & nauigationis moleſtia, ità adhuc me affligi, vt ante biduum nihil de me audeam polliceri. at vbi conualuero, rectà ad eius amplexum proficiſcar. Ità dimiſsis legatis, mox à tergo ſequuntur trecenti milites, prætextu viſendæ ciuitatis. Poſteà Solimanus, vt ad finem telæ, quam mente orſus erat, perueniret, familiarem quendam ſuum ad Regem mittit, indicans ſe ſcire militum in-

ſolentiam. Et quoniam ij trecenti qui per ciuitatem vagabantur, nisi receptui canere iuberet & vela daret, quod tum illi nefas erat, crederet ſe ad naues recipere nō poſſe. Submiſſurum ilicò centum veteranos, qui ſua authoritate, reliquorum militum inſolentiam cohiberent. His Rex, nihil mali ſuſpicans, corporis ſui atque regiæ cuſtodiā commiſit. Sequenti verò die duo millia militum è claſſe, diſsimulata proditione, ciuitatem petūt. Qui vbì ciuitatem perſpectam atq; eius fortiora loca explorata haberent, veteranis ſe adiunxêre, quæ res ilicò animum Regis perculit. Poſtero verò die ante diluculum legatus venit maioribus copijs inſtructus, qui Regem prætextu amicitiæ hortaretur, vt cum aliquibus ſuorum magnatū, Solimanum adhuc ægrotum viſat, atque ſalutet. Id tametſi periculum & inſidias ante oculos ponere videbatur, coactus eſt facere. Itaque ad Solimanum ducitur, cæteris militum copijs in ciuitate iam pro præſidio remanētibus. Is igitur prætoria naue ad Solimanum perductus, regia planè libertate in dicendo vſus eſt: Dic, quæſo, Solimane, cur me tantum principem, Imperatori tuo, tibiq; deditiſsimum, ad te fraude, technisq; tanquàm maleficum, iuſsiſti captiuum adduci? Cui Solimanus, ſuperbia præſentis potentiæ elatus: Non te pudet, me Proregem potentiſsimi Turcarum Imperatoris, ante ciuitatem tuam ſtationem facientem, per totum triduum non inuiſere? Ad hæc Rex: Si Turcarum Imperator hîc adeſſet, nec ego defuiſſem officio meo, nec ipſe (ità vt eſt clemens) in me vteretur fraude, calliditate atque virulentia, qua tu modò vteris. Habes me modò in tua poteſtate, quod ſanè non eueniſſet, ſi phaleratis verbis tuis me, regnumq;
meum

meum non commiſiſſem. Eſt enim Adena ciuitas, quæ hoſtem armatum aperto Marte non metuit, at à fraude calumniáve quis præcauere poſſet? Satia te homo priuate, fortunæ caſu ad honorem prouecte, ſanguine regio, ab Atauis regibus edito. Peribit modò (vtì video) infidelis tyranni iuſſu, regium fidumq́ corpus, attamen virtus Adenenſium, ſtirpsq́ eorum nobiliſsimorum Regum, nunquàm te viuente peribit. Hac eum libertate vſum, extemplò Solimanus in antenna nauis ſuſpendio tradi iuſsit, adiunxitq́ illi eodem ſupplicio quatuor Regni proceres, qui vnà cum Rege ad colloquia vocati fuêre. Id ſe in mandatis à Turca habere, eô quòd Adenenſes non ſolùm fœdera iunxiſſent cum Luſitanis, ſed etiam tributum ſoluerent, quam gentem & eorum ſocios prorſus ex India exturbare volebat. Poſt Regis necem ciuitas illa opulenta & pulchra, prædæ & cędi, nullo reſiſtente, patuit. Sumpto deindè commeatu abnauigaturus, populum alloquitur, debere ipſos lætiſsimos eſſe, vindicatos ſcilicet à tyrannide Luſitanorum, ac proindè admonere ſe, vt fidem & obſequium Imperatori Turcarum ſeruarent, domino proprio ac clementi, ipſorumq́ fidei vero cultori. In digreſſu verò duo millia armatorum pro præſidio reliquit. Deindè altum petens, curſum in Indiam inſtituit, in qua nauigatione octo vel decem biremes, atq́ actuarias naues, propter hyemis tempeſtates (eſt enim in illis prouincijs hyems eo tempore, quo apud nos æſtas) amiſerunt, quarum pars perijt, pars fluctibus ad litus Indicum, Mallabarem verſùs eſt expulſa, quæ ab aliquibus noſtris nauibus depræhenſæ, partìm interceptæ, partìm euerſæ fuerunt. Hæc autem quæ hactenùs narrauimus,

noſtri à quibuſdam Turcis, quos in ipſis nauibus viuos ceperunt, intellexêre. Eſt verò Mallabar prouincia, in qua ſita ſunt Regna Calecutij, Cananorij, & Cochini, & alia. cuius litoris Regnorumq́; deſcriptionem, in hiſtoria rerum Indicarum iam ab origine noſtratium in ea loca aduentûs, luculenter, ſi Deo ità viſum fuerit, ſumus tradituri. Ità igitur nauigãdo, Solimanus Dium pridiè Nonas Septemb. cum claſſe ſua appulit. & cùm ad iactum bombardæ muris ſe proximum conſtituiſſet, exonerari circiter viginti magna tormenta iubet. Noſtri par pari referentes, duas triremes Turcarum euertunt. Qua repentina clade conſternati, ſubitò illinc pedem retulêre, & ad quẽdam fluuium ſedecim millia paſſuum diſtãtem à Dio, cui nomen Maraſabaris portus eſt, ſe recepêre. Inibiq́; expectauêre claſſem atq; militem prouinciæ Cambaiæ, quam occiſus Rex ad noſtros ex Dio profligandos, ante ſuam cædem in aduentum Turcarum curauerat parari. Mercatores atque oppidani ſubitò ſe fugæ mandârunt, ità vt intra biduum ciuitas tota Dium, facta ſit deſerta. Luſitani, qui iam ſoli per ciuitatem vagabantur, in arcem confugerunt. Dux arcis nomine Antonius à Sylueira, vir ſummo loco natus, magni animi, ingenijq́; (virtute verò & prudentia fratre ſuo, Ludouico à Sylueira Comite à Sortelha, non inferior) omnia ad defenſionẽ obſidionis neceſſaria diſponit. Habebat milites Luſitanos ſeptingentos, inter quos ducenti viri nobiles erant. Nihil deerat defenſioni, pręter bombardicum puluerem, cuius tãtùm ſexaginta millia pondo habebat, & tria vaſa pulueris manualiũ (vt vocant) bombardarum. Deerãt etiam pro tantis hoſtium copijs milites, niſi noſtri ſuorũ pauci-

cita-

citatem virtute pensauissent. Intereà loci, duo duces regni Cambaiæ, Solimano associati sunt, singuli cum quadraginta nauibus, remige & milite ad dimicandũ optimè instructis. Eccè adhuc alius dux terrestrium copiarũ, comitatus viginti millibus militum, nomine Coie Coffarus, natus matre Turca, & patre Christiano orto in Xio insula, cuius opificium fuerat, rimas nauium obturare. Fuerat autem hic Coie, Regi Cambaiæ, dum viueret, dilectissimus. His copijs terrestribus naualibusq; cum Turcis coniunctis, ilicò Solimanus admoueri classem, & ante muros Dij, ad ictum bombardæ figi ancoram iubet, atq; subitò ex nauibus quinq; millia militum præmittit, & cẽtum quinquaginta tormenta bellica, inter quę viginti basilisci erant, & quinq; alia, lapideum globum septem palmorum crassitudine eijcientia. Interìm dum tormenta vehũtur, vnum in litoris arena submersum est, nec ampliùs apparuit. Cùm primùm in terram descendissent milites, ilicò se exercitui Coie Coffari adiunxêre. Sequenti die nullo adhuc timore territi, sed fidutia multitudinis elati, nullo ordine seruato, prope muros arcis aliquot domos, in quibus adhuc habebant nostri magnam frumentorum copiam, veniunt deprædatum. Dux noster Antonius à Sylueira cùm eos perspexisset in loco cædi commodo, tormẽta aliquot directa in eam partem, qua grassabãtur, exonerari iussit, quo stratagemate desiderati sunt vltra centum & quinquaginta, cæteri subitò se ex eo loco receperunt. Extemplò Turcæ cum Coie militibus terreum aggerẽ prouoluũt, quæ moles instar montis paulatìm magìs ac magìs fossę arcis admouebatur, & sine noxa vlla hostes in proximo sistebat, atq; confestim latissimũ vallũ erexerunt.

runt. quod tignis bombycisq́ꝫ sarcinis, quas in ciuitate inuenerunt, suffultum, ab ictibus nostrorum tormentorum asseruabatur. Super hoc erectæ sunt turres octo, quibus arx à terrestri parte cingebatur. Has muniuerunt omni genere tormentorum. Obsidione igitur instructa, viribus, machinísque omnibus adhibitis, arcem tum à stationibus, tum à naualibus tentare cœperunt hostes: nostri contrà, defendere. Habebant nostri citra arcem in ipsa ciuitate turres duas, quarum vna in scopulis litoris iuxta arcem, altera verò in noua ciuitate quæ Rhomæum appellatur. Nomen inditum est Rhomæis, quasi Rhomanis, vocantur enim in tota India Rhomæi ij, quos nos communi nomine Geniceros vocamus. His enim Rhomæis siue Geniceris reges Cambaiæ hanc vrbem construxêre, eamq́ꝫ à veteri vrbe muro discluserũt, quô mercatores, aduenæq́ꝫ ibì versarentur, nec oppidani militum insolentijs inquietarẽtur. Prima verò turris seruabatur quinquaginta militibus. Secũda autem, sexaginta. Erat vtraqꝫ munita omni re, & ad victum & defensionem necessaria. Ab illa nouæ vrbis turri, cui sexaginta milites præsidio erant, hostes lacessiti, vt illa molestia liberarẽtur, ante eam vallum extruunt, ac duas turres, quod vt commodiùs facerent, ædes magnificas quasdam, quæ turri adiacebant, ictibus tormentorum deijciunt, atqꝫ subitò turrim, machinis, tormentis, amphoris, & globis igneis petunt. quo certamine turris ab vno latere finditur, atque ruinam minari cœpit. Nostrorum eo die desiderati sunt quinqꝫ, ex hostibus plures. Sequẽti verò die, certamine redintegrato, vi tormentorum ictuum turris in duas partes ità fissa est, vt inoffensè tela per mediam

turrim euaderent. Quare ab hostibus perspecta, subitò præmittunt duo millia selectorum militũ, vt turrim expugnarent, qui à nostris non sine magna eorum clade & dedecore repulsi sunt. Dum hæc aguntur, tormentis arcis, euersæ sunt duæ hostium triremes. Ex quibus solùm tres Turcæ natando euaserunt. Tres etiam aliæ triremes ità globis perforatæ fuêre, vt nisì euestigiò aliæ eis succurrissent, funditùs perijssent. Iam cùm viderent hostes spem defendendæ turris in nostrorum animis magìs atque magìs vigere, nè ab ipsorum globis maiorem cladem acciperẽt, ad eos legatos de deditione mittunt, eisq́ vitã & bona salua pollicentur. Qua legatione audita, triginta eorum (labes Lusitanorum sanguinis) se dedidêre, qui, violata à Turcis fide, in triremes vincti ad æternam seruitutem dati sunt. Cæteri verò vt boni sacrosanctæ fidei nostræ propugnatores, repudiata conditione, alijsq́, quòd se infideliter deseruissent, repræhensis, dimicando &(vt viros Lusitanos decebat) multos Turcas interficiendo, oẽs ad vnum occubuêre.

Dum hæc agerentur, Antonius à Sylueira, celocem ad Proregem Indiæ Nonium à Cunha, expedit, qui tũc temporis Goæ agebat: (distat enim Goa à Dio vltra octingenta millia passuum) In quo statu res essent, per literas ostendit, puluerem tormentorum maximè deficere affirmat. Quæ celox à naualibus arcis soluta, classem hostium penetrans, à quibusdam celocibus insectationem patitur. Quarum vna cæteris agilior, & sexdecim millibus passuum antecedens, nostram contendebat compræhendere. Nostri verò, eam tanta distantia ab reliquis semotam vidẽtes, reflexo cursu rectà obuiàm tẽdunt; omnesq́ quotquot erãt,

dimicando interficiunt, excepto vno ex Apulia, qui à fide nostra desciuerat, quem secum captiuū duxerunt, ac celocem perforatam euertūt. Cùm Goam appulissent, statìm se Prorex ad subsidiū componit: celocem remittit, indicans se (Deo adiutore) breuì forti militum & nauium manu adfuturum, & vt omnem casum (ità vt prudens erat) infortuniumq; præueniret, quippe totā classem subitò parare nequibat, sedecim liburnicæ subitò ex arido in mare ducuntur, quibus singulis, nobilem & selectum ducem præfecit, & præter remiges & tormentarios, quindecim triarios milites, vnicuiq; duci tradidit, quos omnes multis muneribus affecit, pluraq; ijs, si viui euaderēt, pollicens: sin minùs, filijs, vxoribus, amicísque ipsorum, omnia promissa, sanctè iurauit conseruaturum esse. Itaq; omnes ilicò ad iter compositæ, onustæq; solummodò puluere & incendiarijs funibus, quibus flammas bombardis inijciūt, è litoribus soluunt. Pridiè verò Nonas Octobris acriùs solito Turcæ arcem oppugnauêre, terra mariq; operibus & machinis vndiq; inuadentes, quæ pugna vsque ad trigesimum eius mēsis diem semper magìs magisq; recruduit, nihílque laxamenti datum obsessis, sed noctes & dies continuata oppugnatio est: nec vlla transijt dies, qua non hostes in arcem exonerauerint trecentiès, vel quadringentiès sua bellica tormenta. Ad hæc singulis diebus nostros extra arcem ad pugnam prouocabant: nostri quanquàm numero multo inferiores erant, virtute tamen eos superare nitebantur, rursùs ac rursùs per arcis anfractus, ad vallum, & ad eorum turres vsque exilientes, cuniculis eos oppugnabant, plurimos interficientes. Intereà temporis ex assidua tormentorum iacu-

cu-

culatione, omnes arcis pinnæ turriúmque collabuntur, ità vt nostris supernè locus non esset, vndè tutò in hostes iácerent lapides, pila, aliaq́; tela. Posteà verò vna ex arce turris ad imum vsque cóncidit. qua parte cùm nullæ munitiones obstarent, hostes omni adhibita diligentia, arcem ingredi omnibus viribus satagebant. Nostri autem repugnantes, trabibus, tignis, vallisq́; vallum pro defensione diruti loci erigunt, propugnaculaq́; super mœnia instruunt, quibus rebus nostri vtcunquè se tuebantur. Hostes enim omnem opem contrà moliri, munitiones nostras subruẽtes, viribus redintegratis, conabantur, globos, sagittasq́; igneas in vallum demittere, ipsi etiam sæpiùs ad vallum, nostris acriter obsistentibus, perrumpentes. Quæ oppugnatio singulis diebus bis agebatur, manè & vesperì. Dux Antonius à Sylueira, asiduam pertinaciam hostium considerans, in ruderibus collapsæ turris tabulatum, pro defensione compactum erigit. A tergo ilicò ignem ex picea materia, aridisq́; lignis struit, qui magno incendio, noctù, manè, vesperíque ardebat, interdiù minimè incendebatur, quippe ardor solis, & calor combustæ materiæ, satis per se ingressum hostibus intercludebat. Qui considerantes ignis rapidisimum ardorem, harpagonibus ferreis ad focum cõtendunt, & omnem materiam, quam nostri alimentis ignis tradebãt, ea opera eripiebãt. Antonius Dux cõtrà alios harpagones excogitat, lõgisimis hastilibus affixos, his Turcarũ harpagones pari industria appræhẽdit. Turcę igitur videntes se nihil ꝓficere, ab hoc oppugnatiõis genere desistũt. Nulla fuit dies post turris lapsum, quin ex nostris quinq́; sex've ceci-

ciderint, præter vulneratos, & ab igne læſos. Ex hoſtibus (vt poſteà compertum eſt) ſupra ter mille deſiderati ſunt, vulnerati, & ab igne ambuſti quamplurimi. Decimotertio autem Calend. Nouemb. ante ortum ſolis eccè ſpeculatores noſtri aliquot magnas ſcaphas, quas barchas appellāt, quæ remis agebantur, ante muros turris noſtræ, quæ quinquaginta militibus aſſeruabatur, vt anteà diximus, ex arcis pinnis animaduertunt: præterea octo triremes, quæ naues omnes inſtructæ erant milite, ſcaliſq; & alijs machinis, ad turrim oppugnandam appoſitis. Dux arcis Antonius à Sylueira, ſubitò ab illo latere, cui turris proximior erat, nōnulla magna tormēta iuſsit deportari, inibiq; ducentos Arcubutarios, vt vocant, diſpoſuit. Ex quo loco, cùm primùm hoſtes turrim oppugnare cœperunt, ictibus tormentorū, quatuor ſcaphæ à noſtris euertuntur, atque iaculationibus ſclopetorum multi hoſtium interficiuntur. Milites verò quinquaginta, qui turri præſidio erant, fortiter reſiſtentes, multos interficiūt: ex quibus vnus tātùm deſideratus eſt, duodecim vulnerati. Illo die cùm nihil ꝓmouiſſent Turcæ, poſtridiè fortiore militum manu reuertuntur, conſtipati trigintatribus ſcaphis, decem triremibus, & multis machinis oppugnationi accōmodis. Milites qui deſignati erant ad muros turris conſcendendos, (quorum numerus ingens erat) omnes veſtiebātur rubro panno, vt ex cæteris dignoſcerentur. Incepto autē prælio, mira arte ſtudioq;, turrim conſcendere conabantur. Rursùs ij, qui ex quinquaginta pro propugnaculo integri adhuc ſeruabantur, fortiter obſtabant, hoſtes de ſcalis, quas iam affixas muris habebant, præcipitan-

pitantes. Præterea nostri ex arce, opportunitate perspecta, tormenta exonerant, vnamq; triremē, & multas scaphas funditùs euertunt, ex qua clade fermè oēs scalæ & machinæ dilaceratę sunt, q̄ posteà à nostris super aquas fluctuantes receptæ fuêre, & in arcem comportatæ. Hostes videntes ob oculos præsentem stragem, mareq; sanguine suorum tinctum, atq; multos læsos, & igne combustos, exanimati planè, à certamine destitêre, & de loco pedē retulêre. Intereà temporis aliquot nostrorum ex arce ad ostium, per quod ad mare itur, erumpunt: paruasq; scaphas conscēdunt, vt hostium spolia per aquas fluctuantia, exciperēt, inter quæ tres milites Turcas, præter alios quos in ipsis aquis iactatos hastis perfoderunt, viuos capiunt. Ex quibus Dux Antonius à Sylueira, nonnulla hostium secreta percepit. Illis duobus diebus interfecti sunt plures quàm octingenti Turcæ. Ex nostris (Deo gratia) pauci fuerunt vel occisi, vel vulnerati. Interim arx è stationibus Turcarum, globis sagittisq; petebatur. Quorum valla tam propinqua erant nostris muris, vt de turribus in ea sphæras cupasq; nostri deuoluerint. Triduum posteà à turris dimicatione, Antonius à Sylueira, videns tempore pomeridiano ex arcis muro hostes, siue ex lassitudine, siue ex solis ardore, ab opere solito remissiores, quietiq; se mandantes, subitò centum & quinquaginta selectos milites, per fossæ secretiora loca emittit, qui tanta astutia & diligentia vsi sunt, vt ad eorū vsque castra peruenerint, pluresq; ducētis & sexaginta hostium inibi occiderint, multosq; spahis, globulis, hastísque vulneribus affecerint. Deniq; toto exercitu commoto, & ad vim propulsandam consurgente, in arcem se receperunt.

Desi-

Desiderati sunt ex nostris inter innumerabilem illam hostium promiscuam cædem, tantùm tres, vulnerati fuerunt sex. Eo die inuenta sunt in fossa arcis diuersorum instrumētorum genera, quæ præterita nocte Turcæ ibidèm reposuêre ad muros in sequentem oppugnationem educendos, refodiendosq́. Qua re perspecta, subitò Antonius à Sylueira sub pluteis in ipsam fossam quadraginta Arcubutarios producit, qui magnā cladē hostibus exilientibus inferebant. Itaq; illa pars fossæ defendebatur, nec in eam desilire aliquis hostium ad tempus ausus est.

Dum hæc aguntur, dux Antonius à Sylueira vidēs discrimen in quo versabatur, ex arcis ęstuarijs aliam celocem productam ad Proregem Nonium à Cunha mittit, subsidium implorat, affirmans (ità vt res erat) circiter centum milites iam perijsse, ducentos verò aut vulneratos, aut igne ambustos esse. Quo nuncio accepto, Gratianus à Naronha, qui 3. Idus Septemb. in Indiā iam Prorex designatus appulerat, cui Nonius à Cunha iam cesserat loco, nolens ampliùs expectare classes, quæ in litore ad regionem tutandam Charmandelij & sinûs Persici versabantur, subitò aliquibus nauibus, ex eis quas secū ex Lusitania duxerat, associatis illis, quas Nonius à Cunha ante ipsius aduentum instruxerat, se ad nauigationem componit. Nauium autē catalogus hic erat; Duodecim magnæ onerariæ, siue holcades, sedecim rostratæ, quas Galleones vocamus, quarum nonnullæ ingenti forma, & admodùm validæ erant, viginti & quinque agiles naues, quas Carauellas dicimus, quo genere nauium soli Lusitani vtuntur. viginti & nouem triremes, habentes vnaquæque viginti & sex transtra, quindecim actua-

actuariæ, & viginti celoces. hæ omnes ad dimicationem paratæ erant, atque ingẽti numero tormentorum instructæ. Aderant & aliæ quæ commeatum ferebant. Habebat prætereà præter nautas & remiges, milites Lusitanos quinquiès mille, & nobiles Mallabares, quos Naiares vocant, octiès mille in arte gladiatoria versatissimos. Quibus cum copijs, ancoris sublatis, Dium versùs nauigare cœpit. Nonius à Cunha posteà illinc soluit, in Lusitaniam nauigaturus: in itinere verò, iniquo fato apud Caput bonæ spei diem suũ obit. Piscibus, turgidoq; mari eius cadauer, qui vltra decennium Imperiũ Orientis, nomine Regis sui gesserat, traditur. Quæ mors nõ illi fuit noxia, quoniam sciebat se ad feliciorem vitam migraturum, sed nobis Lusitanis. Etenim amabatur ab omnibus, & tanq̃ vnus regni oculus deosculabatur. Antequàm ex portu solueret Gratianus à Naronha, literas Emanuelis à Brito, ducis Chalij ciuitatis in regno Calequi sitę accipit, quibus significabat aduentâsse ad Regem Calecutij, celocem, cum legato Solimani Bassæ ducis Turcarum classis, qui à Maomethanis in ipso regno agentibus, miris honoribus fuerat acceptus, præsertim à quodam duce ipsius Regis Calecutij Maomethano, nomine Paquemaquaro, qui eum ad Regem vsque comitatus est. In cuius conspectu concisa oratione ità orsus est: Rex inclyte, Solimanus Bassa, à potentissimo inuictissimoq; Turcarum Imperatore, Prorex modò super Indos designatus, te plurimùm saluere iubet, indicans se hac sola de causa, huc nomine principis sui venturum, vt natione Lusitanorum deleta, si eius insignia, fidémque suscipere velis, nomen regnáque tua in immensum dilatet. Hæc locutus,

cutus, ei nomine Turcarum Imperatoris talarem ex aureo panno vestem, brachas, atque pileum in signum fœderis offert. Tunc Rex toruo, truculentoq́; adspectu, inquit: Nec moris, nec consuetudinis Imperatorũ Calecutij fuit, (vocant enim antiquitùs se Reges Calecutij Imperatores) nec erit, dona accipere, sed dare: nec Regna sua peregrinis copijs dilatare, sed proprijs, atque expulsos Reges, regnis suis restituere. Proindè, nobilitatem adstantem respiciens, Vos hunc proripite, eumq́; cum Duce Paquemaquaro, præcipitem in ergastulum protrudite, inibiq́; stultitiæ, superbiæq́; sui Imperatoris & ducis pœnas luant. Qua re gesta, ilicò Rex legatos ad Ducem Emanuelem à Brito mittit, per quos pacem, quam frequenter anteà violauerat, petit, eamq́; se sanctissimè deincèps culturum promittit: quam impetratã, per omnes suę ditionis ciuitates promulgari iubet. Quæ res omnibus nostris & grata & perutilis fuit, pręsertim tempore tam dubio, in quo ab ipso, vt à vicino & potente hoste, potiùs erant expectanda incommoda, quàm emolumẽta. Est autem iste potens Calecutij Rex nobis persæpè infestus, rarò atq́; tenuiter amicus, idq́; adeò propter infractam amicitiam inter nos & Regẽ Cochini (ipsius antiquum hostem) à primis annis, ex quo nostri Indiam inceperunt frequentare, initã. Est enim Cochinum oppidum, vndè totum regnum nomen capit, in qua Proreges Lusitaniæ Regis, diuturniorẽ sedem habent, & inibì omnes naues in Lusitaniam, siue in alias prouincias proficiscentes, instruuntur. Hic igitur Rex Cochini, cùm primùm aduentum Turcarum in Indiã intellexit, omnes sui regni nobiles, quos Naiares vocant, ad se accersi iubet. Quibus congregatis, omnes

omnes in vnum eorum ſacratius tẽplum (quod Pagodes nominant) venire edicit. ibì veterem fidamq́; Luſitanorum amicitiam in mentem eis redigit, commodaq́; non tantùm ab ipſo peculiariter, ſed à toto quoq; regno accepta, enumerat. Concionéque facta, omnes ad vnum vſque iureiurando, manus ſuper quoddam Idolum (quod pro ſummo numine habent) ponentes, ſe vnanimiter, ſanctéq; Luſitanis inſeruire, paratos eſſe affirmant. Qua fide à Rege perſpecta, illis totius Regni ærariа communicaturum ſe pollicetur. Idemq́; paríque modo fecit Rex Cananori. Hoſtes verò, vt ad hiſtoriam reuertamur, qui arcem Dienſem oppugnabant, videntes ſe nihil proficere, omni adhibita diligentia, alia ratione, alijs've ſtudijs, eandem expugnare contendunt: aggerẽ producunt, & vallum aſſeribus, tignísque, quoquò versùs veſtitum, quem tãtæ altitudinis conſtituunt, vtì ex eo facile erat intrò proſpicere, & quæ noſtri agerent, ſpeculari. Hoc, quô illæſum aduersùs ignem tormentaq́; exiſteret, omni genere materiæ communiêrunt. Addunt pontes, aliasq́; machinas, quibus in arcem deſcenderẽt. Hęc omnia à noſtris, quatenùs fieri dabatur, perturbabantur. Tandèm tertio Calend. Nouemb. Turcæ proſpicientes ex omni certamine cõtinuam ſibi cladem illatam, quasì deſperatione deducti, ad extremam pugnam penitùs ſe componũt. In cuius diei nocte, de ſecunda vigilia à noſtris, præter ſolitum, greſſus, rumor, & hominum è caſtris ad vallum accedentium, continui aditus audiuntur. Quod vbì animaduerſum eſt, magnis ignibus factis, proſpiciunt ingentia mancipiorum agmina ſcalas machinasq́; in vallum comportare. Quæ omnia indè ad radices murorum, tacito ſuſurro,

humi reclinata deponebant. Quæ insolita signa satis indicabant acriorem solito dimicationem sperandam esse. Qua re perculsus Antonius à Sylueira, milites omnes ilicò conuocat, quibus fidē, natiuum solum, Regem, vxores, filios, parentes, amicos, patriæ longinquitatem, atq; Turcarum perfidiam, pauloantè omnibus perspectam, in mentem redigit, singulatimq; ab atauis gentilitia omnium facta commemorat. Pro quibus omnibus deprecari cœpit, vti potiùs mori mâlint exemplo suorum Maiorum, quàm in manus cruentorum hostium se dare. Quo sermone adducti omnes ad infimum vsque, sacramento se obstringunt, officio atq; fidei suæ nunquàm defuturos. Oratione autem finita, mox vnicuique, opus quod facere tenebatur, imponit, & quem quisq; locum tueri deberet, indicat. Commeabant intereà quotidiè crebræ Solimani de deditione legationes, quæ non solùm ab ipso Antonio receptæ non fuêre, sed ne auditæ quidem. Illa verò nocte nostrorum oculi somnū minimè accepêre, nec vigiliæ distributæ fuêre, sed vnusquisq; de animæ ad superos migratione, vel de vitæ desperatione deniq; meditabatur, & omnia ad defensionem instruebat, quatenùs fieri poterat, & temporis ratio ferebat. Sub diluculum eius diei, quæ Calendæ Nouemb. erant, considerantur à nostris, secundùm fluuiū tacito remigio præterlabi quinquaginta magnę scaphę, quæ rectà ad turrim, quā in faucibus litoris (vt dictum est) habemus, contendunt. Hæc (vt posteà scitum est) simulabant hostes, vt nostris illius lateris turris defensioni incumbentibus, à terrestri parte in arcem proruerent. Quarum cogitationum spe adducti hostes, militem in insidijs à tergo valli tempore no-

cturno constituunt, vt citiùs nostris inopinantibus prosilirent. Posteà verò duodecim triremes arcem versùs, remigium facere conantur, simulantes arcis oppugnationem, & fluuij asscensum. At Dux noster Antonius à Sylueira, hostibus sagacior, iubet vt à parte terrestri, omnia diligenter obseruentur, & quòd à maritima, nemo in scaphas, nec in triremes ictum paret, nisì ipso imperante. Illucente die, circiter tria millia hostium, subito clamore atque tubarum clangore, in arcē irruunt, murósque conscendunt. At nostri sese fortissimè obijciunt, eosq; de mœnibus acri conflictu deijciunt. Habebant illi multa vexilla rubra, viridia, & aliorum colorum, inter quæ vnū quadratum albi coloris erat, boum caudis ornatum, quod nomine prophetæ sui Maomethis gestabant. Perseuerauit hæc dimicatio ad spatium vnius horæ, quo tempore hostes à nostris grauiter læsi fuêre, quorum multi igne cuparum ambusti, rabie quadā capti, in mare spontè sese conijciebant, qui vel ab aquis oppressi, vel ex nostris turribus arcubutorum ictibus transuerberati, ad vnum vsque interempti sunt. Hac militum manu dissipata, cui, extante dimicatione, nullum subsidium missum est, subitò alia ex castris, paulò imbecillior numero mittitur, virtute tamen exercitationeq; longè præstantior, quæ strenuè nostros aggressa est. Milites etiam, vt alij, vexilla diuersorum colorum ferebant. Dux Antonius à Sylueira, videns hostium virtutem, & latus, in quod impetum fecerant, admodùm infirmum, ilicò Paium Rodricum ab Arauio, cui secundus locus à dignitate prætoria, in arce tribuebatur, iubet ex fortiore turri, cui præerat, se illuc celerrimè transferre, vt locus fer-

mè iam oppressus, ab ipso defenderetur. Qui ſtipatus quadraginta militibus, & cæteris, qui locum defendebant, admiſtus, in hoſtes audacter inuolat, multósque repellendo, feriendo, ac necando, ictu vnius arcubuti percuſſus, ſubitò ad pedes ſuorum cóncidit, quod Ducis Antonij auditui grauiſsimum fuit: attamen repentè ad eundem locum ſubſidio mittit Emanuelem à Vaſquogoncelos, quem triginta milites comitabantur. Noſtri verò iam in magno diſcrimine verſabantur: multi interfecti, ac complures icti, & igne læſi erant. Inter mortuos verò Martinus Vazeus Pachequus, & eius nepos Gabriel Pachequus, & Antonius Mētius à Vaſquogoncelos, & alij viri illuſtres annumerabantur, & ipſemet præfectus eius turris, in qua oppugnatio agebatur, quæ eadem illa eſt, quam priùs oſtendimus ictibus tormentorum concidiſſe. Is igitur Emanuel vbì aduenerat, ſe noſtris miſcuit, ac ſimul cōglomeratìm impetum in hoſtes faciunt, eosq́; de turri, ſuper quam diù ſteterant, magna ipſorum ſtrage deturbant. Intereà temporis tormenta noſtra, tam in vallum & caſtra, quàm in triremes ac alias naues, quę à parte maritima, turrim & arcem miris modis impetebant, exonerabantur, quorum ictibus & quaſi fulminibus magnam cladem hoſtes accipiebant. Pugnatum eſt vndiquaquè ab hoſtibus, & quaſi corona in orbem dimicatum vſque ad tempus pomeridianum. Quo conflictu cùm à turri depulſi eſſent, ſubitò duplicato numero, arcem aliæ hoſtium copię aggrediuntur, qui omnes Geniceri, & veterani milites Turcæ, & regni Cambaię erant, numero verò vltra ſex millia, in quibus reliquum ſpei arcis expugnandæ repoſuerat Solimanus.

Dux Antonius à Sylueira, qui omnibus arcis angulis prȩstò erat, huc, illuc, viginti tantùm militibus circunſtipatus, audit hoſtes non ſolùm arcem aggreſſos, verùm etiam muros, atque turris repagula ſuperâſſe. eò dum omni celeritate feſtinat, ſuos atque hoſtes promiſcuè non ſuper mœnia, ſed in ipſa arcis area dimicantes, vel potiùs tumultuantes, aut fluctuantes inuenit. Quo viſo, elatus animi magnitudine, voce ſublimi, inquit: Mei Chriſtiani, Luſitaníque milites, mementote fidei, patriæ, parentum, mecúmque corpora inſtàr martyrum conſtanter pergite ſacrificare. His dictis, velutì leo ore cruore pleno, vibrato enſe, in medium cateruȩ ſe protrudit, huc illúcque iter aperiens, ſuosq́ velutì oues ex faucibus luporum eripiens, hoſtes, tanquàm pilam, eò, vndè venerant, breui temporis ſpatio reiecit. Interìm à parte litorali tormentis noſtris tres triremes euertuntur, vniusq́ puppis confringitur. Qua clade accepta, hoſtes à nauali oppugnatione abſtinuêre, interìm tamen terreſtre certamen magìs magìsq́ vigebat, & magna contentione iterùm in noſtros impetus fit hoſtium. Deniquè extitit atque perſeuerauit dimicatio hæc ad ſpatium quinque horarum, eo modo, vt ſæpiùs noſtri ab hoſtibus ad extremum areæ repellerentur, contrà hoſtes à noſtris reijcerentur ad turrim vſque, per quam ingreſsi erant, quam nè tranſirent, duo hoſtium duces, à calce ad verticem vſque armati, ad eius radices verſabantur. A quibus omnes ſui milites è turri deſilientes, aut aggredi eam recuſantes, ſpathis, quas vtráque manu gerebant, trucidabantur. Ij tamen à noſtris ex arcis pinnis, ictibus arcubutorum ſæpè petiti, tandèm op-

presſi ſunt. Ab alijs etiam lateribus, in arcem pila & globos igneos hoſtes deuoluebant, à quibus mirè noſtri læſi fuiſſent, nisì prouidentia Ducis Antonij liberati eſſent, qui nocte pridiana, hoc timens, ſuper teſtudines turrium, maximam aquæ copiam infundere iuſsit. In qua noſtri verſantes, plantas pedum ab ardore ignis illæſas reſeruabant. Adeò promiſcua fuit hæc pugna, vt ex noſtris multi, glande arcubutorum in hoſtem emiſſa, arcubuto ipſo per capulum arrepto, capita hoſtium aſsiduis ictibus ferirent. Qua dimicatione, ſine aliqua intermiſsione durante, compertum eſt, vnum tormentum quod camelum vocamus, vnum ſupra viginti ictus emiſiſſe. Arcubutarius erat, etiam inter noſtros, qui nonagiès ſupra centum globos in hoſtem eiecit. Tandèm, Deo fauente, noctéque interueniente, prælium dirimitur. Hoſtes ſe in caſtra, magna ſtrage accepta, recipiunt, noſtris in arce non minore iuxta numerum clade affectis. Deſiderati noſtrorum eo die fuêre ſeptuaginta milites, inter quos decem nobiles numerabantur, trecenti vulnerati, alijq́ꝫ igne tacti, ità vt duodecim tantùm remanſerint à læſione immunes. Ex hoſtibus, vt apparuit, circiter tria millia ſupra quingentos cecidêre, præter vulneratos & igne læſos. In quibus ſepeliendis, tota illa nocte, & die ſequente hoſtes incubuêre, quod noſtri liberè permittebant, nullo ictu tormentorum emiſſo, vt fœtore cadauerum carerent. Erat autē res incredibilis dictu, videre diſiecta capita, cerebra, brachia, tibias, inteſtina, cæteráque corporis membra, quæ in arcis foſſa proſtrata iacebant. Prælio finito, iam profunda nocte, Dux Antonius à Sylueira, cùm vidiſſet hoſtes iam ad arcem

expu-

expugnandam ampliùs non niti, nec ad eam aliquam machinam admouere, custodijs dispositis, omnes suos superstites cibo refici curauit, qui à cœna superioris noctis, ad horam illam vsque, integrum cibum non sumpserant, quod spatium erat fermè vigintitrium horarum. Refectis autem ijs, & vulneribus ipsorum religatis, mortuísque opere mancipiorum, quæ in arce captiua habebant, sepultis, se nobilioribus, quas habebat, vestibus induit, cæterósque itidèm facere iubet. Quo facto, canere atque saltare inceptum, cæterísque insequentibus, magnum clangorem & vocum & tubarum per totam noctem excitant. Id quidem agebant, vt hostes crederent ipsos eo animo atque virtute adhuc esse, qua in principio dimicationis fuerant, inter quas choreas & tibiarum concentus, non risus aut cachinni, sed lachrymæ profluebant, hostias se futuras in proximum haud dubitantes, si denuò oppugnatio tentaretur. tandèm finita saltatione iuratum est, se in proxima dimicatione ea obstinatione animorũ pugnaturos, vt si Turca loco potiretur, non anteà pugnandi, quàm viuẽdi finem facturos, nec vnquàm passuros, vt viui in hostiũ potestatem venirent, cędibus & stragibus vltionẽ suæ mortis petituros, eámque victoriam hostibus luctuosissimam futuram: non enim se in spem vitæ, sed ad vindictam mortis certaturos. Interìm nostris in huiusmodi saltationibus & cantilenis impeditis, Dux certis hominibus, quibus maximè fidebat, iussit vt ex tormentis maritimæ parti adiacentibus, vbì semper minùs (quippe latus illud natura erat munitum) imminebat periculi, puluis adimeretur, vt ex illo cupas & globos igneos implerent, quo in sequen-

tis diei dimicationem partem eam, qua arx terram spectat, munitiorem tutiorémque haberét. Omni iam maiorum tormentorum puluere carebant, præter eum, quo tum tormenta instructa erant, quo deficiente, nullà amplius spes defensionis erat. Hanc pulueris penuriam Dux Antonius semper penès se secretam habuit, paucissimis exceptis, nè ab aliquo mancipiorum ex arce fugienti, hostes eam intelligerent. Hac nocte quidam Venetus nauta, pietate veri Christiani affectus, se ad nostros furtìm in arcem contulit, qui indicauit, Solimanum ob ingentem suorum ac classis iacturam constituisse, nisì illo die, quo ter arcem tentauerat, eam superaret, castra amouere, nauésque conscēdere, & Meccham versùs nauigare. Quod iam magìs cogebatur facere, ob atrocē acceptam stragem. prætereà narrabat, ipsum Solimanum mirè succensuisse Coiæ Coffaro occisi Regis Cambaiæ Duci, à quo asserebat se circumuentum esse, qui sæpiùs & coràm, & per literas affirmâsset, arcem minimè firmam futuram aduersùs ipsius potentiam, seq; vlteriùs habiturum omnes Reges Indiæ aduersùs Lusitanos promptissimos socios. Nam illos vnanimi sententia ipsi pecunias ac copias venienti mittere constituisse. Quæ omnia falsa ac fraudulenta depræhendit. Sed & multo plura dixit bonus ille trāsfuga, quæ posteà vera inuenta fuêre. Attamen nostri, pro temporis ratione, eius verbis non magnam adhibebāt fidē, tametsi hæc audiētes, animo nonnulli refocillarentur, ac aliquid ab extrema illa desperatione remitterent. Proindè à suo opere non desistebant, vt si fortè rursùs hostes ad pugnam redire euenisset, se defenderent. Nocte prēterlapsa, dieq; progrediente, hostes (vt priùs dictum

ctum est) in suis medendis & sepeliẽdis occupati fuêre, nec ipsi à nostris, nec nostri ab ipsis, petiti sunt. Sequenti verò nocte (Dei opera) eccè sexdecim illę Liburnicę, quas Nonius à Cunha Prorex miserat, aduentãt, quæ quatuor millibus passuum a classe Turcica adhuc distantes, ducũ consilio, in vnaquaque quatuor luculentas faces erigunt, quę ob noctis obscuritatem visum hostium quadruplo fallebant, existimantes, pro igniũ numero, multitudinem nauiũ respondere. Hoc stratagemate vsi, magna celeritate, clamoreq; edito, ac tormentis omnibus crepantibus, impetum in classem hostium faciũt, ac nullo incommodo accepto, arcis nauale magna omniũ alacritate ingrediũtur. Quo insperato subsidio Solimanus longè plùs perterritus, nullo seruato ordine, omnia tormenta, commeatum, castraq; integra relinquẽs, se eadẽ nocte in naues cum suis contulit. Et tanta celeritate nauigare cœpit, vt orto sole, nullũ eius clafsis vestigium appareret. Milites regni Cambaiæ hęc videntes, se extra insulam, fluuium tranantes, conferunt. Tantus fuit omnium terror ac timor, vt relictis plùs millibus hominum vulneratorum, ac igne læsorum in castris, insupèr millibus aliorum, qui prædandi gratia paulò antè ex castris discesserant, fugerint, qui omnes ad vnum posteà ab incolis, vt nobis gratificarentur, & vt turpia in ipsos perpetrata facinora, vindicarent, trucidati sunt. Nostri ex ea pugna, ingẽtia spolia, præter omnia tormenta bellica, quæ circiter centum & quinquaginta numero erant, obtinuerũt. Fuga itaque hostium facta, confestìm Antonius à Sylueira, celocem ad Proregẽ Gratianum à Noronha mittit, eiq; res ibì gestas indicat, quæ illum cum tota classe, circiter centũ & sexaginta milli-

bus passuũ tantùm à Dio distantem iam inuenit. Quo nuncio exultãtes, omnes gaudio magno affecti sunt, quanquàm Gratianus doleret se hostes ante portum non reperisse, nec eorum classem oppugnare posse, atque gloriam liberatæ arcis reportare. Nihilominùs hæc dum accepit, extemplò versùs mare rubrum cursum ea intentione dirigit, vt profugos hostes, aut terra, aut mari aggrederetur.

DE REBVS ET IMPERIO LVSITAnorum, *ad Paulum Iouium Damiani à Goes disceptatiuncula.*

HVIusmodi multa sunt, doctissime Bembe, quæ quotidiè à nostris in Africa, Asiaq; pro sacrosancta fide catholica agũtur, quæ si Paulum Iouium Nouocomensem, virum (vt fatear) doctum, non latuissent, ea quæ in sua Moschonitarum legatione, deceptus cuiusdam Pauli Centurionis Genuensis verbis, scribit, nunquàm in lucem dedisset. vbì eundem Paulum iniurijs Lusitanorum accensum, ità asserentem introducit: Lusitanorum nauigationibus, non solùm itinera reliquis nationibus in Indiam intercludi, verùm etiam omnia aromata, inibì comparata, ingenti quæstu Vlysippone, bona dum seruant, corruptaq; prostituunt, venundari. Id autem non dabimus Pauli verbis, vt hanc imposturam agnoscamus. Siquidem singulis annis, à Regis nostri negociatoribus, omnia ad vnum aromata, quæ ex India deportata fuerint, diuẽduntur. Nunquàm enim indè tantum aromatum aduehitur, quin facilè vertente anno ab Europa absumatur, præter piper, quod in multos annos sine corruptione

ſeruari poteſt. Nec credo Paulum illum Genuenſem, ob publicum bonum talia blaterare, ſed proprio cõmodo ad * iſtius verba incitari, propter quod & cæteræ quoquè nationes, noſtræ inuident nauigationi, potiùs ſuum lucrum affectantes, quàm propagationem religionis. Porrò nos, id quoquè quod cõfiteri nefas non eſt, emolumentum etiam & opes ex noſtris peregrinationibus quærimus, ſine quo vix tota Europa ſuſtinere poſſet ſumptus, quos quotidiè facimus. Certè vel ob id laudari debemus, quòd non vt inermes negociatores ad quæſtum tantummodò aromatum per Oceanum oberramus, vt multæ nationes Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæq; antiquitùs fecêre, & modò faciunt, ſed exercitibus & claſsibus inſtructi maximo cum metu hoſtium, non tam pomœria noſtræ ditionis, quàm Chriſtianæ fidei prorogamus. Nec, vt falsò multi opinantur, ex omnibus noſtris nauigationibus lucrum elicimus, ſed ex pluribus, pro religione dimicãdo, magnam hominum ac pecuniarum iacturam facimus, vt in Mauritania & Atlantico litore, vbì domitis, & in mancipiorum genus redactis Maomethanis omnibus, qui Luſitaniam occupabant, idq; multis annis confligendo, paucis noſtrorum copijs. Deindè Caſtellanis, eorumq; ſocijs omnibus ac Gallis, vnico prælio ad Scalabitanum deuictis, ac ex regno depulſis, ſubitò Abylam ſiue Ceiptam, celeberrimã ciuitatem in freto Herculeo ſitã, occupauimus. Poſteà verò * Reges Fez & Heſperidum multis conflictibus ſubactis, Tingidem, Argillam, Alcacerem, Tutuanũ, Aſaphium, Caſtellum Regale, ac Aſſamorum, Titium & Maſſaganum, iſtorum Regum patrimonia expugnauimus, & alia oppida, quæ excidijs

* fortè, iſtiuſmodi

* fortè, Regibus

dijs deleta sunt. Ex quibus locis omnibus non solùm nihil cõmodi Regi nostro accrescit, sed etiã ingens sumptus impenditur, idq; cũ iactura multorum nobilium, quos ibì perpetuò in præsidio habet. Vtinàm doctissimus ille Iouius ista vnà cũ ijs, quæ in Aethiopia à nostris gerũtur, perspecta habuisset, vbì nostra opera & sermone potẽtissimus Rex Manicongri cum toto suo regno (quod in longitudine tria millia milliũ passuum habet, in latitudine vltra duo millia millium) fidẽ Christi accepit, eamq; indiès magìs magisq; colit. Deindè vtinàm & id quoquè cognitum habuisset, quomodò in omnibus Guineę ac Nigritarum regnis, quę plurima sunt, & ad montes Lunæ fermè vsq;, atque in regnis Zofalæ, Bennamataxæ, Mocambiqui, Quilloę, Monbacæ, Melindi, & in alijs, atq; in insula diui Laurentij, & vsq; ad Arabicum sinum, liceat eandem Christi fidẽ per nos prædicari, atq; in latissima Australi Brasilliæ plaga, vbì multas colonias nũc habemus. In quibus Regnis, multi ad ipsam religionis veritatem à nostris concionatoribus perducti sunt. Prętereà nostris quoquè armis & classibus fit, vt liceat (idq; nostris magnis sumptibus) Oratores potentissimi Preciosi Ioannis Aethiopum Imperatoris, tutò in aulam Romanam cõmeare, ac principis sui verbis, Romanũ Pontificẽ vt supremũ Episcopum agnoscere, subditorũq; obsequia polliceri, id in mandatis habẽtes, vt se catholicæ ecclesiæ coniungãt. Quæ res adeò præclara, vt gratulatione, nõ odio, ꝓsequenda esset, si verè Christi cultores essemus. Iam vt omittam, quo pacto nostri, sępiùs sinum Arabicum pererrãtes, Suezium vsq; peruenerint, omnesq; fermè eius litorales ciuitates euastauerint, ac templa Maomethanorum incendijs absumpse-

sumpse-

ſumpſerint, nec id quidē ſine ingentibus ſumptibus, ac magna noſtrorum iactura conficitur, quæſtu propè nullo. Rursùm, quòd regnum Adenenſe nobis tributarium cum Fartaquorū regno fecerimus, ſinumq́ Perſicum in ditionem, iusq́ noſtrum ferè totum redegerimus. Vbì regnum & inſula Oromuziæ, iam tanquàm Luſitanię legitima patrimonia ſita ſunt. Ad hæc regnum quoquè Cambaiæ, à nobis hoc tempore domitum eſt, & eius firmiſsima ciuitas Dium occupatum. In quo loco ingens claſsis Sultani Babyloniæ, milite etiā Chriſtiano inſtructiſsima, ac trecētis Regis Cambaiæ nauibus, quas Attalaias vocamus, & quadraginta Regis Calecutij, quas Parahos nominant, à Prorege Frāciſco de Almeida anno 1509. profligata eſt, pleriſq́ nauibus aut captis, aut demerſis cum ingenti hoſtium clade. Quid hîc referā Dacam, Cheul, Dabul, Bandā, ac Inſulam Goæ, quæ tota iam Chriſto patet? Poſtremò, quòd ad Reges Narſingæ, Honori, Batecallæ, Otiiæ, Deli, Cananori, Callequi, Calecutij, Cochini, Coulani, inſulæq́ Seylani, & vltra Gangem ad reges Bengallæ, Pegui, Syani, & ad magnam Malachæ ciuitatem, quam primò Alfonſus de Albuquerque Prorex, ditioni noſtræ adiecit, (cui etiam debemus Oromuzię, ac Goę imperium) & ad inſulam Samatræ: ad Iauam quoquè minorem & maiorē, & ad inſulas Bandę, Moluqui, & ad Borneum: poſtremò ad Chinam, ad Lequios deniquè nationē vix antehàc cognitam, fidem Chriſti propagatam eſſe, quod noſtri nōn æſtimandis laboribus atque ſumptibus obtinuerunt: quorum Reges & plures alij, quos omitto, multi ſe ſeruos Regis noſtri vocant, nonnulli tributarios & confœderatos, alij amicos: apud quos, ſiue ex fœderatorum genere

ſint,

ſint, ſiue ex numero dedititiorum, ab Herculeis columnis vſque ad Chinã & Lequios, per omnes prouincias maritimas, nobis authoribus, fides Chriſti celebratur: ità tamen, vt alibì id liceat colloquijs & ſermonibus, alibì publicis concionibus, nonnullis in locis phana quoquè & templa religioni Chriſtianæ dedicentur. Nunc certè
Pſalm.18. in omnem terram exiuit ſonus, & in fines orbis terræ verba eorum: & ſpes eſt, longiùs ſenſim ad mediterranea, fidem Chriſti propagatum iri & Chriſto fautore, & noſtrorũ prædicatione. Quibus rebus omnibus conſideratis, & quòd Rex noſter à principio nauigationis noſtræ in Indiam, cogatur perpetuò alere, tam in Mauritania, quàm in ipſis Indijs, & in alijs quoquè prouincijs, ordinarium & perpetuum exercitum, viginti fermè millium militũ, quos ſumptus domeſticis opibus tolerat, nullis ad hoc ab amicis auxilijs corrogatis. His adijce claſſem pluſquàm trecentarum omnis generis nauium, quas nũquam ocioſas, ſed in perpetuis expeditionibus occupatas habet, vt iam non enumerem extraordinarios ſumptus, quos ad ſubita bella facere cogitur. nam quę ſuperiùs recenſui, impenſę pacis & tranquillitatis ſunt, non bellorum, quæ ſubindè alijs ac alijs in locis gerenda ſunt, dum aut fines tuetur, aut ſocios protegit, aut fines imperij promouet. Quis piorum Chriſtianorum nõ deſinat nos maledictis laceſſere, conſiderans ad tot ſumptus ſuſtinendos magnum omninò requiri lucrum? Quod ſanè nobis inuidere non debent, ſed potiùs augere, aromata noſtra cariùs emendo, (quanquàm à noſtris ſemper viliùs vendita ſint, quàm olìm à cęteris nationibus vendebantur) vt ea pecunia Maomethani de facie terræ (quandò alij
Chri-

Chriſtiani principes inter ſe dimicando Chriſtianam ditionem neglectui habent) deleantur, & ſacroſancta fides paſsìm ac tutò prædicetur. Hæc omnia ſi ille bonus ac doctus Paulus Iouius sciuiſſet, nunquàm aut de quæſtu noſtro inuidiam mouiſſet, aut corrupta aromata pro integris vendi aſſeruiſſet, quippè cum edicto Regis, placitisq́ totius regni, mucida, adulterinaq́ſemper crementur, id quod, dum puer ab intimis cubiculis prudentiſsimi Regis Emanuelis eſſem, ſæpiùs vidi Vlyſsippone fieri. Cæterùm, ſi qua iſtius rei culpa eſt, ea apud ſolos iſtos tabernarios propólas & inſtitores hæret, quibus nihil ſancti, niſi quod cum lucro coniunctum eſt: in quos animaduertendum eſſet, nam ij omnium generum mercimoniorum corruptela veriſsima ſunt. Hęc ſi Iouio comperta fuiſſent, non noſtras laudes aroſiſſet, ſed benigna prædicatione celebrâſſet, quod illi ob terſiſsimam eloquentiam & facile, & expeditum fuiſſet. Hæc ad Dienſem oppugnationem, de noſtrorum Luſitanorum geſtis, obitèr adieci, vtì per te (cuius amplitudo ſumma eſt) gratiam aliquam, & commẽdationem huic diſceptatiunculæ noſtræ conciliarem, quo illa ex tua authoritate maiorem vbiquè fidem emereretur. Vale.

PETRI

PETRI NANNII ALCMARIANI ELEGIACVM IN DAMIANI A GOES EQVITIS LVsitani, viri non minùs humanitate, q̃ literis exculti, commentarios, de rebus citra Gangem in India gestis.

Non hîc bella leges Italis pugnata sub orîs,
Aut quorum Tybris conscius esse queat.
Non Europæis conserta hæc prælia campis,
Non cæde hac rubuit terra Lybissa graui.
Non regna vlla Asiæ stragem hanc vidêre cruentam,
Quæcunq; Euphrates, Tìgris, Araxis obit.
Extra orbem est, quodcunq; leges, tellure sub ipsa,
Qua parte Arctophylax sydera nulla tenet.
Feruet vbì æstiuo gelidißima bruma calore,
Atq; vbì sub Cancri sydere regnat hyems.
Hîc Lusitani, gens flumine diuite diues,
Queis Tagus auriferis fuluus inundat aquis:
Antipodas pariter, pariter Mahumetia castra
Vicêre, & victis imposuêre iugum.
Hæc si scire velis, adeas Damianica scripta.
Singula nam pandent ordine gesta suo.
Nil ille adfingit, nil detrahit, omnia certa,
Nixa fide scriptis integer inseruit.
Ille ducum fraudes, & furti bella recenset,
Prælia per terras, naumachiasq; refert.
Quas habuit vires, quæ pectora miles vterque,
Quæ forma armorum, militiæq; genus.
Qui numerus castris, quot in agmine quenq; secuti,
Quanq; diù, & quoties prælia constiterint.

Quid

Quid cladem attulerit, qua re sint parta trophæa,
Singula per causas explicat ille suas.
Inde fit, vt discas bellare, hæc bella legendo,
Et sis pugnator, qui modò lector eras.
Hæc ego lectori tibi nunc loquor optime Bembe,
Orbis honor, secli gloria Bembe tui.
Quo viuo viuit Cicero post fata superstes,
Atq; ex ore tuo verba animata sonat.
Ille tuos artus vegetans, mentemq; sonumq;
Inspirans, solito detonat eloquio.
Hinc mihi Pythagoræ doctrina haud vana videtur,
Qua docet alterius membra subire animam.
Ipse erat expertus, expertus & Ennius ipse,
Ille sui Euphorbi, Meonidæ iste memor.
Tertius est testis Cicero in te Bembe renatus,
Durum est tam sanctis credere nolle viris.
Frustrà hoc abnueris, quod de te credimus omnes,
Tullius vt non sis, ne Cicerona sones.
Te tua vox prodit, frustraq; modestia dotes
Dißimulat, soli lux sua semper adest.
Quòd si te nolis totum Cicerona vocari,
Corpore sis Bembus, Tullius ingenio.
De vultu Arpinas ciuem te vendicet, an non,
Iudicet? ex scriptis Tullius argueris.
Hoc quoq; testatur Damianus amicus amico,
Qui scatet eulogijs plenus vbiq; tuis.
Ille tuos mores omni virtute beatos
Prædicat, & viuis pingit imaginibus,
Quamq; modesto animo sis hoc in culmine rerum,
Quàm pura à vitijs pectora sancta geras,
Quàm facilis cunctis, doctos doctißimus ipse
Quantum adames, quantum sedulus vsque iuues.

Cuncta docet, dignusq́ fide est, grauis author, & ipsa
Non aliter de te publica fama canit.
Quod scribo ignoscas, huc me Damianus adegit,
Paruimus iußis, culpa mea obsequij est.
Noluit ille prius nostris obsistere votis,
Et facili nostras audijt aure preces.
Nam premere hunc librum, tenebrisq́ addicere certus,
Admonitu nostro destitit occulere.
Victus amore pudor, qui (vt scis) est magnus in illo.
Indulsit nobis, morigerusq́ fuit.
Cumq́ meo suasu sua scripta hæc publica fecit,
Scribere me illius par fuit arbitrio.

DAMIANI



DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO SECVNDO, COMMENTARII TRES.

Serenissimo Principi Ludouico Lusitaniæ Infanti, Damianus à Goes, S. D. P.

MIRVM est, quàm semper cum ætate accrescant labores, & deficiẽtibus paulatim viribus, maiora negocia incumbant, siue id arcano quodam naturæ motu, numinisq́ imperio contingat, siue voluntate nostra id vltrò suscipiatur, vix certum constitui potest. Mihi certè euenire video, quo propior ad senectutem vergo, eo plura offerri, quæ scriptis ad æternitatem commendari debeant. Ea enim sunt facta præclara nostræ gentis, ea magnitudo varietasq́ rerum, ea nouitas insularum climatúmque, vt si denuò aliquis Homerus exurgeret, posset non incõmodè ex rebus Lusitanicis, & Iliados & Odysseæ argumentum non fabulosè, sed ex vero cõponere. Sed hæc fortaßis aliâs tentabimus. Nũc, quæ proximè acta sunt ad Gangen in tuenda arce Diẽsi, describere propositum est. Ex quo enim tua humanitas, Princeps clarißime, & in bello gerundo Dux strenuißime, nobis recitauit literas Ioannis Mascaregnæ Diensis arcis Præfecti, laureatas, & triumphorum argumentis

plenas: non potui mihi imperare, quin arrepto calamo, ocioq́ excusso, eius rei commentarios conficerem. Quem laborem meritò, fortaßè ob nonnullas lucubratiunculas subterfugere potuissemus, quippe qui iam pridèm emiserimus (quod mihi non ad iactantiam ingenij, sed ad testimonium laboris dictum velim) priorem illam Diensem oppugnationem, vbi in fine opusculi adiuncta est nonnulla disceptatiuncula cum Paulo Iouio viro disertißimo. Deindè fidem, mores, potentiamq́ Aethiopum (qui sub Ioanne Precioso) siue (vt nunc loquimur) sub Ioanne Presbytero degunt, scripto prodidimus. In quo libello, vice Coronidis, deplorandam Pilapiorum ad glacialem Oceanum degentium calamitatem, Paulo tertio Pontifici proposuimus. Præterea Hispaniarum vires, opes, fœcunditatemq́ libro complexi sumus. Hisce commentatiunculis, licèt quasì fatigatus rudem mihi, etsì non in perpetuum, saltem ad tempus postulare possem: tamen vbì noua gloria nostræ gentis de Turcis parta, meum animum denuò accēdisset, in re noua nouum vegetumq́ animum ad scribendum indui. Quòd si nobis pro animi alacritate par ingenij vis & eloquentiæ copia suppeteret: meliùs sese proderet hominibus rerum gestarum amplitudo, quam fortaßè alius aliâs præstabit. Nos contenti erimus, vt summa fide rem tradamus, vt, si lector non audiat ex nobis, quanta sit claritas magnitudoq́ istius victoriæ, animo saltem cōcipiat, & vtcunquè imaginetur. Cæterùm hoc quicquid est libelli, tibi dicatum voluïmus, Princeps inclyte, cuius felici consilio, bellica hæc negocia domi forisq́ rectißimè tractantur. Quod sanè iam anteà satis te declarâsse in Tunetensi expugnatione, omnibus compertū est, vbì Carolo Quinto, cognato & sororio tuo, in difficilioribus negocijs præstò sem-

stò semper adfuisti, & præsens tuam animi excellentiam, virtutem, & rerum bellicarum peritiam vniuerso orbi innotescere voluisti. Quum igitur id & à te & à clarissimis fratribus tuis Ioanne Tertio, inclytissimo Rege nostro, & Henrico Cardinale reuerendissimo agatur, vt æternum in India sit Lusitanorum imperium: non putaui hunc librum de rebus Indicis, tibi iniucundum futurum, præsertim si in mentem veniat, vt inter legendum necessum est venire, quam fortunam auspicium Regis, quas vires tua in bellis peritia, quid tutelæ, Cardinalis in prouidendo sagacitas, ad hanc victoriam contulerit, & quid in posterum ijsdem effici & sperari posset. Accipias igitur sereno placidoq́ vultu hanc nostri deuoti pectoris operam, quod te facturum pro tua humanitate nequaquàm addubito. Vale.

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO II. COMMENTARIVS PRIMVS.



Ollatorum beneficiorum, pluma leuior est, gratia: contrà, offensarũ memoria, tenax & diuturna, obliuionē non sinit obrepere: nec tam expendit, iure'ne an iniuria sit lęsa, sed vulnus tantummodò suũ adspicit, & acri dolore ad vindictam, per æqua, per iniqua, contendit. Cuius rei euidens exemplum patuit in gente Cambaica, quæ à nostris hominibus, multis affecta beneficijs, oppressa earum rerum memoria, cladem (quam sub Antonio Syl-

uerio ſua culpa acceperant, dum Dienſe præſidium, cui ille per id tempus pręerat, infelicibus armis tētant) quasì acceptam iniuriam noua oppugnatione vlciſci ſtatuerunt: id quô meliùs ſuccederet, belli conſilia, quantùm poſſent, tégere, arma opesq́; ad id clàm comparare, vt imparatis vel per inſidias obreperent, vel aperto Marte, ex pręparato grauiùs adorirentur. Sed Ioannes Maſcaregnas, cui arcis cuſtodia demandata erat, vir non minùs ſagaci, quàm forti pectore, omnia olfacere ac procùl ſentire, eorum cōſilia conatusq́; explorare, omnia pro tēporis anguſtia comportare ac præparare, quæ ad vim hoſtium propulſandam neceſſaria exiſtimabat.

Author porrò cōflatorq́; iſtius belli, Coius Sopharus fuit, homo natione Italus, ſed qui ſpreto Chriſtiani nominis ſacramento, Mahumeticæ ſectæ ſe addixerat, dux veteranus, ac inprimìs belli peritus, conſilio manuq́; promptus, cuius mētionem in ſuperiori oppugnatione Dienſi fecimus. Hic adoleſcentē Mamudiū Sultanū ad arma inſtigare, nec ſinere eius animum, à cōmemoratione occiſi ad Dium auunculi, conquieſcere. Fuit autē is, Baduris Imperator Cambaiæ. Non debere eius mánes inultos relinqui, & eius (vndè regnum acceperat) mortē negligi, pertinere id ad ipſius ignominiā & familię dedecus, ac totius gentis infamiam: exiguam manum Luſitanorum, facilè poſſe per bellū finibus excuti: Indignū prorsùs, maximū regē premi ſeruitute alienigenarū, dominatū cōſpicere in regia, regnū deniquè & religionē in periculū venire: ſe, quicquid haberet viriū, quæ profectò exiguę nō eſſent, libēter huic bello aſſociaturū. Vincitur hiſce admonitionibus iuuenilis animus, ac de ſententia ſuorū, bellū decernit,

belliq; summa Sopharo commendatur. Is clanculùm, partìm ex regijs opibus, partìm ex suis, magnos exercitus cõparare, neq; ius religionéq; fœderis, initi ab interfecto Badure cũ Prorege Gratiano Noregna, quicquã curare. Principiò igitur finitimos reges legationibus ad societatẽ vocare, spesq; periculaq; ostẽtare, quorũ pleriq; nostrum imperium perosi, arma iungunt, alij magna promittunt, alij se integros ad euentũ belli seruant.

Quæ dum maximo silentio ex vtriusque consilio aguntur, fingit Sopharus Diensium ciuitatẽ sibi ab Imperatore Mamudio dono datam esse. Quæ res eô verisimilior videbatur, quòd & alia in ditione Cambaiæ oppida, vel gratia vel precio obtinuerat, è quibus vnum est Surrato, munitissima ciuitas ac propemodùm inexpugnabilis: ideoq; intuenti reliquã eius viri amplitudinẽ & gratiam, absurdum nõ videbatur, tale donum in virum, tãtoperè apud suos excellentẽ, collatũ fuisse. Cuius impetratio ideò facilior apparebat, q; ea ciuitas subindè nunc Turcarũ, nunc Lusitanorum armis expugnata, incerti fluctuãtisq; dominij esse videbatur: spesq; erat, si Sopharo tradita fuisset, eius industria & viribus facilè contra alienas opes defendi posse. Rebus ad istum modum constitutis, Sopharus literas ad Ioannem Mascaregnam mittit (cuius amicitia valdè familiariter vtebatur) de sua felicitate, tanquàm indè magnoperè gauisurũ: indicabatq;, se iam nõ animo tãtùm, sed corpore quoquè cũ amico summo cõiunctiorẽ fore. Simul Legatis opera data est, vt vires nostras copiasq; explorarẽt, hominẽq; orarẽt, vt ipsius pace liceret aliquot cohortes in vrbem introducere, vt in rebus nouis ea manu sibi principatũ cõfirmaret, populũq; in officio cõti-

neret, nè vel contra ſe, vel contra Chriſtianos aliquid molirentur. Ipſe interìm clàm militem accerſere, bombardasq́ noctù in vrbem cõuehere: Maſcaregnas contrà, rem frumentariam expedire, neceſſariaq́ in arcem comportari iubere, Luſitanosq́ qui in oppido agebant, clàm admonere, vt commeatum & quicquid haberẽt, vnà ſecum in arcem deueherent. Dum igitur inſidiæ altrinſecùs vel inſtruuntur, vel cauentur: nuncij aduenientes referunt, totum regnum Cambaiæ eſſe in armis, ingentes exercitus cogi Arabum, Abeſſinorum, Phartachorum, Mogorum, & Turcarũ, ad quadraginta millia: machinas item bellicas bõbardasq́ omnis generis, inter quas erant quinque baſiliſci, (vaſtæ id magnitudinis tormentum) ad arcis expugnationem cõportari. Maſcaregnas contrà (vt eſt homo rei militaris peritus) omnia diſsimulare, ac per literas Sopharo gratulari, q̃ Regi ex merito charus eſſet: ſe probè cognoſcere, quæ ipſius eſſent beneficia in regnum Cambaiæ, ac inprimìs gaudere, ipſius virtutes debitis præmijs, ſi nõ ad plenum, (nam maiora eſſe illius merita) ſaltem aliqua ex parte compenſari: De milite in oppidum introducendo, ſe illius iuri nõ intercedere, tantùm caueret, nè id ſibi Chriſtianisq́ perniciosum eſſet. Cæterùm, vt de tempore conſtet, acta ſunt iſta ſub finem Martij, anno 1546. Paucæ igitur cohortes palàm, cæteræ clanculùm in vrbem intromiſſæ ſunt. Mẽſe Aprili maior adhuc copia armatorum ſuperuénit, quorũ pleriq; Turcici generis erãt. Enimuerò iam Sophari animo res matura videbatur, neq; differẽda vlteriùs initia belli, dum hyemis intemperie, quæ per ea tempora ſæuire incipit, nulla ſubſidia Chriſtianis à prorege Indiæ ſummitti poſſent. Maſcaregnas autem

autem (magìs ac magìs se quotidiè aperiente bello) de hoc tumultu, summa celeritate ad Ioãnem Castritium proregem Indiæ (qui id tẽporis Goiæ agebat) nuncios mittit, vt cognosceret, quo in metu res constitutæ essent: se contra tantam vim nõ nisì ducentos quinquaginta milites in præsidio habere. Eadem indicantur Hieronymo Menesio, & Antonio Sosæ, Bazaini & Chaulij præfectis. Liburnica quæ eos deueheret, ad id negocij expedita, simul in mandatis datum, vt commeatũ quẽ hostis ex illis locis deuecturus esset, interciperẽt, ac naues ea causa illuc missas retinerent. Spharus porrò quinq; millibus Turcarum, Abessinorum, aliarum'q; gentium, vrbem ingreditur: quẽ circiter triginta millia latomorum, calonum, lixarum, cæterorum'q; qui Castrẽsibus vsibus mercenariam operam præstant, insequebantur. Aderat etiam Rumecanus Sophari filius, quem rex Mamudius bombardarum omnium machinarũ, tormentorum'q; negocijs præfecerat. Statìm igitur ab ingressu suo nuncios ad Mascaregnã mittit, orans, nè de subito eius aduentu, copijs'q; militum, aliquid sinistri opinaretur: rebus duris & regni nouitate ad talia consilia compulsum esse, ægrè ferre oppidanos mutationem principis, nec imperium sibi in tanta maleuolentia, sine armis tutum esse posse, ipsum'q; adeò scire, quàm scelerata ingenia incolarum essent, quàm prona ad seditionem: Testari igitur illius conscientiam, oraréque, nè, quod pro se necessariò faceret, contra amicũ fecisse crederetur: Se inter bonas suas fortunas, hanc pro summa computare, quòd tam charum caput, iam non ex longa intercapedine, sed de proximo visurus esset. Quòd si per suspiciones à colloquio arceretur, ipsum tamen experi-

mentis cogniturum, quod fortaſsè iam perſuaderi non poſſet: ſcilicet, quàm ſanctum illi ſit ac religioſum ius veteris amicitiæ.

At Maſcaregnas his nũcijs auditis, tametſi doli non ignarus, diſsimulatione tamen pro tempore vtendum arbitratus, Simonem Pheum virum ſolertem, prudentemq́ ad eum per ſpeciẽ gratulandi mittit, ſibiq́ aduentum eius gratũ eſſe, cauſamq́ tanti ſatellitij probam videri renũciat, ſeq́ nunc auidè expectare, vt deſiderata totiès familiaritate, iam nunc deincèps multo frequentiq́ vſu ſeſe explerent. Sopharus hominem magnificè excipit, exceptumq́ cum ijs mandatis remittit, vndè nihil præter cauſas belli affectare videbatur: in fœdere eſſe ſcilicet, quod Mamudius cum Prorege Gratiano Noregna percuſſerat, vt liceret murum excitari ex aduerſo arcis, qui iniurias militum præſidiariorũ ab oppidanis intercluderet, quô quieſcẽtibus hinc indè offenſis, pax bona cõſeruari poſſet. Tentatã eſſe quidem eius muri ędificationem, ſed armis Emanuelis Soſæ opus prohibitum fuiſſe: nunc cupere ſe, quod ex fœdere liceret, bona eius gratia abſoluere: Sin ſecùs animatus eſſet, ſe contra vim arma oppoſiturũ. Ad hæc placere ſuo Regi, vt liberũ ſit ius nauigandi, tam in rebus exportandis, quàm aduehendis, & vt cuique integrum ſit, merces ſuas deferre quò vellet, neque eiuſmodi commeandi authoritatem à Luſitanis petendam eſſe: Non enim regem potentiſsimum eam indignitatem ſeruitutis ampliùs ſuſtinere poſſe: ſcire Luſitanos, quæ vires eſſent eius imperij, ipſum tamen potiùs per gratiam ab illis petere, quod armis obtinere poſſet: proindè nè grauarentur amicitiæ dare, quod neceſsitati fortaſsè dandum eſſet. Magnifacere Regem

gem Lusitanos, ac dempta seruitute amaturum quoquè, sociúmque ad omnes necessitates futurum: alioquì ius sibi armis ereptũ, armis quæsiturum esse. Viderent igitur, nè, dum iniqua retinent, omnia amittant: se hoste, omnia circumcircà hostilia futura: ipsos esse interclusos hyeme ab omnibus suorum subsidijs, manum exiguam esse intùs in arce. Hæc se denunciare regis sui nomine, se(quod amici est)Mascaregnam admonere, nè bellum perniciosum in se suósque excitet: vitaret eam flammam, quæ semèl exorta, Lusitanicas res in India in cinerem absumat. Quòd si æqua negentur, deos hominésque testes facere, se inuitum, ruptis fœderibus, ad bellum cogi: proindè faceret ipsum quamprimùm certiorem, vt quod in manibus esset quamprimùm conficeret. Mascaregnas, ad Sophari postulata, optimum quenque vsu & ætate prudentissimum, in consilium adhibet, de quorum sententia tale responsum per Simonem remittitur: Ea quæ ad innouandas vel mutandas pacis leges spectarent, ad se suámque cognitionem nihil pertinere: proindè ab ipso ea petenda non esse, ad quæ concedenda nullum ius haberet. Solummodò id imperio Proregis statui posse, quod ipsum pro diuturna cum Lusitanis cõsuetudine minimè omnium latére posset: rogare igitur, vt Mamudius legatos super ea re ad Proregem mittat, nec ante responsum (quum dubium sit, an quod velit impetraturus sit)arma moueat. Proregẽ id temporis Goæ agere, neque longè distare, non longam in medio moram futuram. Quòd ad muri ædificationem pertineret, se mirari, quur cũ tanta manu ad hoc negocij à Mamudio sit missus: Posse enim

eius

eius rei curam quæstoribus vrbis committi, quibus ne ipse quidem suam operam subtracturus esset, modò ijs locis construatur murus, quibus inter Mamudium & Gratianũ cõuenisset. Quòd si designnti limites obseruentur, rectè illũ facturum: sin vel duos digitos vltra fundamenta opus promouerit: se non solùm illi, sed ipsi quoquè Imperatori Mamudio impedimento futurũ. Verùm vt constaret, quantoperè abhorreret à caussis belli, fœderibusq́ violandis, superesse exemplar scriptarum de pace legum, idq́ se nũc ei per Simonem legendum mittere. Simon igitur cum istis mandatis in castra venit, antigraphúmque Sopharo in manus offert. Quod quum ille legisset, statìm cum magna animi vultusq́ indignatione in plurimas partes discerpsit. Legatúmque contra ius gentium in vinculis asseruari iubet, neque vlteriùs oppugnationem differendam censet: quocircà ad vigesimam primam mensis Aprilis, magna vi arcem aggreditur. Diensis autẽ arx rupibus & cuneata fronte in littus procurrit, ab vna parte fluuio, ab altera verò sinu maris alluitur: Reliqua aditum habent ab oppido, quà validissimis aggeribus fossísque quaquauersùs à fluuio ad mare vsque cingitur. Porrò in fluuij alueo turris munitissima consistit, eoq́ inexpugnabilior, quòd nisì summo & incitatissimo maris ęstu adiri nequeat, tum enim tenues vndas ad arcem perferri: Difficultatẽ loci ea quoquè parte bombardæ adiuuant, quæ hostilem classem aduentantem, facilè crebris iaculationibus deprimant. Ex alio verò latere, limoso solo & humili aqua circuncingitur, vt neque pedibus, neque nauiculis, immò ne lembis quidem possit adiri. Intermediũ arcis, turrisq́ spatium solummodò nauigationi-

bus

bus idoneum eſt, ſed obnoxium vtriuſque munitionis bombardis.

Ab ea igitur parte, qua demõſtrauimus arcem ad oppidum reſpicere, & perpetuo dorſo continuari, quæ ſola obſidioni opportunior videtur, ſumma vi Sopharus oppugnationem tentat, ac in tumulo arci vicino, (ex quo maxima ipſius pars arcis conſpicitur) ex congeſtu aceruisq; lapidum, ſine calce vallum miræ craſsitudinis erexit, & ad imas operis radices, apertis inibì feneſtris relictis, bombardas appoſuit, ſupernè propugnaculum iſtud corona pinnarũ amplexus eſt, iuſtoq; præſidio protinùs inſtruxit, & vt tutũ ab iniuria noſtrorum iaculorum aſſeruaret, goſſipinis ſarcinis vndecunq; muniuit. Quo opere ingenti feſtinatione intra vnam noctem cõfecto, albente iam in diem cælo, arcem omni genere telorum oppugnare cœperunt.

Dum hæc aguntur, Ioannes Maſcaregnas, ſeruos, mulieres, ac pueros, militari operæ inutiles, nauibus quorundam mercatorum Luſitanorum, Bazainum & Chaulium euntibus, auehẽdos tradidit. Naues item duas (quas Indi Catures vocant) ſumma celeritate armari iuſsit, vt orã maritimam legentes, hoſtes commeatu prohiberẽt. Quæ mandata impigrè facientes, obnauigatis littoribus, non lõgo deindè temporis ſpatio reuerſæ, etiam in hoſtiũ oculis quatuordecim naues, mercibus & commeatu onuſtas, intercipiũt. Quo factum eſt, vt iniquiore multò annnona aduerſarij vterentur. Et vt res ſuo ordine, certisq; functionibus ageretur: arcis ſtationes Maſcaregnas hoc pacto diſtribuendas exiſtimauit. Ioannem Almeidam turri & ꝓpugnaculo diui Iacobi (quod in ſuperiori oppugnatione, crebris Turcarum iacula-

cula-

culationibus corruerat) tutorem aſsignauit: Lodouicum Soſam, turri D. Thomæ: Aegidiũ Cotinium, turri D. Ioannis: Antonium Pezannam, turri D. Georgij, quæ ſupra nouam arcis portam ſita eſt: Ioannem Verzeanum, meſopyrgio minori: Alphonſum Bonifacium, turri, quæ D. Iacobi propugnaculo imminet: Antonium Rodericum regium quæſtorẽ, meſopyrgio maiori: Antonium Fræriun legatum, turri ſupra veterem portam ſitæ: Singulis fermè iſtorum, ad ſtationũ cuſtodiam, viginti traditi milites ſunt. Nam tunc tẽporis arci maiores defuêre copiæ, & militũ inopia ſummoperè laborabatur. Præfecti autẽ iſti, ea quæ ad arcis, ſuarumq́ turriũ defenſionẽ pertinere exiſtimabant, ſumma cura & ſtudio pro virili die noctuq́ faciebant. Eodem tempore paulò ſupra illud vallũ, quod hoſtes excitauerant, non minori firmitudine aliud quoq; versùs mare excitârunt, cui etiam aliud ſimile adijcitur: eoq́ flexu anfractuq́ murus, deducitur, vt opus magìs labyrinthicum, quàm alterius generis eſſe videretur. Idq; eô factũ eſt, vt ſeptis illis flexuoſis à noſtrorum telorum iniurijs protegerentur. Et quanq̃ noſtri hoſtium conatus omni perſeuerantia contentioneq́ impedire contendiſſent, nihilominùs eo muro curuo ſinuoſoq́ progreſsi ad manûs iactum, proximè arcis mœnia conſiſtunt.

Indè ex congeſtis lapidibus aliud opus conficiunt, tredecim pedũ craſsitudine, ſed à tergo validiſsimo aggere ſuffultũ, quod à ripa ad ipſum littus deducunt, caſtellisq́ communiunt. Indè (vt loci natura ferebat) ex caſtello in caſtellum continuatis munitionibus, arx penitùs vallo circundatur, in ijſdemq́ caſtellis omne telorũ bombardarumq́ genus imponitur. Itaq; opere finito, acriùs

acriùs ſolito arcem ſæpè tentabant. Intereà Mamudius Regio comitatu ſtipatus, ciuitatem (operis viſendi gratia) ingreſſus eſt. Dum hæc ab vtraque parte agebantur, per exploratores certior fit Maſcaregnas, decreuiſſeYpharũ, turrim, quã noſtri in fluuio, vt demonſtrauimus, ſitam habẽt, inuadere: collectis ad id ratibus, vnà cum naue oneraria perquàm magna, cuiuſdam ſectæ Mahometanæ mercatoris, quam in portu ad eos vſus retinuerat. In qua tabulatum eius altitudinis, quòd turris ſupremum tabulatum æquare poſſet, extruere curauit, quod circunquaque pluteis (vt noſtrorum iacula repelleret) ſic cõfirmauit, vt nisì ſumma ope expugnari poſſet. Re cognita, Maſcaregnas Iacobo Lacteo, quem nauibus illis duabus, quarum anteà meminimus, præfecerat, negocium committit. Is maximo ſilentio, tacitóque remigio oppidum versùs naues ſuas noctù eduxit. Verùm anteà quàm immineret onerariæ naui, quam incendio delere propoſuerat, aquarum ſtrepitu & murmure, quem remi excitabant, cauere non potuit, quin inſidias ſuas excubitores hoſtium perciperent. Quarè clamore ſublato, totus exercitus in armis proſiliuit. Id quum à noſtris eſſet animaduerſum, celeri curſu in nauem impreſsionem faciunt, ignémque iniiciunt. Sed quum incendium ex voto non ſuccederet, & hoſtes impetum in noſtram claſſem facere conarẽtur, viginti circiter milites ex noſtris hoſtium nauem conſcendũt, funibusq́ ancorariis præciſis, remulco, vno ſolo milite læſo, nauem ipſam ereptam (hoſtibus contrà nitentibus) ante arcem deducunt, ibiq́ igne iniecto, penitùs abſumunt. Quæ res Sophari animum non parùm fregit. Nam propoſuerat eam turrim anteà capere,

vti

vtì faciliùs arcem, loci eius commoditate adiutus, expugnaret. Neque sanè temerè eius rei concepta spes, quoniam capta turri illa, subsidiariæ nostræ naues ad arcem appellere, non nisi cum summo discrimine & labore valuissent. Hæc ea nocte, quæ diem Paschæ Seruatoris nostri præcedit, acta fuêre. Nostri igitur, dum de redempto humano genere salutiferum diem, & iam de hostium clade lætum festiuumq́ miris gaudijs ouationibusq́ celebrauêre, spe omninò erecti sunt, tanquàm in cęteris quoq; victores futuri. Quum igitur negocium in eo statu esset, & perseuerãter hostes in arcem impetum facerent, idq́ non sine vtrorunque clade, ob tormentorum assiduã iaculationem, & hyeme instante nostri de subsidio fermè desperarent, decimaoctaua Maij, Proregis filius natu minor Ferdinandus Castrius, cũ octo minoribus lõgis nauibus, (incolę Catures vocãt) difficilioribus vsus tempestatibus, ante portum appáruit. Nauiũ præfecti, Georgius Vascogoncellus, cui duas ex eo genere nauium Prorex ad littus Cambaicum explorandum commiserat, Franciscus Almeida, Petrus Lupius Sosa, Antonius Cugna, Diodocus Siluius, Diodocus Reinosus, cognomento Soto maior. Quibus appulsis, frustrà se obijciente hoste, per pseudothyrion siue clancularium ostiolum, quod in minori brachio muri adapertum fuit, nullo accepto damno, læti in arcem, cum ingenti omnium gaudio, recipiuntur. Post quorum aduentum, militem iubet Mascaregnas recenseri. Inuenti sunt fermè quadringenti quinquaginta, omnes ferè illustri loco nati, manu strenui, & ad vsus bellicos satìs commodè instructi. Pro copia igitur auxiliorum, plures stationarios singulis locis deputat, omni-

omnibusq́ quid agendum ibì, quáve ratione excubandum esset, exponit. Post Ferdinandi Castrij aduentum, Mamudius & Sopharus naues instruunt, quibus, nè aliud subsidium ad arcem accederet, prohibere nitebantur. Hæ aliquot ex nostris commeatum in arcem deportantes, interceperunt: nonnullas etiam fugæ se mandare, coëgerunt. Verùm huic hostili classi, ingruēte iam atque adeò ingrauescente hyeme, necessariū fuit portûs obsidionē relinquere, vt subducta in terram, à procellis tuta esset. Superiùs demonstratū est, Mamudium Cambaiæ regem, muro absoluto, turribus vallisq́ instructo, operis visendi causa in oppidum venisse. De cuius aduentu certior fit Mascaregnas, per captiuum quendam, quem sex milites nostri à Ferdinādo Caruallo, præfecto illius turris quæ in fluuio est, ad hostilia castra exploratum missi, in ipsis aggeribus interceperunt. quarè ob aduentum regium ingētia signa lætitiæ, bombardarum tonitru, tubarumq́ classico edita fuêre. Rex autem vigesimaquinta Iunij, manè ante solis ortum, oppidum ingressus est. Qua hora tres iustæ magnitudinis testudines, nostri super hostium vallum erectas, dubijs oculis vtcunquè animaduertunt, subterq́ eas ingentis formæ basiliscos tres, munitiones quoquè ac castella quoquouersùs ad confligendum, noua ratione composita. Quibus vix, dilucescente crepusculo matutino, plenè cognitis, confestìm hostes ad turres diuorum Thomæ Iacobíque, & ad murum ijsdem turribus interiectum, effusissima glandium iaculatione contendunt. Mascaregnas autem, quum quorsùm ij animum applicuissent, animaduertisset: eas turres vnà & murum, intrinsecùs aggeribus validis obuestiri curat, turriq́ di-

ui Thomæ, quam cuniculatìm ſuſpicabatur hoſtem euertere conſtituiſſe, tranſuerſis cuniculis, incredibili labore induſtriáque ſuccurrit, ac ex ipſa turri, hoſtium teſtudines, baſiliſci leonísque ictibus impetere iuſsit. Quæ res ſummum detrimentũ aduerſarijs intulit. Verũtamen ad quinq; dierum ſpatium, iaculatione hoſtium continua, telorúmque aſsiduitate concuſſa turris Thomęa, tandèm ſinditur, pinnæq; Iacobęæ fermè omnes mutilatæ. Neque id tamen ſine hoſtium exigua noxa. Nam qui turri D. Thomæ præerant, hoſtium duobus baſiliſcis deturbatis, tertiũ in partes frangunt. Nec id rursùs abſque noſtrorũ periculo factum, quum nullo intermiſſo tempore, in ipſam turrim tanta globorum copia deuoluerentur, vt ex ijs qui ſtuppam ignitam bombardis admouent, nemo præ metu id ad muneris ſe pręſtò exhibere auderet. Neque id mirum, quum tanta dexteritate hoſtes ineuitabilibus ictibus iacularentur, vt ſi quem noſtrorum ad bombardarum feneſtras intuerentur, ſubitò quinque ſex´ve globos rectà in illum conijcerent. Prætereà tormentum, quod in ſublime globos euomit, (mortarium vulgò dicitur) tantæ erat magnitudinis, vt glandes torqueret octonûm in ambitu palmorum. Hoc eregionè turris D. Ioannis, loco decliui collocauerunt. Huius impulſu & concuſsione tantus terror à noſtris conceptus eſt, vt quotiès globus deſupèr in arcem irruere inſpiceretur, de ſe quiſque actum eſſe, animo præſagiret. Is enim cuius induſtria negocium hoc tractabatur, eius artificij erat, vt nullum vnquàm iaculum fruſtrà emitteret, ſed omnia introrsùm in arcem reciderent. Quo artifice (vt ex captiuis poſteà ſcitum eſt) ictu bõbardico à noſtris interempto,

empto, hoſtes in demortui locum, alium ſuffi-
ciunt, de cuius opera idem ſperabant, ſed fruſtrà.
Nam quum arte careret, globi quos in noſtros
dirigebat, imperitia mittentis, in ipſorum caſtra
corruebant. Quo errore imperitiáque mitten-
tis, ex ſuis tribus occiſis, à mortarij iaculatio-
ne in totum ſuperſederunt. Præter hæc omnia,
hoſtes duas teſtudines nouo rursùs labore, eregi-
onè turris D. Ioannis, quæ cæteris anguſtior in-
firmiórque erat, excitauerunt, à qua ad Iacobæ-
am vſque, totius belli vires applicare conſtitue-
rant. Quibus ſingulis ſingulos baſiliſcos, ac alias
item machinas bellicas accommodant eo nume-
ro, quem neceſsitas ipſa requirere videbatur.
Itáque opere conſtructo, eodem die acriter vl-
trò citróque prælio dimicatum eſt. Inter pu-
gnandum, globus ex arce emiſſus, iuxta pedes
regis Mamudij, quendam eius cognatum occí-
dit. Quare territus rex, vndecimo ab aduẽtu ſuo
die, caſtra deſeruit, ad Madabam regiam ciuitatẽ
ſe conferens: indè militem & neceſſaria exercitui
expediturus. Ipſe autẽ ſiue timore, ſiue alia de cau
ſa, poſteà reuerti noluit. Diſcedens verò, Iuzarca-
no viro & potenti, & virtute ſumma, ſummáque
prudentia prædito, (cuius conſilio & ſolerti ope-
ra tum in re bellica, tũ in rebus alijs plurimis vte-
batur) regiam legionem attribuit, & belli vnà cũ
Sopharo negocium commiſit. Poſt regis diſceſ-
ſum, hoſtibus adhuc in continuo labore perſeue-
rantibus, globorum aſsiduitate, D. Thomæ Io-
annísque turres vnà cum meſopyrgio euertun-
tur. Cuius molis ruderibus foſſa oppletur. In eo
vallo (cuius antè meminimus) turris vndequaq;
cratibus vimineis circunſepta, intùs oppleta ſa-
xis & ceſpitibus, (nonnulli frondeas, alij corbi-

tas vallares appellāt)ab hostibus in sublime educitur. Hanc iuxta arcis fossam ea erigunt magnitudine & altitudine, vt liberè, quid intùs ageretur, conspicerent. Quamobrèm nullibì nostris tutò consistere aut versari licebat. Cui detrimento Mascaregnas vt succurreret, tum quòd ob fossæ profunditatē cuniculis obrepere, suffodereq́ eam non poterat, tum etiam quòd saxa rupesq́, in quibus illa arcis pars extructa est, impediebāt: introrsùm(vt locus patiebatur)turriculā ad eam altitudinem ædificat, qua hostium turrim nostri manualium bombardarum globis commodè impetebant. Indè vtranq́ turrim nostri qua poterant virtute defendebant. Huic turriculæ Antonium Pezannam curatorem esse voluit, qui sua annona, suoq́ sumptu, quadraginta milites sibi ad eam custodiam attributos, alebat. Stationem autem, quam anteà asseruabat, Ioanni Verzeano commisit. Eo tempore non pauci desiderati, & permulti in arce vulnerati fuêre. At hostes, quū se interdiù non satìs vtiliter manus operi admoliri viderent, noctù quicquid poterant, exstruebāt. Quem eorum successum Mascaregnas, cādelabro ad id ingenti accenso, impediebat, cuius splēdore omnes qui vel vallum aggrediebātur, vel materiam portabant, conspicui facti, ictibus bombardarum patebant. Intereà loci tumulus ingens, terra, cespite, lapideq́ cōstipatus, in templi atrio excitatur, cui basiliscum, tutelæ alioquì portûs destinatum, superimponunt: cuius iaculatione turris cratea intantùm quassabatur, vt nemo hostium ad eam accedere ampliùs auderet: veruntamen quum ipsorū numerus indiès augeretur, vicit multorū ac integrorū semper recens labor, paucorū & ex cōtinuo opere exhaustorū exiguitatem,

tatem. Itáque vallo ad ipſam arcis foſſam, quo per gyrum ab vtroque cornu cingebatur, abſoluto, cuniculis inſtàr muſculorum, quos palmarum trũcis frondibusq́ꝫ argilla permixtis deſupèr contegebant, nè à flamma vrerẽtur, ad foſſæ crepidinem perueniunt. Cui operi per ſexaginta dies ſummo ſtudio & labore hoſtes incubuêre. Eóque vigeſima Iunij finito pro voto, cuniculatìm ad foſſam pertingebant. Indè ex aſſeribus appẽſis canales deriuant, quos nè noſtri bombardis ſaxísve diſsiparent, tignis duplicatis corijsq́ꝫ contextis integunt. Qua contignatione inoffensè die noctúque rudera, lapides, & omnis ſoluta materies in mediam foſſam, turribus Diuorum Thomæ & Ioãnis interiectam, defluebat: idq́ꝫ ea arte, vtì noſtri præter effluentem materiã, neminem ibì cõſpicere poſſent. Quin neq́ꝫ ij qui foſſam ipſam opplebant, quenquã infernè ſupernève videre poterant. Intermedijs iſtis temporibus, noctù aſsiduè ex ſtationibus hoſtiũ atroces iniuriæ verborum noſtros prouocabant, ignauiam illis obijcientes: Quur, ſi ſtrenui forteſq́ꝫ milites ſint, cõcluſi tanq̃ pecora inter munitionum ſepta teneantur, idq́ꝫ ad imperiũ imbellis ignauiq́ꝫ ducis? Nam Antonium Silueriam, ſi eiuſmodi militibus, tamq́ꝫ rei militaris ex tam longa aſſuetudine bellorum peritis, præfuiſſet, nunq̃ paſſurũ fuiſſe, quin aperto & libero Marte, ſingulis contra ſingulos dimicantibus, ſuam quenq́ꝫ virtutẽ oſtendere permiſiſſet. Contrà, ſub hoc duce, ſuperiore arcis oppugnatione nullum egregium ſpecimẽ à quoquam ipſorũ præbitum eſſe: concluſos tantùm murorũ obicibus, quicquid egerint, ex inſidijs dolosè, non vera virtute, egiſſe. Quouſq́ꝫ tandèm imbellem hunc ducem paterẽtur? Quas ver-

borum iniurias Maſcaregnas prudenter diſsimulantérque ferebat, ſuorũ militũ raritatẽ, & quorsùm hoſtes tenderẽt, facilè cognoſcens. At tamen nè prorsùs reſponſo carerent, in eam partem, qua voces audiebantur, miſsilia omnis generis quocunque euentu dirigi iubebat. Erat in imo arcis veſtigio poſticum ſecretum, iuſſu Diodocij Lupi Soſæ iampridèm conſtructum, ex quo ad foſſam latentes aditus aperiebãtur, idq́ ſub ruderibus tanq̃ inutile, obrutum obtectúmque iacebat. Hoc nõ ſegniter Maſcaregnas purgari & refodi imperat, foribus poſtibusq́ robuſtiſsimis communiens. Indè materiam collapſam, quo poterat ſilentio, furtìm ſubripiebat: atq; ità hoſtium per totas noctes continuum laborem, ſola diurna opera fruſtrabatur. Qui cùm in foſſam reſpicere nec poſſent, nec auderent, bolide per canalem demiſſa, cumulum explorabant, cuius eminentior pars fermè iam ad canalis ora peruenerat. Hoc cumuli faſtigium, ſumma diligentia, nè corrueret, Maſcaregnas prouidebat, nè furtum ſuum palàm fieret, vtì hoſtes eo labore impediti, nullas alias rationes oppugnandi tentarent. Tantùm aſtu conatus ipſorũ eludens, rudera ex tumuli baſe ſuffurabatur. Quæ quum multorum ſtudio & labore agerentur, aſsiduitate abſportandi fodiendiq́;, fieri non potuit, quin ipſius cumuli faſtigiũ ſensìm collaberetur. Ob id factum, quum ab hoſtibus bolis poſteà demiſſa eſſet, & funis quo appendebatur, latiùs ſolito ſeſe diſtenderet: animaduerterunt ſe tandèm miſerè fruſtrari. Qua re attoniti, cumulum oculis (omni periculo poſthabito) contemplari conſtituunt. Ibì noſtros in ipſa foſſa occupatos vident, viſosq́; protinùs telis deſupèr inceſſunt. Vbì inter alios Antonius Fræriꝰ le-

legatus, iaculis confossus, occubuit. Acerrimè igitur vtrinq; donèc nox superueniens conflictũ dirimeret, ad fossam dimicatum est. Senescente sub tenebras pugna, secundùm posticũ Mascaregnas lapideum musculum vsque ad rudera per noctem producit, quem trabibus asseribusq; desupèr impositis, terraq; accumulatis, ea ratione firmauit, vt tutò reliquam in fossa materiam indè aueherent. Itáque vnius noctis instanti opera, laboréque cõtinuo, munitione illa absoluta, quũ manè ab hostium excubitoribus cerneretur, rei nouitate turbati, ad Sopharum concurrũt, remq; ei omnẽ aperiũt. Ille stupefactus, nostrorúmque pertinacia solertiaq; admirabiliter attonitus, se cum omni celeritate ad stationes proripit. Ibiq;, vt rem oculis contẽplaretur, capite (vt posteà cõpertum est) super manum dexteram reclinato, extra murum gutture tenus emicuit. Stupefactus deindè, & desperatione æger, suíque immemor, dum lõgiùs q̃ sibi expediebat, deliberabũdus subsistit, bombardæ globus fortè fortuna ex arce demissus, ipsius manum integram vnà cum sincipite raptim abstulit, ipse verò subitò ex vallo mortuus cóncidit. Cuius mors, vti suis funebris & calamitosa, sic nostris perq̃ optabilis fuit. Erat enim Sopharus (vt si quis alius) prudens, sagax, cautus, vafer, rerum gerendarum peritissimus, militaribus verò stratagematîs nemini suo tempore cedens. His naturæ dotibus, infestissimum in nos odium coniunxerat, viresque suas quotidiè augebat, quum eum intelligerẽt vero animo, deserta religione Christiana, ad Mahumetũ defecisse. Nec dubiũ, quin si diuturnior ei vita contigisset, nobis victoriam difficiliorem impeditiorémque fecisset.

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAIÇO II. COMMENTARIVS SECVNDVS.



Oio Sopharo interfecto, aliquot diebus lãguidiùs hoſtes in opere verſabantur. Variæ enim ſententiæ militem diſtinebant. Nam pars caſtra mouẽda ſentiebat, nec temerè ampliùs bello pernicioſo incumbendum eſſe iudicabat. Alij verò de ducis electione hæſitabant, nec Rumecano Sophari filio parendũ arbitrabantur: Cæteri regis voluntatem ſuffragiumq́ expectandum cenſebant, vt quẽ ipſe vellet, ducem conſtituerent. In quam ſententiã tandèm eſt itum. Itaq; protinùs ad regem hac de re nuncij dimittuntur, eóque iubente, Rumecanus præpoſitus exercitui, & belli imperator pronunciatur. Qui celeriter, ſummaq́ diligẽtia & continenti labore, quinq; ſubterraneos muſculos fodit, quos in eam partem, ex qua noſtri per poſticum (vt demonſtratum eſt) de foſſa rudera furabantur, nouo fabricandi ordine ac ratione dirigebat. Sed quum per vim tormentorum, opus à noſtris impediretur, eximijs palmarum truncis ad ruinas illius turris (quam crateam vocauimus) duas ligneas turres tænijs intertextas cũ tabulatis extruxit, quibus teſtudines binas appoſuit, & ſub teſtudinibus ſingulis ſingulos baſiliſcos collocauit, quorũ iaculis deturbatis noſtris, hoſtes ex aduerſo poſtici ad labra marginesq́ foſſę penetrârũt. Eò quũ ventũ eſſet, ſuper muſculũ, per quem no-

noſtri materiam in foſſam deiectã ſubripere conſueuerant, tantã lapidũ ſaxorumq́ vim prouoluunt, vt penitùs muſculi cõpages diſſolueretur. Quo labente, territi noſtri, ſaucijq́ nonnulli, pedem referre coacti ſunt. Hoſtes indè liberiùs, foſſa ſuperata, omnem ruderum lapidumq́ colluuiem in eam proijciebant. Itáque negocio multorum, laboreq́ aſsiduo, ſemper manu maiore ad opus confluente, poſticum omninò obrutum ſepelitur. Quo obſtructo, quum noſtris ampliùs vſui non eſſet, maiore hoſtes vſi libertate, foſſam rudere adimplebãt. Eo ipſo tempore, quum permulti ex noſtris, vulneribus ægritudinibusq́ affligerentur, & non pauci morte confecti eſſent, Maſcaregnę aliam celocem expedire neceſſarium viſum fuit, cui Ioannem Cęlium arcis ſacerdotẽ præfecit, eiq́ literas ad Proregẽ & Præfectos pręſidiorum Bazaini Chaulijq́ dedit, quibus ſubſidiarias copias omni celeritate mittendas eſſe indicabat. Alioquì, ſi feſtinationem adhibere deſiſterent, noſtro Indico imperio ſummum periculum imminere. Hoſtium enim numerum indiès augeſcere. Eodem ipſo tempore, quo nauis illa cum nuncijs euecta eſt, quatuor millia ſelectorũ regis Cambaiæ militum in caſtra venêre. Quorũ aduentu lęta feſtiuaq́ ibì omnia, & hominũ tympanorumq́ ſtrepitu vndiquè perſonare, copiasq́ illas (quaſi recenſerent) ſub oculis noſtris in acie diſponere, ac tandèm agmine compoſito circùm munitiones immani clamore ac barbaro, quasì ſi victoriam in manibus certam haberent, ad arcem contẽdere. Sed ictibus tormentorum peſsimè accepti, impetum temerarium repreſſerunt. Intereà dum iſta fiunt, ab incepto opere nihil remiſſum eſt, ſed continuo labore illam foſſæ par-

tem, quæ ad turrim D. Ioannis pertingit, (quã diximus Aegidio Cotinio commissam esse) lapide, rudere, omniq; materia complere, atq; iuxta Thomæã turrim málos eius altitudinis erigere, vt cacumina eorũ nostras munitiones excederẽt, ijsq; mális asseres scãdulásq; loco scalarum ex aduerso clauis affigebãt, atq; itá sursùm asscendere cõniti. Nostri verò ignibus & acri pugna illis occúrrere. At hostes cõtrà, harpagonibus materiã valli nostri diripere, magnoq; periculi contemptu scalas cõplere. Contra istã hostilẽ pertinaciã, nostri aliã rationẽ defensionis instituũt. Fasces ligneos caudicales ferro cõnexos, catenisq; colligatos, commixta interiùs pice, resinaq;, aliaq; omni materia, quę ignẽ facilè corripit, & diutiùs alit, alios super alios supernè inijciebant, ijsq; ignibus permultos ex hostibus combussêre. Quod tametsi sæpiùs hostes fieri viderẽt, æquè tamen in labore persistentes, pro nihilo nostrorũ conatus facere: reiectoq; timore, suos qui ibì aut icti, aut deusti cadebant, de fossa deducere: alios protinùs in demortuorũ locũ sufficere. Et quoniã opus multorũ subsidiũ requirebat, oppidanos mulierésq; etiã ad id negociũ cógere, materiãq; ad fossam cõportare. Quo operarũ cõtinenti labore, (nam numerus quadraginta millia excedebat) tumulũ ex terra palis ligonibusq; eo studio inuehunt, vt quanq̃ ex arce persæpè globis hastisq; impeterẽtur, tamẽ istiusmodi cladibus ab incepto deterreri nequiuerint. Itáque post id tẽporis per supremã musculorũ partẽ ligneas testudines duplicibus elephantorũ corijs conglutinatas promouent, super quas (quum jam ex materia, quã hostes accumulauerãt, protectæ essent) per tumulũ, quẽ demõstrauimus palis deportatũ esse, aliæ meant testudines, quibus defensi,

defensi, ex fossę labro in murum concurrere satìs cõmodè valebant. Cui insupèr operi à lateribus duos hincindè fortissimos pluteos instàr parietũ obijciũt, quorũ munitione iacula ac cætera missilia turriũ Diuorũ Ioãnis Thomæq; cohibebantur. Quo tẽpore tam assiduè ex hostiũ munitionibus iaculatũ est, vt nostri tum ob incredibiles labores, tum propter immensas vigilias, resistere nulla ampliùs ratione possent. Sed anteà q̃ hi plutei excitarentur, Mascaregnas suspicione permotus, hostes cuniculatim velle ambas has turres subuértere, transuersis cuniculis periculũ rei anteuertit. Hostes deniquè quũ propinqui sub mœnibus agerent, ad propugnaculũ D. Ioannis, specum inter durissimas rupes malleis excídũt, per quem deni pariter viri non incommodè ingredi valebant. Priori Commentario diximus, Mascaregnam inter duas prædictas turres interiùs aliã subsidiariam cõstruxisse, ex qua quadraginta milites telis spiculisq; commodè ambabus succurrere possent, atq; huius custodiã Antonio Pezannæ tradidisse, & ea quę illi priùs commissa fuerãt, Ioanni Verzeano concredita esse. Nam is suis militibus, quos adhuc integros fermè omnes habebat, & turri illi, & minori mesopyrgio subuenire poterat. His ergò ità in suis stationibus manere iussis, Antonium Rodericum quæstorem Ferdinando Castrio, qui infirmiorem arcis partem tutandam susceperat, socium adiunxit, vt simul vigilias & hostium impetum alacriùs sufferrent. Hostes verò nouo astu, & muro (vt diximus) dirupto, arcem segniùs solito infestabant. Senescente igitur in ea parte hostili contentione, noctù Simonem Phæum hactenùs in vinculis habitum, ad munitiones nostras producũt, qui alta

voce

voce Rumecani nomine, rerum ſtatum, & quàm proximi cladi eſsét, declararet. Quapropter ſi dédere ſe vellent, & arcem ſine ſanguine inoffensè tradere, Rumecanum omnibus liberum exitum commeatumq; permiſſurum: Naues etiam (ſi nobis eius rei penuria eſſet) bona fide daturum: Sin ſecùs animati eſſent, eſſe in proximo omnium interitum: eligerent, vtram partem mallét. Quòd ſi belli potiùs, quàm pacis, fortunã approbarent, ſe ſequenti die arcem, omnibus collatis copijs, inuaſurum. At Maſcaregnas (his auditis, eum ſtatim diſcedere iubet, & in comites deductoresq;, ſi pedem referre nollét, omnes bombardas ſeſe exoneraturum minatur. Diceret igitur Rumeçano, ipſius aduentum aſſultumq; quocunq; in tempore optatum expectatumq; fore. Hoc ſermone habito, omnia hoſtes tormentorum globis cõplere: quorũ improuiſis ictibus, duo de noſtris (qui, vt Simonem Phæum rectiùs audirét, murum aſſcenderant) interempti ſunt. Itáque hoſtes nullo tempore remiſſa contentione, decimanona Iulij ſub occaſum ſolis, arcis muros, quos penitùs ſuffoderant, denuò impetunt, idq; tanta animi præſentia & obſtinatiõe, vt noſtros de ſalute ſua propemodùm in deſperationem adduxerint. Sed ope & opera Ferdinandi Caſtrij, illi qui murum conſcenderãt, erant auté numero triginta, omnes viri nobiles, vt ex habitu apparuit, interfecti ſunt. Quod videntes hi qui iſtos ſequebantur, morte ruinaq; ſuorum conſternati, ab oppugnatione refugiunt. Qui tametſi ſæpè à mœnibus reiecti eſſent, magnis acceptis calamitatibus, nihilò tamen minùs tempus, quod oppugnationi idoneum exiſtimarent, remittebant, ſed cõtinuo labore opus illud (quo cõfecto, arcem omnium ſimul impetu

aggredi

aggredi propoſuerant)abſoluebant. Eo itaq; pro ipſorum arbitratu finito, foſſaq; ſic ad votum exæquata, adeò vt nullo negocio ex munitionibus in muros rectà pergere liceret, per omnia oppidi phana noctù ſacra faciunt, ſeq; ſuamq; vitã Mahumeto ad omnia pericula deuouent, deierantq; ſe, niſi capta arce, redituros non eſſe. In his ſacrificijs, vtì ex voto litarent, per ſummam religionem copiosè luminaria per vicos omnes & compita incenderunt. Quo ignium ſplendore Ferdinandus Caruallus turris illius Pręfectus, quam in fluuij alueo habemus, quũ homines cateruatim ad templa concurſare animaduertiſſet, rei nouitate permotus, ad Maſcaregnam eodem momẽto ſcapha clãculùm traiecit. Qui, re cognita, omnes admonet, præſentiq; vt ſint animo, adhortatur. Vigilias diſtribuit, eosq; tota nocte in armis eſſe iubet. Ea nox D. Iacobi vigilijs ſacra erat. Sequẽti igitur die, quæ fauſta ac benè ominata hominibus Hiſpanis erat, propter Hiſpaniarum patronũ D. Iacobum Apoſtolum, duabus horis ante luciferi exortum mœnia inuaduntur, impetusq; ab hoſtibus in arcem fit, quapropter protinùs ſigno dato, ad muros concurritur, D. Iacobum per ſummam alacritatem multa acclamatione celebrãtes. Ibiq; maximo armorũ ſtrepitu & acri pugna dimicatio incẽditur, in qua Ludouicus Soſa iuuenis ſtrenuus, Thomææ turris Præfectus, aliquot de ſuis militibus impigrè pugnantes amiſit: nam illũ locum omnibus rationibus expugnare decreuerãt aduerſarij. Sed iuuenis tum maiorum ſuorũ exemplis, tum generoſa ſuamet indole erectus, locũ inter ſumma pericula cædesq; promiſcuas, magna animi præſentia, vitæ ſanguinisq; contemptu defendit. Intereà loci, quũ Maſcaregnã, vt omnibus

bus locis succurreret, rei necessitas huc illuc versaret, vigiles qui ad maritimum arcis latus excubabant, quum loco ob scopulorum asperitatem minùs timerent, relicta custodia (vt dimicantibus interessent) ad prælij locum sese conferunt. Quo tẽpore, siue casu, siue quòd solitudinem animaduerterant, quum æstûs defluuium, mareq; decrescens hostibus commodè inseruiret, qui vbiquè locorũ excubabant, Iuzarcani milites selectiores numero sexaginta, in scòpulis tacitè positis scalis, rupem conscendunt, ijsdemq; sursùm in murum translatis, omni silentio prosiliunt. Quos quum duo milites qui per arcem cõcursabant, splendore ignis conspicerent, protinùs ad Mascaregnam procurrunt, quem vnico puero signum anteferente comitatum reperiunt, eiq; alta trepidáq; voce arcem ad litoralem partem ab hostibus occupari vociferantur. Quibus silentio imposito, nè re cognita qui prælio aderant, animo deijcerentur, ad eum locum quem hostes occupârant, sese proripuit: ex ijsq; qui nuncium attulerant, alterum socium assumpsit, alteri imperat, vt omnes quos in arcis plateis inueniret, ad se remitteret. Itáque quum ad occupatum locum ventum esset, hostes ad sexaginta intra mœnia depræhendit. Quos vix discernere licuisset, nisì globi & amphoræ ignitæ, quæ vltrò citróq; ad aliud arcis latus iaciebantur, splendorem aliquem præbuissent. Iam eorum fermè viginti supra domorum tecta conscenderant, ibíque duobus militaribus signis erectis asſidebant. Cæteri verò domos ingressi, quicquid obuiũ erat, diripiebãt, cúmque mulierculis animo consternatis (quasi iam rerum potiti) minaciter colloquentes, pecunias exigebant. Quarum nonnullæ virilem animum ex necessi-

necesſitate induentes, correptis in manus haſtis, iam nõ muliebriter eos extra tecta pellere cõtendebant. Maſcaregnas autẽ nõnullis militibus iam ſtipatus, in hoſtes impreſsionem facere, omnésq; qui tecta cõſcenderant, humì detrudere: Illi contrà, coacta manu, acriter pugnare: tandèm plurimis interfectis, vno viuo capto, de mœnibus ſeſe præcipites dare, ſed ſcopulis acutis, præruptísq; ſaxorum inter cadendũ excepti, omnes miſerè dilaceratis membris interiêre. Hac re ante diei crepuſculũ geſta, ꝓtinùs ſe Maſcaregnas ad ſtationes cõtulit, inibíq; quũ iam ad noſtros victoria inclinaret, ſed præ laſsitudine languidiùs aliquanto agerent, nouos illis ſpiritus ſua oratione iniecit. Quarè prælio redintegrato, pugna denuò recrudeſcere cœpit. Tãdèm hoſtes, remiſsiùs ſolito reſiſtentes, receptui canunt. Sed quũ luceſcente die ſuorum cladem oculis diſcernerẽt, quorum permulta cadauera, trũcata & miſerè lacerata, in foſſa iacebant: dolore & ira perciti, tanquàm veſani furentésq;, denuò in noſtros inuolant, eodemq; quo cœperant impetu, ad quartã diei horã dimicatũ fuit. Sed tandèm noſtri ad plenum victores euaſerunt, quanq̃ non ſine multo ſuorum ſanguine. Nec ſolùm viris ea victoria, verùm etiam muliebri audaciꝗ attributa fuit: Nã inter eas matronas, quæ militibus ad ſtationes (oppugnatione durante) neceſſaria apportabant, non paucæ inuentꝗ ſunt, quæ ſagittis alijsq; miſsilibus læſæ, tragulas & ſpicula propria manu euellerent, ac vulneribus obligatis, cruentæ etiamnùm, ad eadem munia quaſi integræ intactæq; recurrerent. Hoc certamine circiter mille hoſtium, præter vulneratos, cecidiſſe conſtat. Inter quos etiam occubuit Iuzarcanus dux. In cuius locum fratrem
eius

eius natu minorem, Mamudius gratitudinis & liberalitatis ergô, suffecit, eiusdemq́; dignitatis nomen ac titulum attribuit, vt Iuzarcanus vocaretur, Marchionem ipsorum linguâ significãte hoc vocabulo: omnem insupèr fratris ditionẽ ei concessit. Ex nostris aũt saucij quàm plurimi fuêre, desiderati septem tantùm, quos Mascaregnas tubarum clangore, sonituq́; tympanorum, necnon hominum cantu, festa solennitate potiùs quàm lugubri mœstitie in templũ deportari sepeliriq́; curauit: partìm, quòd de religione Christiana ità meruerant, vt mors illorum in conspectu Domini preciosa, epinicia & martyrũ hymnos potiùs quàm lugubres exequias & tristes nænias requirere videretur: partìm, vt militum animos erigeret ista in tam arctis rebus alacritate, & in mortuos gratitudine. Simul vt intelligeret hostis, rem sibi cum hominibus esse, qui non modò suorum mortibus animo non conciderent, verùm etiam mortem huiuscemodi, charam optatamq́; haberent. Secunda ab hoc prælio die, pomeridiano tẽpore, hostes iterùm ab illa ipsa parte, quam anteà oppugnauerant, arcem inuadunt: sed alacriter obsistentibus Ferdinãdo Castrio & Ludouico Sosa, non absque nostrorum tamen iactura & sanguine, repulsi fuêre: qui etiam supra trecentos de suis, quum de loco recederent, vulneribus confossos, mortuosq́; reliquerunt. In istis angustijs quũ nostri de subsidij mora admodùm quererẽtur, quarto Calendas Augusti, celox quâ Mascaregnas Cælium sacerdotem Bazainũ & Chaulium suppetias petitũ emiserat, arcis æstuaria penetrauit, atq; per nouem strenuos milites qui in ea venerant, intellectum est, literas quas ad Proregem scripserat Mascaregnas, omni sedulitate per

per certum nunciũ Goam eſſe tranſmiſſas. Huius celocis aduentu, quum hoſtes id quod erat ſuſpicarentur, nimirùm, ſubſidiũ breuì expectari: celeritate vtendum eſſe, ante aduentum nouarũ copiarum, iudicârunt. Quarè ſequẽti die circa meridiem, quum noſtri à continuis laboribus interquieſcerent, & qui in excubijs erant, minùs cautè ſtationibus inuigilarent, hoſtes de improuiſo in arcem incurſionem faciunt, mœniaq; tanta celeritate ac promptitudine conſcendunt, vt noſtri, ferè perterritis omnibus, finem totius belli adeſſe exiſtimarent. Sed Franciſcus Almeida, cui excubias agẽdi cura ad Thomæam turrim obuenerat, non ampliùs quàm vigintiquinq; militibus ſuccinctus, impetũ hoſtiũ viriliter admodùm ſuſtinuit. Tandèm noſtris accurrentibus, tam atrociter tribus aut eo plùs horis pugnatũ fuit, vt nunquàm anteà atrociùs. Tandèm ſupra octingentos ex hoſtibus iugulatis, receptui, Rumecanus dux ſummi in eo exercitu imperij, canere iubet, atq; inſigni hac accepta clade, in caſtra ſe recepit. De noſtris verò aliquot interfecti ſunt, vulnerati & igne ambuſti non pauci. Hoc tempore omni victûs genere noſtri anguſtè admodùm vtebantur, præſertìm carnium, quarum tanta erat inopia, vt gallina vna in ægrotantium dietam, decem aureis ducatis venundaretur. Eodem ipſo tempore, Mamudius certior factus, quàm ſiniſtrã ſui in omnibus oppugnationibus fortunã habuerant: Moiatecanum, qui à ſe primum dignitatis locum in regno Cambaico obtinebat, cum quatuordecim millibus ſelectorum militum Dium mittit. Poſt cuius aduentum, hoſtes conſilio inter ſe habito, cuniculis omni materia incendiaria repletis, arcẽ funditùs euertere ſtatuerunt. Sed ſumma & vis

consilij in hoc erat, nè nostri, quid ab ipsis ageretur, persentiscerent. Ergò in Thomæā turrim, & in alterā D. Ioannis, quæ vltra veterē fossam producta, hostiū munitionibus erat vicinior, cuniculos agere cœperūt. Et vt nostros res ea lateret, hoc astu & strategemate sunt vsi: latomorū multitudinē sub testudinibus, ad frontē eius ꝓpugnaculi agūt, vt fundamēta murorū cōtinuò indefatigabiliꝗ; labore excauarent, strepituꝗ; maximo agerent, malleorumꝗ; fragorem, stridoremꝗ; ferramentorū summum ederēt, nimirùm vt nostrum militē ista fallaci specie circūuenirent. Existimabant enim, nostros, quum eam rem tantis studijs agi viderēt, eò omnes cōcursuros, animósque ab dissimulata oppugnatione verísque periculis ad inanem ostentationē discriminis auersuros esse. Nec eos sua fefellit ratio. Nostri enim, hostilis cōsilij ignari, eos qui turrim à fronte malleis acutis proscindebant, qua poterant vi proturbabāt: sed quum ea defensio, summa pertinacia & clamore vndiquè ageretur, factum est, vt per summū strepitum obtuso auditu, quæ infernè agebantur, nec audire, nec percipere nostris licuerit. Itaꝗ; quum pro voto ab hostibus cuniculi acti essent, decima Augusti, qua die D. Laurentij martyriū Christi ecclesia celebrare consueuit, hostes tubarū clangore tympanorúmque vehemēti sonitu sese mutuò adhortantes, agmine composito, signis militaribus præcedentibus, in arcis mœnia prorumpunt, ac vehemētiùs solito, globos amphorásꝗ; igneas intrò proijciunt. Nostri verò ad oppugnatum locum protinùs concurrunt. Ibì quum tandiù pugnatum esset, quoàd animaduerterent hostes, penè potiorem militum partem ad mœnia conuenisse, simulato timore, receptui canūt,

ac de fossa & mœnibus in castra se recipiunt. Qua festinata fuga, vt insueta, & si malleorum anteà facta de industria concusio, fragórque ferramentorum ostendisset, potiùs hostes viam latiorem in arcem aperire velle, discussis mœnibus, quàm cuniculis denuò aditus tentare, quum id pauloantè ad Thomæam turrim infeliciter tentauerant, vbì cuniculi eorum transuersis cuniculis excepti subrutíque à nostris erant: Mascaregnas tamen suspicione adductus, Lusitanis qui super Thomææ turris testudinem consistebant, (ad cuius radicem ipse dux defatigatus adsidebat) imperat, vt nulla vsi mora, indè vniuersi abscedant, ac expedito nuncio eos qui supra muros turris Diui Ioannis agebant, monet, vtì protinùs se de loco amoueant, suspicari se, nouos cuniculos esse instructos, quibus ignem inijcere confestìm hostibus propositum sit. Qui dicto non audientes, sed prudentissimi ducis spreta monitione, conclamant plus sibi animi, maiorem rei militaris experientiam esse, quàm illi, qui per summum timorē eos ad discessum hortaretur. Itáque quum detestabilis temeritas eos cunctabundos exitiabili mora implicaret, hostes ignem in eo loco vbì cratea turris constructa fuerat, pulueri tormentario imponunt. Qui recto tramite, sicut dispositus erat, viam relegens ad cuniculos, quum fauces intimas penetrâsset, vbì omnis incendiaria materia recondebatur, vniuersam fabricæ molem vno momento disrupit, ac per summam vim, ipsam Diui Ioannis turrim integram ab ipsis fundamentis in altum proripuit, ac omnes quos ibì infausta fortuna retinuerat, in sublime elatos, tanquàm minutulos silices disiecit. Quo miser-

rimo euentu circiter ſeptuaginta ſtrenui milites interiêre, quorum pars in foſſam, pars in hoſtiū ſtationes, fermè omnes fracti dilaceratiq́ꝫ ceciderunt. Inſuper ij, quos infelix caſus in hoſtiū caſtra integro corpore traiecerat, quanquàm igne fœdati omninò, & exanimes vitæ incommodis ceſſiſſent, minutiſsimè tamē ab hoſtium gladijs haſtarumq́ꝫ mucronibus, tanquàm eam pœnam ſenſuri eſſent, diſſecti fuêre. Hoc horrēdo ſpectaculo, illud memoria dignū viſum eſt, illis quos pulueris & ignis vis in aërem expulerat, haſtas clypeosq́ꝫ nō anteà de manibus defluxiſſe, quàm deficiente, ac omninò euaneſcente anima, cadauera ipſa deorsùm præcipitata relaberētur. ex ijs porrò qui ſuper turrim in hac calamitate cōſtiterāt, viginti tantùm ignibus ambuſti, viui remanſerunt. Notos equites Luſitanos deſideratos eſſe conſtat, Ferdinādum Caſtrium Proregis filium, adoleſcentem ſumma ſpe, ſummaq́ꝫ indole præditum, Ioannem Almeidam, Ludouicum Mellū, Diodocum Soto maiorem, Antonium Rodericū quæſtorem, Aegidium Cotinium, Diodocū Reinoſum Soto maiorem, Aluarum Ferrariam, Rodericum Soſam, Laurentium Fariam, Ioannem Brandanum, Georgium Almeidam, Triſtanū Soſam, Franciſcum Lupium, Gratianumq́ꝫ Ferracium. At Maſcaregnas (qui, vt demōſtratum eſt, iuxta Thomææ turris radices aſsidebat, quū incendium, ruinam, & occaſum turris D. Ioannis momento temporis conſpexiſſet, ſumma celeritate, quindecim militibus comitatus, eò ſe proripuit. Quò quum ventum eſſet, ne veſtigium quidē veteris illius formæ deprȩhendere potuit. Nihil ibì in oculis, nihil ſub conſpectu, nisì parietū rudera lapidesq́ꝫ permixtìm puluere membrisq́ꝫ mutilatis,

latis, ac ſanguine humano tincti. Inter quæ promiſcuè nonnulla corpora adhuc exhalantia, & cum morte conflictantia, non abſque mœrore & horrore intuentium conſpiciebantur. Quæ dum ſubitò indè eximere noſtri ſatagunt, vt pro ritu Chriſtiano ſepelirentur, derepētè hoſtes per eundem ipſum labefactatum locum, impreſsionē faciunt. De quo tam vehementer vtrinquè cominùs pugnatum eſt, vt ſola nox prælium diremerit. Qua nocte, etſi plures de noſtris iam occubuerant, permulti ſaucij, omnibus verò & defatigatis, & de accepto infortunio mœrentibus: Maſcaregnas tamen, virorum mulierumq́ꝫ opera, murum ſubitarium ſexdecim palmorum craſsitudine, in veteris turris ruinis ex ſoluto lapide conſtruxit, quem abſolutum ante ſolis ortum, hoſtibus conſpiciendum non ſine magna admiratione obiecit. Illi contrà, alio erecto muro, Thomæam turrim deincèps cuniculis, quandò ea res benè ſucceſſerat, deijcere cōtendunt. Sed quum noſtri alijs obiectis cuniculis, illorū conatibus obuiàm ijſſent, re intellecta, in alterū turris latus ſe tranſtulêre, quò noſtri cuniculi pertingere non poterant, & ſuffoſſo turris frōtiſpicio, quatenùs à noſtris præpediri nequibant, ignem operi nondùm perfecto, appoſuerunt. Quo incendio quartā fermè turris partem euerterunt, ac protinùs in dirutum locum inuolātes, de ſuperioribus rudera ad ſe ferreis hamis attrahebant, quibus ſensìm defluentibus, anguſtior multò fiebat locus, quē noſtri ſupernè adhuc retinebant. Quod quū à Maſcaregna animaduerſum eſſet, bōbardas quæ ibì reliquæ erant, indè tolli iubet. Sed quum vix centum milites illæſos integróſque haberet, eosq́ꝫ in vnum aliquē locū aliundè euocare periculoſum

 eſſet,

eſſet, omnium ſtationibus hoſte imminente, eô factum eſt, vt baſiliſcum ac leonem quadraginta virorum diurno nocturnoq́ labore indè extrahere nunquàm valuerit. Hoc tempore tria mancipia ex arce profugerunt, hoſtibúſque indicium fecêre, quãta noſtrorum eſſet raritas, quantáque omnium frugum & annonæ penuria premerentur. Quorum perfugarũ ſermonibus, nouo concepto ſpiritu, Iacobæã turrim cuniculatìm, igne ad ſuppoſitam materiam adiecto, penitùs euertunt, quæ in pronum vergens, tota versùs hoſtium ſtationes ruinam traxit. Hoſtes igitur protinùs per ruinas ſe proripiunt, vbì, quanquàm noſtri egregiè reſiſterent, locum tamen euincunt: ac militaribus ſignis ibì erectis, arcis areã tranſſcendunt, templiq́ D. Iacobi partem mediam præoccupant, ibiq́ aliquot diebus ea ſorte cominùs dimicatum eſt, vt modò templum penès noſtros, modò penès hoſtes fuerit. Sed quum de ſingulari proprióq́ domicilio, ac de ipſis aris & focis ageretur: viribus omnibus adhibitis, noſtri in ſacrarij fornice, murum conſtruxerunt. Atque ità templo diuiſo, alij ab alijs interſepti, in ipſo templo quiſque pro ſuo ritu ſacra faciebat, religionemq́ numinũ colebat.

DAMIA

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO II. COMMENTARIVS TERTIVS.



Iteris Maſcaregnę, opera Hieronymi Meneſij præfecti præſidio Bazaini, Goam delatis, quibus arcis diſcrimen nũciabatur: Ioãnes Caſtrius Prorex, omni ſtudio quatuordecim minores longas naues expediri iuſsit. Cui claſsi Aluarum Caſtrium filiũ ſuũ pręfecit. Is diui Iacobi ſolenni die è portu ſoluit. Et quanquã hyemis vis illic eo tẽpore aſperiùs ſęuit, nihilominùs tamen ſecũdo vẽto Bazainum enauigauit. Quo in loco Franciſcũ Meneſiũ reperit, qui bis infeliciter iter auſpicatus, difficilioribusq; vſus tẽpeſtatibus, in portũ remeârat. Quod iter, collatis in vnũ claſsibus, quũ ſæpiùs tentatũ eſſet, nec pro voto ſucceſsit: iubet Aluarus Caſtrius, (quũ, in quo ſtatu res Diẽſes verſarentur, probè ſciret) vt claſſe diſſociata, nullo ſeruato ordine, ſeorsìm vnuſquiſq; Diũ, qua poſſet ratione, peteret. Itáq; ſeparatim illis nauigantibus, ventis plerunquè obſtantibus, primi omniũ vnica naue Antonius Monizius & Gratianus Rodericus Tabora, Dienſem portum ingrediuntur. A quibus, de propedièm affuturo ſubſidio magno, cũ gaudio factus certior Maſcaregnas, protinùs eandem ipſam nauim Aluaro Caſtrio obuiã remiſit, in qua paulopòſt ad portũ Ludouicus Mellus Mendoza applicuit, quem Eduardus Meneſius Pereira, Comitis Herienſis filius, iuuenis impiger ac ſtre-

nuus subsequutus est. Post quorum accessum, ad turrim D. Thomæ (cuius potior pars, vt demonstrauimus, corruerat) acriter bello dimicatũ est. Sed præualentes hostes, loco potiti sunt. Quamobrèm infensus Mascaregnas, per omnia discrimina insequenti die hostium vires ad eundẽ locũ tentare fortioriq́ manu inuadere proponit. Itaq́ selectis militibus, de improuiso impetum fecit. Deturbati igitur hostes, saucijq́ nonnulli, inter fugiendum clasſico suis signum dedêre. Quo audito, protinùs ex castris & ex oppido totus exercitus concurrit. Ac quanuìs pluuia & imbribus subitò ingruentibus, impedirentur: hastis tamẽ, gladijs, sagittisq́ dimicatũ est, propemodùm ad vesperam, quo tempore quum se nimbi remisissent, ad bombardas & igneam materiã itum est. Sic vtrobiquè clade copiosè illata & accepta, quũ septem fermè horis pugnatũ esset, nostri tandèm locum recuperant. Per id temporis, duæ celoces appulerunt, ducibus Ioanne Athaidio, & Frãcisco Guillermo. Hostes porrò post hãc repulsam, igne deincèps per sulcos cuniculares immisso, murũ, qui turri Antonij Pezannæ contiguus erat, funditùs euertunt. Contrà Mascaregnas omni ope resistens, in hostes cameli iacula effundit, alterúmque statìm firmiorem murum intrinsecùs excitauit, etiã ipse humeris lapides materiamq́ comportans. Id hostes animaduertentes, eregionè & ipsi alium extruũt, quo nostris ad se accessum inhibebant. Hoc die Rodericus Ferdinãdus Chauliensis municipij quæstor, cum viginti militibus naui minore longa portum tenuit, & indè alij atq́ alij duces singulis diebus aduentabant. Hostes intereà super illam turris partem quã occupabant, truncatìm parietes cõstruunt, ac indè asſiduè in
nostros

noſtros tela conijciebant. Dum in his anguſtijs adhuc Luſitanorum fortunæ verſarentur, vigeſimaoctaua Auguſti Aluarus Caſtrius & Franciſcus Meneſius, cum potiore claſsis manu portum ceperunt. Numerus nauium hactenùs appulſarũ, viginti quinque. Quæ quum minores pleræque eſſent, non plures quàm 400. milites aduexerũt. Reliquæ contrarijs ventis agitatæ, Bazainum coactæ ſunt repetere. Sed poſteà ſecundiores tempeſtates nactæ, menſe Septembri, ad Diẽſem portum, & iſtæ quoq; applicuêre. Poſt Aluari Caſtrij aduentum, quum hoſtes ex D. Thomæ turri rudera & collapſam materiam eximendi nullum finem facerẽt, leo ille bombardicus deorsùm cecidit, & baſiliſcus fune ſuſpẽſus in ruderum mole ſubſedit. Quarè milites qui poſtremò venerãt, tenui adhuc illarum rerum experientia, aut potiùs temeritate adacti, id non ferentes, imprudenter nouas res moliri incipiunt, iactantes vbì tanta murorum ſtrages extaret, tamq; patẽtes viæ ad arcem inuadendam capiendamq; hoſtibus præbitæ eſſent, certis rationibus duci ſeſe, vt crederent, hoſtium vim non in milite, ſed in bombardarum iaculationibus ſolummodò conſtitiſſe: ducisq; noſtri timore potiùs ꝙ prudentia effectũ, vt quum liceret hoſtẽ in ſuis caſtris vincere, ipſi vltrò hoſtium obſidione teneantur. Hiſce verbis, debacchantes, non pauca item alia iactitabãt, quæ imperita multitudo, furore agitata, euomere conſueuit. Qua factione reliquos, qui à primordio belli, mira obedientia eouſq; imperata fecerant, in ſuam ſententiam contaminatos pertraxerunt. Ad id, leonis & baſiliſci amiſsio, cumulum irarum adijciebat. Quamobrèm cõgregati, vnanimiter Maſcaregnam adoriuntur: ab eo incre-

 dibili

dibili tumultu ferocitatéque, erumpendi facultatem, caſtráque inuadendi copiam ſibi poſtulare: Nulla iam re obſidionem, q̄ ipſorum ignauia, perdurare: vile hoſtium vulgus, occiſis iam ducibus & ſelecta omni iuuentute, ad primam eruptionem profugiturum. His inconditis clamoribus quatenùs fieri potuit ſedatis, quanta maxima valuit ratione prudens imperator oſtendit, quanta clade ſibi cognita eſſet hoſtiū pertinacia & potentia, quam ſe pro militum raritate, nec vincere, nec ſuſtinere poſſe, ſatìs exploratum haberet. Quarè ad caſtra poteſtatem eundi nunq̄ ſe illis ſpontè ſua facturum, nec prætereà conſilium daturum, quod omnibus poſteà perniciosum foret: Orare, vt in tanto rerum diſcrimine, prudentiùs quàm audaciùs bellum tractarent. Aliâs per audaciam minùs peccaturos: nunc vel minimùm errorem, Indię imperio perniciosiſsimum fore. Nam quod rebātur, vile illic vulgus ac gregariū obſidiōi incubare, & multò minores q̄ pro fama, copias eſſe: in eo ipſos magnopere falli. Quin potiùs adeſſe ibì totius imperij Cābaici vires. Quòd ſi ſpreta militari diſciplina, iniuſſu imperatoris, eruptionem facere molirentur, ſe minimè gentium eos in tāta vecordia ſubſequuturū. Sin (quod melius rectiusq́ꝫ, & quod ipſis, vt fortibus & prudentibus viris potiſsimùm conueniat) ducis imperium cōſiliumq́ꝫ reſpicerēt: ſe inprimìs authorem eſſe, vt eouſqꝫ expectetur, donèc hoſtiū quempiam interciperent, à quo hoſtilis exercitûs magnitudinem vireſq́ꝫ cognoſcāt. Interìm verò alijs atqꝫ alijs, quas quotidiè expectabāt, nauibꝰ in portum appellētibus, fortiore poſtmodùm manu ſe hoſtes aggreſſuros. Quāobrèm iterùm atqꝫ iterū omnes oratos velle, vt ſuis monitis obtemperarent,

rent, quibus nihil, nisì quod rectũ ſanctumq́, ac omnibus ſalutare eſſet, præcipiebatur. Hac concione vtcunquè permotis pacatisq́ militibus, vt cum Aluaro Caſtrio & Franciſco Meneſio, de negocio conferret, ſe ad ſuas ædes contulit. Ea deliberatio quũ inter ipſos verſaretur, fortè hoſtes in baſiliſcũ, quẽ ſuſpenſum in parietinis relictũ fuiſſe demonſtrauimus, ancorariũ funem inijciunt, vt in ſublime attraherent. Tum verò milites quũ id animaduertiſſent, per occaſionẽ acceptę in oculis iniuriæ, ad Maſcaregnã concurrunt: Indignam rem, ſic ſe ab hoſtibus ludibrio haberi, quum coràm, in omniúmque oculis, talia auderent tentare. Itaq́ æſtuantes, diſſono clamore ædes complent, poteſtatémque caſtra aggrediẽdi, omni ferocitate pertinaciaq́ poſtulant. Inter quos quidã ſeditioſiùs, q̃ par erat: Patiemur´ne, inquit, ampliùs tali parère duci? Nónne honeſtiùs luteæ cuipiam obtemperabimus ſtatuæ, quàm huic ſocordi? Cui Maſcaregnas tam prudenter, quàm ironicè, Fortaſsè, inquit, ô miles, ſtatua lutea ob inertiam imbecillitatémque haberi debeo, ac propemodùm me talem agnoſco. Sed illud etiam ſcio, te in hoc temerario prælio, quod tantoperè inire cupis, omnium primum in arcem refugiturum. Nec vaticinium fefellit. Nam feroculus ille, primus omnium fugam cepit. Hoc tumultu Maſcaregnas commotus, & quòd neminẽ omnium in ſuam ſententiam deſcendere videret, ceſſit bacchantium furori, nè ſeditionem etiam intùs concitare videretur. Ire igitur ad arma iubet, centum militibus ad arcis præſidium relictis. Primã aciem Aluaro Caſtrio, alterã Franciſco Meneſio ducendã tradit. Ipſe (licèt inuitus) cũ reliquis copijs ſubſequut⁹ eſt. Igitur correptis ce-

leri-

leriter armis, & habita breui concione, peractisq́ sacris, erumpunt, aggeres transiliunt, indè superatis munitionibus, excubitoribusq́ de stationibus depulsis, in castra prouolant. Hostes verò, cognita eruptione, sublato clamore, signoq́ dato, in nostros protinùs inuehuntur: qui quum hostiũ vim sustinere non valerent, eádem quâ venerãt, retrò abeunt, summa & incondita trepidatione. Itaq́ insequentibus hostibus, centum circiter de nostris desiderati sunt, inter quos noti equites Lusitani, Franciscus Menesius, Franciscus Almeida, Lupus Sosa, Rodericus Ferdinandus Chauliensis municipij quæstor, Franciscus Guillermus, Nonius Pereira, Eduardus Menesius Pereira, Feriensis comitis filius. Qui omnes fortiter pugnando, oppetiuerunt. Is, quem dixi, Feriensis comitis filius, hostium impetum postremus ferens, saucius grauiter, nec loco tamen cedens, indolem suã, clarissimorumq́ natalium decus, egregiè ostendit, summumq́ virtutis suæ testimonium reportauit. Nam cæteris fugam ignominiosam exprobrans, eos omni ratione reuocare nitebatur, voce magna inclamãs: Subsistite commilitones, & pectus frontemq́ in hostem obuertite: neque tam probrosè fugiatis, qui paulò antè erumpendi facultatem per seditionem extorsistis. Testor vestram fugam, & istam Lusitanicæ gloriæ maculam, me aut hîc in vestigio moriturum, aut dilapsis omnibus, non nisì vltimum rediturũ. Quod & ipsum facto præstitit, nam dictorũ fidem, morte ibidèm fortisimè excepta, adimpleuit. Fugientium pars statìm in ipso certamine interijt, pars vulnerum vi posteà extincta est. His tantis malis circunuentus Mascaregnas, quatenùs tempus ferebat, dispersorum fugam reprimere conabatur,

vt vnà collecti, cedentiq́ acie, minore iactura sese in arcem reciperent. Sed quos timor agebat, virtus aggregare non poterat. Nam singuli suæ quisque saluti consulentes, nullo seruato ordine, fusi dispersíque ad stationes recurrebant. Aluarus verò Castrius maceriem in redeundo conscendere adnitens, à funditore in capite grauiter ictus, subitò retrorsùm in præceps abijt. Quod Mascaregnas animaduertens, protinùs cadenti succurrit, & ex hostium manibus ereptū, in arcem comportari curauit. Eo in loco, dum Aluaro Castrio subuenitur, iuxta Mascaregnam, bombardæ manualis iaculo Franciscus Almeida, cuius superiùs meminimus, traiectus occubuit. Itaq́ hisce acceptis damnis, in arcem redire Mascaregnas compellitur. Hæc Calendis Septembribus acciderūt. Porrò casus hic tantum terrorem nostris iniecit, vt deindè hostibus inuadentibus, quod singulis quibusque diebus fiebat, ad muros accedere formidarent. Quem istorum timorē vix ducis fortitudo animiq́ præsentia imminuere valuit. Hostes contrà, victoria hac elati, maiores spiritus concepêre. Quapropter acriori peruicacia arcem euertere connisi, turrim illam quæ superioribus temporibus sub Antonio Silueria, in Rhomæorū siue Thracum oppugnatione proscissa fuerat, rectis cuniculis deiecerunt, ac turrim etiam nouā, quæ supra decumanam veterem portam cōstructa erat. Potiorem quoquè muri partem demoliuntur. Ad hæc, muro, qui turribus Diuorū Ioannis Thomæq́ interfitus erat, superato: duas bōbardas supraponunt, quarum iaculationibus nostri intùs per arcis plateas versare prohibebantur. Prætereà basilisco ac leone ex Thomæa turri deductis, stationem in ipsius turris frōte cōstituunt,

atq; indè bõbarda ac duabus machinis adductis, domorũ tecta miris modis cõquassabant. Mascaregnas verò quum his difficultatibus premeretur, bombardis tormentísque bellicis ad necessaria loca dispositis, hostium violentiam, quatenùs fieri poterat, reprimere meditabatur. Quarè eregionè expugnatæ turris D.Thomæ, nouã turrim excitauit, ex qua & maior arcis pars protegebatur, & hostes ità cohibiti sunt, vt neq; extra murum caput efferre, neque in arcem iacula emittere, nisì cum summo periculo, vlteriùs possent. Intereà temporis super fluuium ad Rhomæorum oppidum vsque, pontẽ hostes deduxerunt, opus admirabile, cõtra aquarũ rapidissimos accessus & recessus, per quẽ ex insula in continentẽ plaustra vehibus impositis, ac totus exercitus ad necessaria deportanda inuehendáq; commeabant.

Dum hæc ad Dium agebantur, mense Septembri nuncius Goam ad Proregem defertur, de Ferdinandi Castrij sui filij morte, & clade illa, quę ad decimum Augusti ignis vi obtigerat, quam sub finem secundi Cõmentarij retùlimus. Quo nuncio etsi dolore cruciaretur, nè tamen militum animos segniores suo luctu redderet, ad Diensem expeditionem, subsidiáque ferenda: simulata animi alacritate, festiuis purpureísque vestibus indutus, ciuitatem lustrauit, omnibúsque palàm testatus est, se non tam grauiter ferre interitum filij, quàm magni facere, quòd honesta morte dignáque suis natalibus occubuisset: Verùm magno staturum hostibus fortissimi adolescentis funus, & oppugnatam Dium, inter minas iactitabat. Itáque protinùs Aluarum Cugnam cum celoce emittit, cui diplomate ad id dato, colligendi omnes nostras naues, quæ per littus Indicum

cum disperſæ vagabantur, poteſtatem fecit, imperátque, quotquot eo menſe aggregâſſet, ilicò Dium ſecum abduceret. Is itáque quinque celocibus cum mediocri hominum manu, ſub ipſius menſis finem, in portum Dienſem recipitur. A cuius aduentu, militum delectu habito, mille ducentorum copiam numerus excedebat. Per hunc ſcripſit Prorex ad Maſcaregnam, nè ante eius aduentum, quenquam extra arcis mœnia ampliùs cum hoſtibus confligere pateretur. Poſteà dimiſſo Goa Aluaro Cugna, per ſummam feſtinationẽ quadringenti milites, quinq; nauibus imponuntur, inter quos aliquot architecti & latomi fuêre. Ij variis vſi tempeſtatibus, Dienſia æſtuaria intra paucos dies tenuerunt. Bello itáque promiſcuis cladibus ſæuiẽte, noſtri aliquot hoſtium naues, quæ ex ſinu Arabico in Cambaiam enauigabant, interceperunt, quarum pars potiſsima mercibus nobiliſsimis onuſta erat. In ijſdem erat conſanguineus quidam Coij Sophari, quem Spharus ipſe dum viueret, Cairum (militis colligendi gratia) amandârat, & is nunc exercitum benè magnum, & ad rem bellicam egregiè inſtructum, ſecum ducebat. Sed acri nauali prælio ſuperatus, ferè omnes ſuos amiſit. Solus enim duntaxàt Sophari conſanguineus cum aliquot nobilibus, cæteris interfectis, viuus reſeruatus eſt. Verùm & ij quum in arcem deducti eſſent, iugulati ſunt, ac eorum capita ſecundo aquarum refluxu, in hoſtium caſtra ad oppidum præterlabi deflueréque ſinuntur, vt agniti à ſuis, luctum in caſtris ac deſperationem facerent. De noſtris permulti in hac nauali dimicatione vulnerati fuêre, mortui quoquè non pauci. At Prorex, qui Goæ reliquam claſſem inſtruebat, tem-

pus

pus idoneum nactus, cum septuaginta circiter nauibus è portu soluit, ac difficilimis tempestatibus vsus, Bazainum tenuit. Quo in loco vniuersam classem, quæ ventorum asperitate dispersa, simul appellere non potuit, expectare proposuit. Ibì autem commorans, nè tempus tereretur, Emanuelem Limicum cum minoribus aliquot longis nauibus ad Surraticum littus inuadendum misit. Qui strage hostium non vulgari, cum ingenti nauium præda, littoribusq́ populatis, Bazainum reuertitur. Reuerso Limico, Prorex, qui, quandiù classis in statione littoris ventis aduersis retēta fuit, nunquàm voluerat in terram descēdere, post sexdecim dies q̃ venerat Bazainū, ancoris sublatis, Dium versùs nauigauit, interq́ nauigandū, iterū Emanuelem ipsum Limicum ad sinum Cambaicum explorandum vexandumq́ præmisit. Qui aliquot hostium nauibus submersis, pagis attegijsq́ incensis, insupèr cæde non minima quaquauersùm edita, Brammaluci tamen benè de nostra amicitia meriti ditionibus intactis, ad Mortuorum insulam se Proregi coniunxit. Indè rebus omnibus ordine dispositis, velo dato, felicibus auspicijs septima Nouembris, vniuersa classe salua, cum mille sexcentis militibus Lusitanis, ad portum Diēsem applicuit, quo iam appulerat Laurentius Petreius Tabora, dux eius classis, quam Lusitania singulis quibusq́ annis in Indiam mittere consueuit. Is enim vbì Cochinū venit, & quæ ad Dium agebantur, resciuit, classe illic integra relicta, Proregis aduentum vno die anteuerterat. Cuius prouida diligentia, indubitatam nostri de futura victoria opinionem conceperunt. Prorex igitur arcis æstuaria ingressus, ancoris iactis, nauibuq́ per ordinem dispositis, Masca-

ſcaregnę per nuncium iniungit, vt quamprimùm ad ſe veniat. Qui poſteaq̃ aduenit, & de belli gerendi rationibus inter ipſos vltrò citróq; habitus ſermo fuerat, in arcem reuertitur. Poſtero verò die, in ea parte qua meſopyrgion illud maius mare reſpicit, binæ ſcalæ, iubente Maſcaregna, apponuntur, per quas noſtri ſeſe in arcẽ, æſtu recedẽte, cõmodè recipere poterant. Atq; etiam per omnes arcis turris, necnon in ea quæ in alueo fluuij poſita eſt, bombardæ nouo ordine diſponũtur. Cui negocio naues aliquot adhibentur, ex quibus omnibus die noctúq; omni contentione in hoſtiũ caſtra tela emittebantur. Qua iaculatione, ea ruina eſt facta, quæ poſteà magno vſui noſtris fuit. Nam per ea loca, quasì reuulſis repagulis, caſtra tentari primùm cœpta ſunt. Hoſtes verò his rebus minimè perterriti, alacri, erectóque animo, futurum prælium expectabant. Ergò ad munitiones tuendas, ſelectiores milites bombardis manualibus inſtructos apponunt, quibus & alij præſtò erant, ad id collecti, vt igneos globos & amphoras igneas in noſtros proijcerent. Inſupèr in turribus, quas ſuper flumen in murorum angulis anteà erexerant, hîc illic patefactis foraminibus bombardas admouent, vt ex ea parte noſtros in terram deſcendere prohiberent. Nam per eum locum ſuſpicabantur Proregem caſtra inuaſurũ. Quamobrèm quindecim millia militum ad deſcenſum prohibendum eodem in loco vnà cum excubitoribus conſtituunt, qui ſacramento militari addicti, deierauerant, noſtrorum impetum quibuſcunque ſe rationibus laturos, repreſſurósque eſſe. Atq;ità reliqua, quæ ad defenſionem pertinere videbantur, ſuo ordine & ſerie, tanta prudentia diſponunt, vt ea in re magìs veterano-

rum Romanorum experiẽtiam imitari eos dicerẽs, quàm temeraria barbarorum consilia. Prorex igitur nona Nouembris clàm in arcẽ descendit, ibiq́ rebus gerendis ordine dispositis, istiusmodi strategemate hostes ludificatus est. Nam vt falso numero eos deciperet, nautas, latomos, calones, lixasq́ de tertia vigilia nauibus littus impetere, singulosq́ binas erectas hastas in manibus gestare iubet: Remigibus verò imperat, vt dextra remos agant, sinistra bombardicos funes igne incensos teneant, ac vt vehementi tympanorum sonitu, strepituq́ tubarum immenso, & quãto possent, edito clamore, illam partẽ, qua hostes opinabantur illum descensurum, simulato lentóque cursu (quum signum ex arce daretur) impetere se fingerent. His ità decretis, arcis custodiam iusto præsidio Antonio Corrigiæ Bazainensi quæstori commisit. Ac postero die, ipso iubente, ex omnibus arcis portis valuæ ademptæ, ac procùl semotæ, nè nostri in fuga vllam spem reponerent. Orto iam sole, sacrísque peractis, & signo nauiculis dato, Lusitani ad duo circiter millia & quingentos, erumpunt, hostium muros inuadunt, ac indè agminibus in ordinẽ digestis, ad stationes hostium contendunt. Illi porrò quibus nauale negocium commissum fuerat, signo accepto, in illam partem, in qua potior hostium manus nostros opperiebatur, naues eo ordine vt imperatũ erat, dirigere se simulant. Hostes verò vbi vexillum regium, insigniaq́ militaria conspexêre, ac quò classis tenderet, animaduerterunt, illic totius exercitûs vim adesse existimantes, magna ex parte stationibus desertis, cõfertissimi sese ad littus proripiunt. Quamobrèm nostris exeundi minori periculo potestate facta, Mascaregnas (cui prima

prima acies concredita erat) quadringentis militibus constipatus, primo loco eruptioné in castra fecit. In eo conflictu concursúque ad muros, de nostris circiter quinquaginta desiderati sunt. Sed succurrentibus confestim alijs, hostes retrocedere & animum remittere cœperũt. Quod vbi ab ijs qui ad littus classi nostræ obuiàm iuerant, est animaduersum: protinùs ipsorum selectior manus ad eum locum, vbì dimicationem vigere cognouerant, se contulit. Ibiq; prælio conserto, ancipiti Marte eousquè pugnatum est, donèc à Prorege periculo cognito, milites qui subsidio irent, ilicò mitterentur. Ipse autem Prorex cum Laurentio Petreio Tabora inter illud flexuosum & multis sinubus ambagiosum vallum procurrens, turrim quandam expugnat, ex qua nostri, antequàm caperetur, multa infesta patiebantur, omnibus ibì hostium præsidijs ad vnum interfectis. Id tamen non absq; discrimine. Nam Eduardus Barbutus vexillifer, bìs in cacumen euadens, bìs indè deiectus est, sed tertiò, nouo impetu facto, pertinaciter irrumpens, vexillum tandèm ad pinnacula affixit. Expugnata turri, ac custodibus tradita, per tramites istius sinuosi valli iterùm recurrentes, aliquot ex hostibus interficiunt. Cæteri, loco deserto, fuga in castra conuolabant. Interìm hostium manu subsidijs firmata per Rumecanum, maximi inter suos imperij ducẽ, tam vehementer in Mascaregnam impressio fit, vt nostri impetum sustinere ampliùs non valerent, & ordine turbato, resilire occiperent. Id ipse Mascaregnas animaduertens, conclamat, suosq; ad restituendum hortatur: Vrgerẽt victoriam, quam iam propemodùm adepti essent, non superesse victis vlla suffugia, exarmatam esse arcem, ab-

latis valuis, quicquid munitionis fuit, non iam minùs hosti, quàm ipsis patére, adesse omnia auxilia, quæ à suis sperari possent: aut his copijs esse vincendum, aut pereundum: meminerint se non minùs pro vita, quàm pro imperio pugnare. Si pedem referrēt, nec victis vitam, nec mortuis sepulturam immanissimum hostem concessurum esse.

His ducis vocibus experrecti, tanta animi præstantia in hostes se referunt, vt quanquàm per summam pertinaciam hostes resisterent, impetū tamen nostrorum ampliùs sustinere non possent: effusaq; fuga, terga verterunt. Quarè dispersim palantes, alij per pontem, alij per vada, natando currendoq;, se, quotquot potuêre, extra insulam eijciunt. Itaq; oppido capto, castrisq; superatis, in omnem sexum ferro igneq; sæuitum est. Quæ à conflagratione fortunæ casus immunia inuiolataq; seruârat, iubente Prorege, diruta euersáque prorsùs fuêre. Hic exitus amplissimæ ditissimæq; Diensis ciuitatis fuit. In castris verò & in oppido videre licuit triclinia mensasq; stratas, cibariáque igni apposita, inuentaq; in foro etiam esculenta, tanquàm pacis tempore vænū exposita. Nō enim de tam subita fortunæ mutatione quisquam eorum vel cogitârat. De nostris hoc prælio circiter centum quinquaginta occubuêre, inter quos noti equites Lusitani, Georgius Soza, Ioannes Emanuel, Franciscus Azeuedus, Baptista Persona, Cosmus Paiua, Balthazar Georgius, Eduardus Rodericus Nazinus, Vascus Ferdinandus, Arius Gometius Quadrus, Iulianusq; Ferdinandus militum censor, qui omnes cum summa gloria acriter pro fide pugnando, mortem oppetiêre. Ex hostibus supra quatuor militum millia eo die cecidisse

disse compertum est. Rumecanus verò, quem loco Sophari patris à Mamudio rege, exercitûs ducem maximum fuisse constitutum, disseruimus: euadere connitens, insignibus imperatorijs detractis, quum à nostris ad oppidi fossam cognitus esset, fortissimè resistens, interfectus est. In eodem quoquè loco Audecanus, qui pridiè quàm prælium commissum esset, cum quinque millibus militum in castra venerat, vnà cum Hidalcano externorum militum duce occisus est. Alij præterea quatuor regis Cambaiæ strenui duces ibì desiderati sunt. Iuzarcanus iunior pro virili dimicans, viuus captus est, & magna cum reuerentia Proregis iussu à custodibus seruatur. Solus autem ex ducibus præcipuis Moiatecanus equũ nactus, per pontem, citato cursu euasit. Regium Cambaię vexillum, atque plura militaria signa ad Proregem delata sunt. Iam promiscuæ multitudinis, virorum mulierumq́, & puerorum interfectorum numerum immensum & miserandum fuisse constat, quibus rabies militum & suis anteà malis, & nũc sociorum mortibus iritata, nulla ratione parcere sustinuit. Quippe non solùm non ab infantibus, aut grauidis mulierum vteris, sed ne brutis quidem animantibus ferrum abstinuit militaris furor. Relicta sunt ab hostibus omnia tormenta bellica, inter quæ etiam leo ille & basiliscus fuêre: qui ad Thomæam turrim ab hostibus erepti, causam tantæ cædis non ità pridèm nostris attulerant. Vniuerso hoc bello, compertũ est, cecidisse de nostris militibus, tam ad Dium, quàm in naualibus prælijs, circiter mille sexcentos. Prorex autem, victoria parta, quos vltimo hoc prælio desiderauit, sepeliri quàm honorificentissimè iussit, sauciósque reficiendos

curauit. Indè militibus congiario ſtipendióque dato, ac virtute ſingulorum pro cuiuſque meritis honorata, arcem protinùs à fundamentis noua ratione ædificare occepit: Laurentius verò Petreius Tabora, rebus omnibus ex animi ſententia tranſactis, Cochinum ad claſſem reuertitur. Indè nauibus à terra ſolutis, ſaluus Vlyſſipponem applicuit.

TERTII ET VLTIMI COMMENTARII DE BELLO CAMBAICO II. FINIS.



HISPANIA DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI.

DAMIANVS A GOES EQVES LVSITANVS, PETRO NANNIO, LATINO APVD LOVANIENSES PROFESSORI DIGNISSIMO, AMICOQVE NON VVLGARI, S. D.

CVM sæpenumerò rerum Hispanicarum mentio inter nos, amãtissime Nanni, incidisset, multis argumentis cognoui, te nondùm ijsdem satiatum, ampliorem earũ notitiam è scriptis nostris expectare. Quamobrèm optatis tuis parentes, hæc tali lege tibi cudere voluimus, vt si arriserint, legas, amicisque tuis huiusmodi rerum notitiam cupientibus communices: sin minùs, Vulcano tradas.

VALE.

CLARISSIMO EQVITI, ERVDITIONE ET HVMANITATE INSIGNI, D. DAMIANO A GOES, PETRVS NANNIVS S. P. D.

LIBELLVM tuum, amplißime Damiane, eo animo accepi, vt si mihi ingens thesaurus oblatus fuisset, nec alacrior, nec hilarior esse potuissem. Sũt mihi à te alia præclara munera, sed nequaquàm pari honore æstimanda, cùm illa tantummodò precij magnitudine, dignitatem habeant, iste de ingenij tui præstantia venerationem mereatur. Admirabilis ibì ordo, singulæq; res in suas classes distributæ sunt, quã rationem scribendi maximè videtur Suetonius adamâsse. Habent in tuo libro singula suã peculiarem stationem: hîc Regnorum vires, illic Episcoporum & Satraparum opes describuntur. Habent suum catalogum Sancti Hispani, habent viri eruditi, Duces quoquè bello clari in sua à te legitima acie constituti sunt. Habent merces sua fora, quas Hispania vel accipit, vel donat. Deniquè Antipodum munera, quæ duplici ratione Hispanorum sunt, vel quòd ipsi hunc orbem inuenerunt, vel quòd soli indè omnia deportant, in suas apothecas à te digeruntur. Quid multa? nihil omittis quod ad laudem Hispaniæ pertinet. Quamobrèm, quæ olim de Hispania legebam, potiùs admiratione quàm fide prosequebar: nunc tua authoritate efficis, vt me non ampliùs admirantem solùm, sed & credentem habeant. Non mihi iam figmentum videtur, auro Tagum turbidum fluere, equas ex fauonio subuentaneum fœtum concipere, meritoq;

ritoq; mihi fecisse videtur Vespasianus, quòd vniuersæ Hispaniæ ius Latij donârit, rectumq; etiam iudiciū Plinij existimo, qui Hispaniam censuit proximam esse Italiæ laudibus. Enumerantur enim à te innumerabiles opū frugumq; thesauri, vt Plutus & Ceres non alibì quàm in Hispania, aut certè peculiariter sedes habere videantur. Obstrepunt hîc quædam verba nouitia, sed fastidioso lectori. æquo enim æstimatori non venia, sed laude dignus habeberis, quòd res nouas vetustate incognitas, nouis vocabulis, vt intelligi poßint, explicueris. In apologia acrior es, sed stimulis de amore patriæ profectis. amabit tuum pectus, quisquis pietatem amat, & patriæ studium inter virtutes adnumerat. Librum igitur tantæ vtilitatis, quem tu aut Vulcano tradi, aut amicis tantummodò communicari iubebas, prælo subieci. Nefas enim putaui id intra paucorum manus contineri, quod tanto vsui publicè esse posset. Quòd si singularum prouinciarum eodem modo vires & opes descriptæ essent, magnum profectò instrumentum haberent docti ad historias cōdendas, quum nerui bellorum pecuniæ sint, earumq; inopia vel copia multiplices causas & cladium & victoriarum adferat. Fieri non potest vt quis rectè in historia versetur, nisi vtriusq; partis opes & copias cognitas habeat, & lectori exponat. qua in re vtinàm aliquot Latini scriptores diligentiores essent, eáque in parte Thucydidem imitarentur. Tantum igitur mihi in rebus tuis, te inconsulto, permisi, nec offensam timui ex hac mea audacia, qui quiduis in Nānio tuo & ferre & probare soles. Nec vt iniquior sis, ius habes expostulandi, si, quod meum esse voluisti, vtar pro meo arbitrio.

Bene vale ampliß. & eruditiß. Damiane. Louanij.

HISPANIAE, CVIVS NOMINA, VARII VARIIS NOMI-nibus amplectuntur, hæc ſequens eſt amplitudo, potentia, vbertáſque.

DE eius ſitu, latitudine, longitudine, atque poli eleuatione, cùm id ſatis inter Coſmographos conſtet, nihil hîc dicturi ſumus: ea autem, quæ rariora ſunt, explicabimus.

Nec etiam id tacituri, quod antiqui ſcriptores teſtatum olìm reliquerunt, eam adhuc auri, argenti, cupri, ſtanni, plumbi, ferri, omniumq́ metallorum fodinis abundare, necnon argenti viui, ſalis quoquè vberrimam eſſe.

De frugibus non eſt quod multùm diſceptetur, cùm omninò ferax vini, olei, mellis, lactis, frumenti, fructuumq́ omnium ſit.

Abundat etiam ouibus, bobus, equis generoſiſsimis, piſcibusq́ diuerſorum generum. Ferarũ quoquè & auium mira copia.

Sunt quoquè in ea diuerſis in locis calidi & frigidi fontes, ad diuerſos morbos efficaciam mirabilem habentes.

DIVIDITVR HISPANIA IN duodecim Regna, nempe,

Caſtellæ antiquæ & nouæ.
Leonis.
Aragoniæ.
Portugalliæ.
Nauarræ.
Granatæ.
Valentiæ.

Toleti.
Gallitiæ.
Algarbiorum.
Murtiæ.
Cordubæ.

Quorum regnorum vectigalia vt pro cõperto habetur, magna ſunt. nec enim ſigillatìm quid ex vnoquoq; regno Regibus Hiſpaniæ accreſcat, auderem dicere, cùm dubitem, id'ne eis gratum futurum ſit, an non. Sed hoc ſcito, Reges iſtius Hiſpaniæ, quæ à nonnullis imperitis hominibus ſatìs temerè ſterilis nuncupatur, annuè vltra quinquagiès centena millia ducatorum aureorum, præter exactiones, indè accipere.

DE regnis diximus, modò ad clerum veniamus. In cuius reddituum computu Luciũ Marinæũ Siculum ſequemur, qui feliciùs id, quàm Principum Hiſpaniæ prouentus explicuit.

Archiepiſcopus Toletanus, Caſtellæ Cancellarius, habet annuè plùs minùs 150000 aureorũ ducatorum, habet etiã in ſuos familiares conferendos circiter 100000

Archiepiſcopus Hiſpalenſis	24000
Archiepiſcopus S. Iacobi	20000
Archiepiſcopus Granatenſis	10000

EPISCOPI.

Epiſcopus Burgenſis	20000
Epiſcopus Ciguntenſis	20000
Epiſcopus Cunquenſis	16000
Epiſcopus Placentinus	15000
Epiſcopus Palẽtinus, Comes Perniẽſis	13000
Epiſcopus Iaenenſis	10000
Epiſcopus Segouienſis	14000

Epiſco-

Episcopus Auillensis	8000
Episcopus Camorensis	12000
Episcopus Cordubensis	12000
Episcopus Osinensis	10000
Episcopus Leonensis	8000
Episcopus Calahorensis	12000
Episcopus Salmanticensis	10000
Episcopus Badaiocensis	6000
Episcopus Ouidensis	6000
Episcopus Cartagenensis	5000
Episcopus Asturgensis	4000
Episcopus Coriensis	8000
Episcopus ciuitatis Rodrigensis	4000
Episcopus Malagensis	10000
Episcopus Calixensis	8500
Episcopus Guaditanus	2000
Episcopus Almeriensis	1500
Episcopus Mondonensis	1500
Episcopus Tuiensis	2000
Episcopus Lugensis	1500
Episcopus Orensensis	3000
Episcopus Canariensis	8000
Archiepiscopus Caragucensis	20000
Archiepiscopus Valentinus	13000
Archiepiscopus Tarragonensis	8000
Episcopus Taraconensis	5000
Episcopus Huescensis	3000
Episcopus Segorbiẽsis atq; Albarrazinẽsis	3000
Episcopus Barchinonensis	5000
Episcopus Leridensis	5000
Episcopus Tortosensis	8000
Episcopus Gironensis	4000
Episcopus Vrgellensis	7000
Episcopus Vicquensis	2500
Episcopus Euniensis	1500

Episco-

Episcopus Pamplonensis 6000.

Sunt & alij permulti Episcopi nouarũ prouinciarum, Indiarumq́ Occidentaliũ, nupèr inuẽtarum, ex collatione siue iure patronatûs quoquè Regis Castellæ, quos hîc non exprimo.

REGNORVM PORTVGALLIAE & Algarbiorum.

Archiepiscopus Bracharẽsis, qui propter antiquitatem cum Toletano Archiepiscopo ad hũc diem vsque de primatu (vt vocant) totius Hispaniæ disceptat, habet 24000

Archiepiscopus Vlyssipponensis	16000
Archiepiscopus Funchalensis	8000
Episcopus Eborensis	20000
Episcopus Viseensis	8000
Episcopus Guardensis	5000
Episcopus Colimbriensis	12000
Episcopus Portensis	4000
Episcopus Lamecensis	6000
Episcopus Syluensis	4000
Episcopus Cæptensis	2000.

Præter hos sunt adhuc alij Episcopi Indiarũ Orientalium, Africæ & Aethiopiæ, & multarum insularum ex collatione Regis Portugallię, quos hîc prætereo.

Voluĩ autem hîc omnes Episcopales ciuitates Hispaniæ mihi saltẽ cognitas, cùm putem adhuc plures esse, proprijs huius temporis nominibus, ob maiorem cognitionem, recensere.

Sciendum quoquè, omnis Hispaniæ cleri prouentus (Abbates excipio) duplo maiores, quàm Episcoporum esse. Idq́ præter aliquot decimas & primitias, quæ in multis locis Regibus atq́ magnatibus, ex Pontificum indultis colliguntur. Ex quibus

quibus quidem redditibus iure omnes simul tenentur vnicuiq; ecclesiæ suum animarum curatum, vt aiunt, siue pastorem alere, qui ex pacto & consuetudine, omnia ecclesiæ sacramenta populo gratis, siue in templo, siue extra templum, siue in priuatis domibus, administrat. Quod vtinàm in cæteris prouincijs fieret, vbì ità pastoratus venduntur, vt pastores pro vitæ alimento, ac pensione soluenda, sacramentorum administrationem sæpè inuiti cogantur nundinari.

Est prætereà innumera Abbatiarum & monasteriorum copia, quarum prouentus non solùm cleri redditus æquant, sed etiam superant, inter quas sunt nonnullæ habentes decem, duodecim, quindecim millia ducatorum annuè. permultæ inter quatuor, & decem millia fluctuant: innumeræ rursus ab hac summa declinant: ità tamen, vt sine aliqua controuersia ij qui se cultui diuino dedêre, habeant in Hispania singulis annis vltra quadragiès centena millia ducatorum, præter id, quod Cōmendatarij, & eorū magistri possident, quæ summa etiā ingēs est. Ex quo facilè apparet, quàm religiosi semper fuerint Hispani, & quàm dediti cultui diuino, cùm tā liberaliter suas eleemosynas Christi ecclesijs impartiti sint.

Habet vlteriùs Regnū Castellæ quatuor Magistros equitum, seu (vt vocant) ordinū, qui magnos admodùm habent redditus.

Quorum primus S. Iacobi est.
Secundus, Calatrauæ.
Tertius, Alcantaræ.

Hæc tria officia dignitatum, temporibus Ferdinandi & Elizabeth catholicorum Regum Castellæ, cum consensu Pontificis ad coronam Regni deuoluta sunt.

Quartus

Quartus eſt Magiſter equitum Rhodienſium, ordinis diui Ioannis.

Ordo ſancti Iacobi ornatur duobus cōmendatarijs primis, quorum vnus dicitur Commendatarius maior Caſtellenſis, alter Leonenſis.

Ordines Alçantaræ & Calatrauæ, habent ſinguli ſuum Commendatarium maiorem & ſuum clauigerum, ſub quibus maioribus commendatarijs ingens commendatariorum equitum eſt copia, habentium magnos redditus.

Aragoniæ, Valentiæ, & Catelloniæ Regna vnū habent equitum magiſtrum ordinis Monteſiæ, magnos quoquè habentem redditus.

ORDINES REGNORVM PORtugalliæ & Algarbiorum.

Primus eſt magiſter ordinis Chriſti, qui magiſter ipſe Rex eſt, cuius miniſterij prouentus admodùm magni ſunt, indè, ꝙ huic ordini omnes prouinciæ inuentæ, tam in Africa, quàm in Aſia & Briſilia, cum omnibus inſulis, atque Orientalis Indiæ annexæ ſint.

Secundus eſt ordinis ſancti Iacobi.

Tertius ordinis, qui de Auis dicitur.

Habēt quoquè hi ordines ſuos maiores Commendatarios & Clauigeros, ſub quibus etiam eſt magna equitum Commendatariorum copia, magnos redditus poſsidentium.

Quartus eſt magiſter equitum Rhodienſium, ordinis ſancti Ioannis, qui Prior à Crato dicitur, qui tres magiſtri magnos etiā redditus poſsident.

MAGNATVM HISPANIAE INDEX.

Et primùm de Regnis Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ, Valentię, Toleti, Galliciæ, Murtiæ, Cordubæ.

Princeps

Princeps Asturiarum.
Dux de Arsona.
Comestabilis Castellæ, Dux Friensis, primus Regis cubicularius.
Archithalassus Castellæ & Granatæ, vulgo Amiraldus, & Dux de Medina, de Rio Sequo.
Dux de Beiar.
Dux de Scalona.
Dux de Medina cæli.
Dux de Medina Sidoniæ.
Dux de Arcos.
Dux del Infantazgo.
Dux de Alua.
Dux de Naiara.
Dux de Maqueda.
Dux de Albuquerque.
Dux de Cardona, Comestabilis Aragoniæ.
Dux de Segorue.
Dux de Gandia.
Dux de Villa formosa.
Dux de Luna.
Archithalassus Aragonensis Marchio.
Dux de Sauiote.

MARCHIONES.

Marchio de Oristan.
Marchio de Gotiano.
Marchio de Villena.
Marchio de Astorga.
Marchio de Tarifa.
Marchio de los Velez.
Marchio de Zenete.
Marchio de Comares.
Marchio de Aiamonte.
Marchio de Gibraleon.

Marchio de Moya.
Marchio de Logolludo.
Marchio de Zaara.
Marchio de Sentillana.
Marchio de Marchena.
Marchio de Coria.
Marchio de Elche.
Marchio de Cuellar.
Marchio de Lombay.
Marchio de Molina.
Marchio de Mondeiar.
Marchio de Poza.
Marchio de Denia.
Marchio de Alcanisas.
Marchio de las Nauas.
Marchio de Tanara.
Marchio de Cerraluo.
Marchio de Cagnete.
Marchio de Villanoua.
Marchio de Montemaior.
Marchio de Graial.
Marchio de Villa Franca.
Marchio de Monte Claros.
Marchio de Sarria.
Marchio de Aquilar.
Marchio de Barlangua.
Marchio de Camarassa.
Marchio de Pliego.
Marchio de Falces.
Marchio de Cortes.
Marchio de Valle.

COMITES.

Comes Cataloniæ.
Comes de Roisillon.

Comes de Lampurdam.
Comes de Pincerdam.
Comes de Vrgel.
Comes de Benauente.
Comes de Vregna.
Comes de Feria.
Comes de Cabra.
Comes de Velalcacer.
Comes de Miranda Castellæ.
Comes de Salinas.
Comes de Ribagorza.
Comes de Lemos.
Comes de Oropesa.
Comes de Alcandet.
Comes de Medellin.
Comes de Syrnela.
Comes de Real de Mancanares.
Comes de Saldagina.
Comes de Melga.
Comes de Haro.
Comes de Vaninares.
Comes de S. Stephano de Gormaz.
Comes de Niebla.
Comes de Valentia.
Comes de Treuigño.
Comes de Ledesma.
Comes de Altamira.
Comes de Pallares.
Comes de Ampurias.
Comes de Lerin, Comestabilis Nauarrensis.
Comes de Trastamara.
Comes de Tendilla.
Comes de Lerma.
Comes de Villalua.
Comes de Castañeda.

Comes de Osorno.
Comes de Ribadeo.
Comes de Castro.
Comes de Astudillo.
Comes de Niena.
Comes de Aquillar.
Comes de Ognate.
Comes de Saluaterra.
Comes de Paredes.
Comes de Monterei.
Comes de Orgaz.
Comes de Ribadauia.
Comes de Pliego.
Comes de Luna.
Comes de Monte agudo.
Comes de Coregna.
Comes de Fuensalida.
Comes de Cifuentes.
Comes de Aluadelista.
Comes de Benalcazar.
Comes de Sancta Martha.
Comes de Buendio.
Comes de Teua.
Comes de Palma.
Comes de Vagñares.
Comes de Palamos.
Comes de la Deleitoza.
Comes de Miranda Nauarræ.
Comes de Baylen.
Comes de Gelues.
Comes de Oliuares.
Comes de la Puebla.
Comes de Sancto Stephano, del Puerto.
Comes del Castellar.
Comes de Cocentayna.

Comes de Albaida.
Comes de Aranda.
Comes de Oliua.
Comes de Gallada.
Comes de Fuentes.
Comes de Belchit.
Comes de Saſtago.
Comes de Morata.
Comes de Lagumera.
Comes de Quirre.
Comes de Aithona.
Comes de Almenara.
Comes de Punoenroſtro.
Comes de Chinchon.
Comes de Baraias.

VICECOMITES.

Vicecomes de Altamira.
Vicecomes de Chelua.
Vicecomes de Peralda.
Vicecomes de Ebol.
Vicecomes de Bas.
Vicecomes de Blanes.
Vicecomes de Valduerna.
Vicecomes de Gaiano.
Vicecomes de Sterlie.

PORTVGALLIAE MAGNATES & Algarbiorum.

Comeſtabilis, qui nunc eſt infans Ludouicus, Regis frater, ac Præfectus regnorum confinium, qui vulgò Fõteiro maior dicitur. is enim Ludouicus magiſter quoquè equitum Rhodienſiũ eſt.

Dux Brigantiæ.
Dux Colimbrienſis.

Dux

Dux Viſeenſis.
Dux Trancoſſenſis.
Dux Barcelenſis.
Dux Auerienſis.

MARCHIONES.

Marchio de Villa Real.
Marchio de Tores Nouas.
Marchio de Monte Maior.
Marchio de Ferreira.

COMITES.

Comes de Marialua.
Comes de Tentugal.
Comes de Penella.
Comes de Alcontim.
Comes de Portalægre.
Comes de Feira.
Comes de Lonle.
Comes Monſanćto.
Comes de Faro.
Comes de Arganil.
Comes de Abrantes.
Comes de Vimioſo.
Comes de Villa noua.
Comes de Linhares.
Comes de Vidigeira, Nauarchus, vulgò Amiraldus.
Comes de Sortelha.
Comes de Caſtanheira.
Comes de Prado.
Comes de Redondo.
Vicecomes de Lyma.
Regni Archithalaſſus, vulgò terræ Amiraldus.
Baro de Aluito.
Rećtor, ſiue Prætor, omnium Regnorum, vulgò Regedor.

Hi Hiſpaniæ magnates mihi tantùm cogniti ſunt, puto adhuc alios extra meam notitiam eſſe, quos hîc adiungat, quiſquis eos me meliùs nouerit. Quorum prouentus viritìm non exprimo. Id enim curioſus lector apud Luciũ Marinæũ Siculum requirat, qui rem nõ omninò infeliciter tentauit. Ego autẽ perſpiciẽs eum quibuſdam iſtorũ Principũ plus, alijs minus diuitiarũ, quàm poſsident, tribuere, & ſciens q̃ difficile ſit alienas facultates ad vnguẽ enumerare, voluĩ potiùs ſilere, q̃ rem non ſatìs appenſam euulgare. Id etiam veritus, ijſdem ipſis principibus non ſatìs placitũ iri huius rei ſingularẽ propalationẽ. Inter quos autẽ (nomina ſileo) aliquot ſunt (vt veriſsimũ eſt) centũ, octoginta, ſeptuaginta, ſexagintaq́ millia ducatorum aureorum annuè poſsidentes. Nõ pauci quinquaginta, quadraginta, triginta. Multi viginti, quindecim, decemq́. Cæteri omnes hac ſumma inferiores, ad minimũ triũ millium redditus habent. Sic, vt ſine mendacio aſſerere quis poſsit, Hiſpaniæ magnatum annuos prouentus vigeſiès centena millia ducatorum attingere, vel vltra.

Sunt prætereà in Hiſpania non pauci nobiles titulis, vel dignitatibus obſcuri, decem, quindecim millia ducatorum annuè habentes, eſtq́ aliorum ingens numerus, qui à millibus ad decẽ millia ducatorum vſque annuè poſsident.

Sunt etiam Reguli, quos paſtores Hiſpani vocant, triginta, quadraginta, millia ouiũ, & magnã boum, equorũ, mulorumq́ multitudinẽ poſsidentes, quorũ familiæ ampliſsimæ ſunt. Ex quo apparet non fruſtrà dictum, in Hiſpania talentari precio arietes admiſſarios emi, aſinos quoquè admiſſarios, & aſinas ad fœturam, xl. ſeſtertijs.

Ornatur etiam Hiſpania maximo Sanctorum numero,

numero, quorum Martyrum tãtùm Indicem hîc ſcribere nobis non indignum viſum eſt, cæteros propter prolixitatem omittimus.

Sanctus {
Vincentius.
Laurentius.
Victor.
Fronto.
Iſtitius.
Apodonius.
Linxius.
Succeſſus.
Fauſtus.
Martianus.
Vrbanus.
Publius.
Matutinus.
Caſsianus.
Felix.
Ianuarius.
Primitius.
Quintilianus.
Enotus.
Cæcilianus.
Frontonius.
Optatus.
Seruandus.
Germanus.
Facundus.
Primitius fratres.
Felix.
Cericus.
Anaſtaſius.
Fauſtus. 2.
Ianuarius. 2.
Martialis.
}

Sanctus
- Speratus.
- Natalius.
- Cerinius.
- Beturius.
- Felix 3.
- Aquilinus.
- Lætarius.
- Ianuarius 3.
- Florentius.
- Fructuosus.
- Augurius.
- Eulogius.
- Claudius.
- Lupercus.
- Victoricus.
- Emetherius.
- Celedonius.
- Eugenius primus Archiepiscopus Toletanus.
- Zoilus.

Sancta
- Eugratia.
- Leocadia.
- Eulalia.
- Christeta.
- Sabina sorores S. Vincentij.
- Iulitta, mater S. Cerici.
- Digna.
- Generosia.
- Bessa.
- Donata.
- Secunda.
- Eurosia martyr & virgo.
- Centolla.
- Helena.
- Nunilonia
- Alodia sorores.

Hi omnes Christi Martyres, vt ex eorum vitis appáret, fuerunt. Est autem aliorum ingens copia, quam, nè lectoribus tædio simus, prætermittendam duximus.

Habet hoc tempore Hispania has vniuersitates, opulentia & professorũ eruditione celebres.

1 Salmanticensem.
2 Complutensem.
3 Colimbriensem.
4 Pincianensem.
5 Siguntinensem.
6 Oscensem.
7 Ilerdensem.

Quibus viris doctrina præclaris Hispania quoquè fulget, accipe.

Fronto Præsul & Martyr.
Fulgentius Præsul & Martyr.
Audentius Præsul.
Ioannes Præsul.
Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis.
Sanctus Leander Archiepiscopus Hispalensis.
Colimpius Præsul.
Pacianus Barchinonensis Episcopus.
Paulinus Præsul.
Sanctus Victor Præsul.
Vilerius Præsul.
Antonius Præsul.
Sanctus Vincentius Martyr.
Zoilus Martyr.
Sanctus Dominicus Calaguritanus, ordinis Prædicatorum author.
Matorianus vir præclarè doctus.
Auitus presbyter.
Sanctus Illefonsus Archiepiscopus Toletanus.
Sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, cui-

us meminit Magister Sententiarum lib. 4.
Sanctus Antonius Vlyssipponensis, qui Paduanus dicitur.
Paulus Episcopus Burgēsis, vir præclarè doctus, & Iudæus natione, spōteq; Christianus factus, scripsit non pauca Theologica, nec indocta.
Tostatus Episcopus Ebulensis, scripsit in nouum & vetus instrumentum.
Rabbi Abenezra doctissimus Iudæus, magnus Theologus.
Rabbi Moyses Iudæus Theologus & Medicus insignis.
Rabbi Dauid Chimhi, insignis Theologus.
Moyses Cordubensis Theologus Iudæus.
Rabbi Camora Theologus.
Hugo de Folieto.
Arnoldus de Villa noua, Raimundi Luli p̄ceptor.
Raimundus Lulus.
Aquilius Seuerus.
Gualterus.
Ioannes Toletanus.
Iouentius Cardinalis.
Vincentius Monachus.
Duo fratres Coroneles, insignes Theologi.
Franciscus Ximenus, Cardinalis, qui Academiam Complutensem instituit.
Sotion Philosophus Peripateticus.
Auicenna Medicus præclarus & Philosophus.
Auerrois quoq; Medicus & Philosophus.
Rasis Almanzor.
Mesalac Medicus Astrologus.
Habramus Astrologus.
Albumazar Astrologus.
Cacutus Iudæus Lusitanus, magnus Astrologus.
Fortunius Gratianus Iurisconsultus, cuius opera

ra rara, ſed abſolutè ſcripta, extant.

Alfonſus Rex Caſtellæ, huius nominis decimus, Romanorũq; Imperator, magnus Aſtrologus.

Henricus Infans Portugalliæ, Mathematicus inſignis, qui primò nouas terras ſuo ſtudio & induſtria reperit.

Seneca Orator magnus, & Philoſophus Stoicus.

Anneus Gallion Seneca, Senecæ frater.

Lucius Anneus Seneca Tragicus, Annei Gallionis Senecæ filius, Senecæq; oratoris nepos.

Columella.

Dexter.

Theodoſius Cæſareenſis.

Iulius Higinius.

Portius Latro, Orator inſignis.

Lentus Cornelius, præfectus Cæſaris.

Paulus Oroſius.

Quintilianus Orator inſignis.

Pomponius Mela.

Iuſtinus hiſtoricus.

Lucius Latianus Orator.

Seuerius.

Silius Italicus.

Henricus Marchio de Villena, magnus magicus.

Ioannes Ludouicus Viues Valentinus, Orator.

Damaſus Pontifex maximus, inſignis Poëta.

Aurelius Prudentius Poëta.

Iuuencus Poëta.

Arator Poëta.

Sedulius Poeta.

M. Anneus Lucanus, L. Annei Melæ filius, qui Mela frater Senecæ & Gallionis fuit.

M. Valerius Martialis.

Sextilius Hæna Poeta.

Ruffus Feſtus Anienus Poeta.

Dec. Iunius Iuuenalis, oriundus ex Aquino Volſcorum.

D. Georgius Nanrique, Poëta inſignis.

Henricus Caiadus Poëta Luſitanus & Meneſius, de quibus Eraſmus in ſuo Ciceroniano meminit.

Laurentius à Caceres Luſitanus, Poëta & vir non vulgariter eruditus.

Ioannes de Mena Poëta.

C. Iulius Higinius Auguſti libertus, Grammaticus inſignis.

Antonius Nebriſſenſis eximius Grammaticus, & variæ eruditionis vir, vt Eraſmus in ſuo Ciceroniano teſtatur.

D. Garſias Laſſo à Veza, Poëta inſignis.

Alfonſus Virueſius Epiſcopus Canarieſis, Theologus inſignis.

Gomeſſius peritus iuris, ſcripſit ſuper Inſtituta.

Hi omnes, præter alios nonnullos, quos, cùm adhuc viuant, ſilentio prætereo, Hiſpani fuêre, ex quo appáret, noſtrates non tam infeliciter diſcere, nec verboſitate & ſimulatione ſapientiam oſtentare, vel tam multis nominibus & conſuetudinibus barbariem colere, quàm Munſterus in ſuo nouo Ptolemæo prædicat, vbì ad imitationem cuiuſdam Michaëlis Villanouani, hominis mihi incogniti, & hac in re non mediocriter lapſi, Hiſpanorum & Gallorum comparationẽ induxit. puto eum, cùm Baſileæ profiteatur, Gallis, ad quos reliqua Baſilea ſpectat, excepta tertia fermè parte, qua ſecundùm Rhenum Germanię adhæret, potiùs q̃ Hiſpanis adblãdiri voluiſſe. quãobrèm vt doceat ità eſſe, quod dicit, opùs eſt, vt nobis depromat vel vnum Senecam, Quintilianum, Portium Latronem, Auicennam, Lucanũ, Prudentium, Iuſtinum, Columellam, Oroſium, Melam,

Melam, Silium, Martialem, Iuuenalem, & alios istis similes, & tum damnet Hispanicam indolem, eamq; Gallicis & Germanicis ingenijs postponat. quòd si nec Germani, nec Galli istos, quos suprà recitaui, viros adęquent, (Erasmum & Budæum excipio) quid est, quod conuicium nostræ genti de stupore faciat? Fateor aliud seculum, alio florentius, nec nunc esse laudem eam eruditionis quæ olim Hispaniæ fuit, non tamen bruta est illa terra, quæ talia ingenia produxit, nec quia aliquandiù talia non produxit, in omne æuum effœta habenda est. Quòd si nunc non tot chartas oblinunt Hispani, quot nonnulli faciunt, nec edendis alienis libris plagium committunt, nihilo deteriores illis, qui se furtis librorum venditant, existimandi sunt. Edunt fortassè Hispani pauca, sed edunt sua, nec falsarij hac in parte, nec fures. estq; nobis ista modesta scribēdi ratio cum Italis communis. Non incesso vllā gentem, quorundā vitia tantùm attingo, & qui de vitijs suis, genti suę gloriam, alijs nationibus probrum cōcinnant. Habuit hac tempestate Gallia Budæum, & Fabrum Stapulensem, & alios viros doctos, sed habuit. Cōuixerunt etiam istis nōnulli Hispani illorum eruditione non planè inferiores, quorum nomina, cùm cognita sint, prætereo. Habuit quoq; Germania Erasmum, sed habuit, habuit Longolium, ambos Batauos, quam prouinciam nonnulli nec in Germania, nec in Gallia constituunt. Sed sit Germaniæ vel Galliæ, fuerunt isti viri ornamenta incomparabilia suarum gentium, sed fuerunt. ità nobis quoquè Quintiliani, Senecæ, alijq; innumeri fuêre. Præteriti temporis est, quod vtrobiq; pro gloria iactatur, nisì nobis allegent Philippum Melanchthonem, columen Germaniæ,

Lōgolius, vt ex quadā epistola Erasmi ad hūc nostrum Damianū à Goes apparet purus putus Hollādus est, Schonouiæ natus.

maniæ. Fateor eum hoc tempore cum illis antiquis Hiſpanis in arenam deſcendere potuiſſe, ſi ſe Theologiæ ac fidei negocijs non implicuiſſet, quibus dum incumbit, contabeſcunt ſtudia illa, ob quæ noſtro æuo inclaruit. Nec defuiſſent Hiſpaniæ ab hinc annis plùs mille præclara illa ingenia, quæ ſemper enutrire ſolita fuit illa prouincia, ſi à Gothis, Alanis, Saracenisq́ꝫ incultis hominibus, ab omniq́ꝫ genere diſciplinarũ abhorrentibus, nõ fuiſſet tam diù occupata, nunc verò hac barbarie vtcunquè expulſa, non dubitet Munſterus, quin Hiſpani poſthàc, ad laudem eruditionis nõ ſegni greſſu ſint progreſſuri.

INDEX DVCVM HISPANIAE.

Veriatus Luſitanorum Dux, cuius facinora Romanorum hiſtoriæ latè prædicant.

Megara Dux Numantinorũ, Romanorũ temporibus p̃clarus, vt teſtatur L. Florus lib. 2. ca. 18.

Rex Pelaius, qui ob vitæ ſanctitatem, Dei miles vocabatur. Is enim Hiſpaniam Cantabricam à Maurorũ incurſionibus immunem fecit, eósque ex regno Leonis, ciuitate accepta, expulit.

Bernardus à Carpe, Dux præclarus & vir eximius, qui Carolum Magnũ Imperatorem & duodecim Franciæ Patres apud Ronces valles deuicit, quanquàm Gallorum Annales Hiſpanis hanc victoriam denegent.

Ferdinandus Gonzalues, Comes Caſtellæ eius quæ nunc regnum eſt, & antiqua Caſtella vocatur, in cuius hiſtoria latè patet, quantæ virtutis vir fuerit, atque filius eius Gartias Ferdinandus & Santius nepos.

Rodericus Diaz de Biuar, cognomento Gid, qui bonam partẽ Hiſpaniarum ex tyrannide Maurorum liberauit, cuius nomen inter Mauros terri-

ribile, & magnæ venerationis fuit.

Ferdinandus cognomento Sanctus, Rex Castellæ, qui ex Vaudalucia, mira virtute Mauros fugauit, prouinciamq́ sibi obtinuit.

Iacobus Rex Aragoniæ, qui regnũ Valentiæ & Baleares insulas à tyrannide Maurorum liberauit.

Alfonsus primus Rex Lusitaniæ, qui ex toto fermè regno Mauros expulit, cuius gesta magìs videntur diuina, quàm humana.

Ioãnes huius nominis primus, Rex Lusitaniæ, qui cùm inops & abiectus esset, ꝓpria arte & virtute, Castellanis, maioreq́ parte Lusitanorũ etiã reluctante, totum regnum sibi vendicauit.

Comes Nonius Aluarez Pereira Lusitanus, qui Regis istius temporibus vixit, cuius insignia gesta historiæ nostræ latè prædicant, vir sanè magnanimus, & supra hominum vires in bello strenuus, ex quo duces Brigãtiæ originem suam ducũt.

Ferdinandus Infans Castellæ, ꝗ posteà fuit electus Rex Aragoniæ, ꝗ miras victorias cõtra Mauros in ipsa Hispania obtinuit, vt testãtur historiæ.

D. Franciscus ab Almeida Lusitanus, qui ingenti classe Babyloniæ Sultani, atq; multorum Indiæ orientalis Regum deuicta, Turcas ex ipsa India expulit, cuius Ludouicus Ro. in suo itinerario amplam facit mentionem.

Alfonsus de Albuquerque Lusitanus, qui fermè totam Orientalem Indiam sub imperium nostrum reduxit.

Ferdinandus à Vallo, Marchio de Pescara, qui Gallos apud Ticinum debellauit, eosq́ ex Italia fugauit, quo in prælio Frãciscus Gallorũ Rex interceptus fuit, & in Hispaniã captiuus adductus.

Ferdinandus Cortesius, Marchio de Valle, qui in Indijs occidẽtalibus magnam Temystitam ciui-

ciuitatem & regnum, non ſine incredibili admiratione Regno Caſtellæ edomuit.

Franciſcus Picarrus, qui in ipſis Indijs occidentalibus Imperatorem Atabalipam deuicit, & ſupplicio tradidit, eiusq; ditiones atque aliorum principum, ſub Caſtellæ imperium redegit.

Antonius à Leiua, vir præclarus, qui arte & virtute Italos ſæpè armis ſuperauit, & pondus tuendi, contra ipſorum Italorum ac Gallorum potentiam, Mediolanenſem Ducatum ad extrema vſque ſuſpiria ſuſtinere valuit.

Antonius à Sylueira Luſitanus, qui poſtremò apud Dium Turcas ex India oriẽtali iterùm ꝓfligauit, & magnũ Cãbaiæ regnũ Luſitanis ſubiecit.

Goncallus Ferdinandus Cordubenſis, qui regnum Neapolitanũ noſtris temporibus edomuit, idq; ſub imperium Hiſpaniarum redegit.

Eduardus Pachecus, vir Luſitanus, qui aduerſùs Regis Calecutij potentiam, prolixum cruentumq; bellum geſsit, in quo diuerſas & incredibiles victorias obtinens, ipſum regem fuga ſalutem petere coëgit.

Habuit & habet Hiſpania alios præclaros Duces, quos prætermitto, & hos tantùm, qui virtute cum Cæſare & Alexãdro certare poſsint, pono.

Videtur etiã Hannibal potiùs Hiſpanus, quàm Pœnus fuiſſe, ſi Floro fides aliqua eſt, cùm libro 2. cap. 6. aſſerat, ipſum Hannibalem alitũ, educatum, & enutritum fuiſſe in Hiſpania.

IMPERATORES GESTIS PRAEclari, nati & oriundi Hiſpani.

Veſpaſianus.
Titus Veſpaſianus.
Nerua.

Tra-

Traianus.
Adrianus.
M. Antoninus philoſophus.
Theodoſius Magnus.
Archadius.
Honorius.
Theodoſius Minor.
Alfonſus huius nominis decimus rex Caſtellę.
Maximilianus.
Carolus V. Rex Caſtellæ.
Ferdinandus infans Caſtellæ.

PONTIFICES HISPANI.

Damaſus hiſtoricus ſcriptor & Poeta.
Ioannes XXI. Medicus inſignis, Luſitanus.
Benedictus XIII. doctiſsimus vir.
Calixtus III. Iuris prudentiæ peritiſsimus.
Alexander ſextus.

Vernacula, quæ noſtra tempeſtate ex Hiſpania in Galliam, & alias prouincias adferuntur, hæc ſunt, nec ſcitu indigna, pręter nō pauca, quę cùm in ipſa prouincia his tēporibus abſumātur, vtputà frumentum, argentum, cuprum, plumbū, glaſtum, rubia tinctorū, goſipium, & multa alia, vel quòd magni momenti non ſint, in ipſo catalogo referre noluimus.

Vehuntur nauigio Brugas ciuitatē Galliæ Belgicæ, ſingulis annis quadraginta millia lanæ ſarcinarum, quas ſaquas vocant, quarum vnaquæque vt minimùm precium viginti ducatorum aureorum, vel æquat, vel ſuperat.

In Italiam quoquè ac in alias Galliæ ciuitates, viginti fermè millia ſarcinarū vehuntur, quarū q̄ in Italia cōſumūtur, ꝙ ſelectioris lanę ſint, quadraginta, qnquaginta ducatis aureis ſingulę vēdūtur.

Sericum & panni ſerici, quæ tam in Galliā, q̄

in Italiam, Angliam, aliasq́ prouincias euehuntur, precio innumerabili constant.

Deferuntur etiam, vt summatim dicam, ex Hispania in Galliam Belgicam, & alias prouincias vina multorum generum.

Oleum.
Saccarum.
Cera.
Mel.
Oriza.
Crocum.
Vuæ passę.
Ficus passę.
Sal.
Alumen.
Murex, siue purpura.
Coccum.
Smegma, siue sapo.
Mala Medica, siue aurea.
Mala Citria.
Mala Granata, siue Punica.
Cydonites, siue (vt barbarè dicitur) codignatū.
Oliuę conditę.
Limones.
Capparæ.
Pruna passa.
Amygdala.
Pinei.
Castaneę.
Glycyrrhiza.
Anisum.
Caruis.
Anethum.
Cuminum.
Corianon, siue coriandrum.

Thynni

Thynni saliti.
Balenę salitę, atq; earundem oleum.
Suberum codex.
Gallę.
Bacca laurina.
Hyacinthi.
Gagates.
Hiaspis.
Alabastrum.
Corallum.
Coria hircina.
Spartum.
Pelles multorum animalium, ad vestes sufful-
ciendas.
Aurum.
Ferrum.
Chalybs.
Stannum.
Minium.
Argentum viuum.
Fruct⁹ quoq; diuersorũ generũ, saccaro cõditi.

PRO HISPANIA ADVERSVS Munsterum defensio.

EX hoc, charissime Nanni, videre est, Hispanię fertilitatem, quã hisce verbis Munsterus egregius Michaelis Villanouani imitator, ad Gallię comparationem ità describit. qua in re facit, vt suspecti iudices, inuidia vel muneribus, vel odio obcæcati, soliti facere sunt, qui vera cùm intelligant, falsa tamen pronunciant, dum inquit in suo Ptolemęo, vt eius verba referã: Mercatores ex Hispania, in Galliam deferũt sericũ, & omnis generis pannos, lanas, crocum, saccarum, orizam, oleum, alumen, grana tinctorũ, &c. Ex Gallia in

Hiſpaniam frumentũ, lineas telas, filum, paſtel, libros, & minutiora alia mercimonia plurima, vt gladios, ſpecula, acus. Concedamus Galliam mittere frumentũ, (quãquàm id raró contingat) cùm potiùs id Germaniæ orientali debeatur, cuius frumẽtum nauibus Batauorum ad littoralem Hiſpaniam, eamq́ꝫ oceano attiguam ſubuehitur. hi enim inuectitia annona ab hinc annis 25. plùs minùs vſi ſunt. Ad mediterranea Hiſpaniæ exoticum frumentum non peruenit, certè pro ſingulis culeis ex Gallia, ſingulę Holcades frumento onuſtæ ex Hollandia appulerunt. Tamen demus hoc Munſtero & præceptori ſuo Villanouano, vt vera ſint, quæ dicunt: quid, an non ex ipſorũ verbis appáret, Hiſpaniam Galliæ plus impertire, q̃ Galliam Hiſpaniæ? Miror autem, cur, dum agrorum fertilitatem vtriuſqꝫ prouinciæ inter ſe confert Munſterus, aſſeuérat Hiſpaniã vini, frumenti, & carnium copia à Gallia vinci. Vbì (vt de hac Galliæ vbertate diſceptemus) auditum eſt, aut viſum ex Gallia in Hiſpaniam vinum deportatum eſſe? nisì fortè ad confinia Cantabriæ, & id raró, quippe cùm ij magìs amplectuntur Hiſpanicum, etiam dilutum, q̃ Gallicum merum. Prodeat nũc Gallia Belgica, ac Anglia, Irlãdia & Scotia, ſimul cum Noruegia, Dacia, Suedia, Moſchouia, Ruſsia, Liuonia, Lituania, Pruſsia, ac tota Oriẽtalis Germania, necnon Hollandia, & teſtentur quid vini Hiſpanici in ipſarum finibus abſumatur. Deindè ſi iam ex Gallia in Hiſpaniam frumentum, vt vult Munſterus, inuehitur, id non ex natiua malignitate ſoli, ſed ex adſpectu, vt aiunt, aſtrorum accidit, quæ hoſtiliter ab anno 1516. ad hunc vſque diem, morbis, cædibus, calamitatibus, prouinciã afflixerunt, alioquì fertilis eſt Hiſpania, vt teſtatũ anti-

antiqui ſcriptores reliquerunt. Et vbì hæc ſæuities ſiderum mitigata fuerit, petent à nobis Galli frumentum, vt anteà ſoliti fuerunt facere. Hoc credo ignorâſſe Munſterum, Gallos à noſtris crebriùs, q̃ nos ab ipſis, olim frumentum expetiſſe. Nec hoc tempore peregrino frumento indigeremus, ſi omnes (vt in Gallia & alijs prouincijs fit) Hiſpaniȩ partes, quȩ coli poſſunt, colerẽtur, cuius enim vbertas tanta eſt, vtì maiori anni circulo mediaſtini atq; plebeij homines, ex ſylueſtribus fructibus, melle, herbíſque lautè victitare poſſint, quæ res eos parùm ad agriculturam propenſos efficit. Accedunt ad hoc nouæ Orientalium, Occidentaliumq́; Indiarum nauigationes, continuum quoquè bellum Africanum, atque Italicũ, quæ noſtri magìs amplectuntur, quàm aratri labores. vndè euenit non ſolùm apud nos agriculturam negligi, ſed etiam metalla, quorũ venis adhuc Hiſpania abundantiſsimè ornatur, ex víſceribus terræ non effodi. Cætera quæ Galliæ ſunt, velutì lineæ telæ, filum, glaſtum, facilè iudicabis an ea tanti ſint, vt cum Hiſpanicis frugibus conferri poſſent, quanquàm maior pars telarũ & fili canabacei, quæ in Hiſpaniam apportantur, Batauiæ ſolum producat. Quod ad carnes autem ſpectat, verius ipſa veritate eſt, non tantùm in Galliam ex Hiſpania boues, ſed magnam quoq; mulorum copiam educi, equos etiam, ſed furtim, ob Regum edicta. Reliqua autem quæ ſequũtur, futilia ſunt, indignaq́; tanta comparatione. Nec hoc contentus Munſterus, vt per omnia ſuum authorem Villanouanum ſequeretur, ſtomachum in Hiſpanos euomuit, credo re vera, cum nonnunquàm ab aliquo Hiſpanorum iniuria aliqua laceſsitũ fuiſſe, cùm ſic in eos verbis debacchetur.

Ait enim, frugalis vitæ Hiſpani, ſicut & Itali (etiã Italos noluit immunes à ſuo temerario iudicio) nec tantum cibi & potûs, vt Galli & Germani, abſumentes, niſi ſint inuitati, nam tunc ſe ad ſaturitatem explent edulijs, quia rara eis & maiore auiditate accidunt conuiuia. Elegans ſcomma, & dignum quod topographijs prouinciarum inſeratur, quaſì Gallorum & Germanorum conuiuia, ſplendida planè & opipara ſint habenda. ſatìs ibì ciborum & potûs, ſed externi homines nõ de copia cõqueri ſolent, ſed de lautitia & elegantia. Sed ſinamus vnumquènq; patrio more viuere, atrum panem, ſtipulis furfuribusq; vnà piſtis commiſtum, fœtidam cereuiſiã, carnesq; ſalitas, ter quaterq; recoctas, aſſasq;, ſibi ſuisq; familiaribus adminiſtrare, vel aquã & herbarum placẽtas. Quòd ſi de numero conuiuiorum diſputãdum eſt, vincunt Germani & Galli. Si de magnificentia, ſplendore, lautitia, elegãtia, multis modis Galli & Germani ab Italis & Hiſpanis vincuntur. Cęterùm laudes conuiuiorum ſi quæ ſunt, non ab Hiſpanis Hiſpanię, nec à Germanis Germaniæ vindicandę ſunt, ſed id iudicium exteris hominibus committendum eſt. exitus certè & finis conuiuiorũ, honeſtior in Italis & Hiſpanis, quum Germani & Galli eo animo conuiuia aggrediantur, vt vino ſe adimpleant, refarciantq;: quo feruente, animus, ſenſus, iudiciũ, ratio, reuerentia, grauitas, ſedulitas, prudentia, & alia multa amittuntur: iniuriæ, cædes, luxus, ſtupra, clandeſtinę locutiones, conſiliorum Principũ, amicorumq; effutitiones, vulnera, plagę, inſidiæ, ꝓditiones, aliaq; infinita perpetrantur. Itali & Hiſpani contrà, ſic ad cõuiuia ſe ornant, vtì benè ſaturi, & cibis referti, à mẽſa diſcedant. Hîc tametſi corporis ſalûs repletione grauetur,

uetur, animus tamen & ratio, vt accidit in ebrijs, minimè lęditur. Ità fit, vt qui vinũ intemperãter ingurgitant, animũ, conſcientiã, corpus, honorẽ, vitã labe tingant. Qui autẽ cibi voraces ſunt, corporis tantùm ſaluti noxij ſunt. Iſtis perpenſis, iudicet æquus ęſtimator, penès quos laus iſtius rei conſiſtere debeat. Nec mihi ideò iſta dicta ſunt, ꝙ magni eſſe momenti putem hac in parte vel vinci, vel vincere, ſed ꝙ ferre non potui, Hiſpanos tanq̃ famelicos & cœnipetas, nunq̃ nisi de alieno ſaturos, à Munſtero deſcribi. Neq; mea dicta à Mũſtero accipi volo, veluti recriminationem, ſed admonitionem, vt cautiùs poſthàc & ſynceriùs in ſuis ſcriptis agat. virũ enim eum bonũ ſcio, & aliquo vſu familiaritatis mihi cognitũ habeo. Nec prętereundũ puto id, quod deincèps idem dicit, cùm re non intellecta, multorũ etiam ſit opinio, ꝙ duriter & inciuiliter aqud Hiſpanos aduenę excipiantur, adeò, vt itinere defeſsi, cibum ſibi vicatìm quęrere cogantur. Res ſic ſe habet: Olim pandochei Hiſpanię, ad quos viatores tam peregrini, q̃ incolę, diuertere ſolebãt, fures atq; latrones erãt, ſicut Germanię, Gallię, aliarumq́; prouinciarum hodierna die non pauci ſunt: quales ſi non eſſent, nõ tam ſubitò in immẽſum diteſcerẽt. Hęc perpẽdentes catholici Ferdinãdus & Elizabeth Caſtellę & Aragoniæ Reges, lege ſanxerũt, ſub magna mulcta, nè quis cauponum, pandocheorumq́; quicquam pręter domeſticũ ſeruitiũ, & cibi coquendi operam, aduenięntibus pręberet. Pro equis aũt, hordeum, auenam, fœnum, ſtramen tantùm venderet, quarum rerum preciũ, publica ęſtimatione ipſis foribus diuerſoriorũ inſcriptũ eſt, ità vt barbariſsimus, & ſimplex homo cuiuſcunq; nationis, facilè intelligat, quid pro domeſtico ſeruitio, qd

pro equorũ alimẽto, ſine aliqua licitatione hoſpiti dandum ſit. Hoſpes prætereà tenetur cum aduena in forum, & ad propolas procedere, vel aliquẽ ex ſuis eò mittere, cuius opera vtatur externus in eduliorũ emptione, quæ empta, in diuerſorio parantur, paratáq; ipſis, ſtrata menſa, apponuntur. ſic fit, vt diſcedente aduena, nihil rixarũ oriatur, nihil ei auferatur, nihil extorqueatur, cùm ipſemet cibos ſibi emat, ſibiq́; ex tabulis diuerſorio affixis conſtet, quid hoſpiti annumerandum ſit. Hæc autem in ciuitatibus & oppidis tantùm fiunt: in pagis & villis, vbì propolæ deſunt, licet pandocheis edulia vendere pro arbitrio, cętera ex tabularum teſſera indicantur. Hæc immanitas non tam fera videtur, q̃ à Munſtero depingitur. Deindè ſi ad humanitatem Italorum Hiſpanorumq́; reſpicias, hæc inuenies, cùm ad eorum ciuitates véneris. Amicitia contracta, officiũ ſuum vnuſquiſque gratìs offeret. quicquid dignũ viſu ſit, oſtendet. circunſpectis, viſisq́; omnibus, te ipſi in hoſpitium tuum deducent. At ſi quenquam illorum, dum gratus eſſe cupis, in prandio, vel in cœna retinere volueris, vix ab eis illud impetrabis, id præcauentibus ipſis, nè homini peregrino, & ſumptui, & moleſtiæ ſint. tãdèm ex viginti, ſi tot comites habueris, vix vnum aut alterum retinebis, nec id efficies, donèc clarè intelligant, ex animo, & non fictè, eos tibi cõuiuas velle. Galli cõtrà & Germani, vt verũ eſt, & experti ſumus, humaniſsimi in peregrinos ſunt. q̃cquid viſendũ in ſuis ciuitatibus habẽt, oſtendũt, omneq́; officiũ benignè exhibẽt. Sed peractis ſpectaculis, vbì diuerſorium repetis, ſiue frigidè, ſiue ardẽter ipſos inuitas, faciles eos habes, nec opùs eſt magna cõtentione precũ, idq́; laudo, eſt enim illud ingenuæ

cuiusdam & candidæ simplicitatis, nihil fictũ existimare in verbis inuitatoris. sed sunt nõnulli improbiores, qui se vltrò tuæ mensæ ingerunt, idq́ue magno numero, quos anteà nec noueras, nec videras, iiq́ue non quia amici sunt, sed se amicos aliquandò futuros sperant, pro Pythagorica lege omnia futurorum amicorum cõmunia credunt, homines, me hercle, non malè ad vẽtrem philosophantes. Postremò in Italia, Hispaniaq́ue, dùm templa, arces, armamentaria, ædificia, huiusq́ue generis alia inpsexeris, vel à domo amici alicuius tui, apud quem hospitabaris, discesseris, si custodibus, vel operarijs, aut amici famulis, aliquam gratuitam pecuniolam dare coneris, efficies pro amico, vt inimicus abeas. Tanta est eorũ magnanimitas, vt peregrinis hominibus, gratìs officiũ suum exhibere contendant. Et si aliquandò talia munera istis accipere contingat, id vi coacti, & omninò reluctantes faciunt. At Germaniæ Galliæ've famuli arcium, armamentariorum, templorumq́ue custodes multò contrà, nulla humanitate nec decore seruato, non tantùm nõ recusant, quod facere non nouerunt, sed anteà quàm offeras, præbent ipsi manus, sic vt qui sub arcis præfecto meretur, ianitor, custos, pincerna, pistor, lotrix, cocus, omnes demùm quotquot sunt, prædam inter se, antequàm des, calculis diuidant. Pariq́ue modo in familijs amicorũ fit, à quibus enim amicis anteà quàm discedas, omnes famuli inter se computatione, lucrum aduentantis liberalitatis diuidunt. quę res ità increbuit, vt pro dedecore iam non habeatur. Ad istum modum humanitate, vrbanitateq́ue hæ nationes differunt.

Nunc iudicet Munsterus, & ferat ipse sententiã, & dum mores gentium scribere conatur, edat ea

tantùm, quæ ipſe viderit, & certiſsima habuerit. Mutantur quotidiè ciuitates, oppida, mores, viuendíq; hominum rationes, nec iam Germania Galliáq; tales, quales nobis à Cæſare depinguntur, nec tam barbarę ſunt, quod idem ęſtimare licet de cæteris nationibus. Quid enim hoc tẽpore minùs verum, quod olìm veriſsimum fuit, mercaturam Germanos ob ferocitatem nõ exercere, cùm hoc tempore nullibì magìs Mercurius colatur? Aut eis Solem, Vulcanum & Lunam deos aſſcribere, eiſdemq́; ad annum vigeſimum vſque pubertatem inuiolatam eſſe? Non´ne ſi quis id dicat, vaniora dixerit, q̃ ſi quis etiamnùm Druïdes adhuc apud Gallos ſacrificia adminiſtrare, eosq́; pro victimis vel alios homines, vel ſeipſos immolare, aut Luſitanos lineis thoracibus in bello vti, aut ex inteſtinis captiuorum hominum futura prædicere, vel hordeaceum vinum bibere, & pro oleo butyrum in conuiuijs conſanguineorũ vſurpare, cùm hæc omnia iam euanuerint, & alia viuẽdi ratio introducta ſit? Demùm ſi Munſterus nouos noſtri temporis hominũ mores deſcribere velit, inuiſat prouincias, vt ipſi fecimus, ac tunc ea quæ experiẽtia viderit, ſcribat. quod ſi feciſſet, non oleo carere Baleares dixiſſet, non Hiſpaniam ſterilem, nõ eius incolas immanes, atq; in diſcendo rudes, non Nerium promontorium Celticum vocâſſet, & in Algarbe, cùm in Gallitia ſit, pronunciâſſet, nec multa alia vana, quę prętermitto, ſuo Ptolemæo inſeruiſſet. De his ſatìs, nè videar incandeſcere, aut minutias rerũ non ſatìs minutè tractare. Tamẽ ſciat Munſterus, hãc ipſam Hiſpaniam, de qua nunc loquimur, eandem eſſe, quam ex omnibus prouincijs Cæſar ab initio quæſturæ ſuæ, ſemper chariorem & electiorẽ habuit, in qua nullo

nullo tempore, ob hominum magnanimitatem, & militaris disciplinæ industriam, Romani desiêrunt legiones habere, teste Hirco. Quam etiã Vespasianus tanti fecit, vt ei ius Latij tribuere non formidauerit. Hæc numero deuicta à Romanis, vt Cicero de respons. Arusp. asserit, nunq̃ fuit, sed pietate & religione, quam Romani tunc temporis sibi soli tribuebant. Huic vt cederet terra Cretensis, Iouis incunabulis elata, Plinius iunior in suo Panegyrico voluït. cuius, inter alia, hæc verba sunt: Adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaq́ꝫ omnia vel fructibus plena, vel gregibus, adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poẽtarum auribus mulcendis repertas, aliqua nõnullis gẽtibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sint singula, nec iam excutio veritatem: sint, vt scribitur, Gargara prouentu læta tritici, Meuania memoretur armento, Campania censeatur mõte Gargano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hispaniæ vni, quidquid laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc expertissimos duces, hęc facũdissimos oratores, hæc clarissimos vates parit, hæc iudicum mater, hæc principum est, hæc Traianum illum, hæc deincèps Hadrianum misit imperio. Huic te debet imperium. cedat his terris terra Cretẽsis, parui Iouis gloriata cunabulis. De hac etiã maxima ductus admiratione Budæus lib. 4. de Asse, cùm multorum antiquorũ authoritates in medium attulisset, ista loquitur: Ingentia sunt hæc testimonia de opulẽtia Hispaniæ. Vlteriùs ait: Multa adnotauimus, quæ fide caritura sunt, vt opinor, pręsertim apud eos, qui omnia & præterita, & futura præsentis temporis modulis metiuntur &c. Infinita enim sunt, quæ hîc de lau

dibus

dibus Hiſpaniæ ſcribere potuiſſem, nisì timerem lectori moleſtã fore lectionis prolixitatẽ. Quod ſi quis latiùs intelligere cupiuerit, legat id quod Poſidonius, Polybius, Strabo, Iuſtinus, Solinus, vterq; Plinius, Liuius, P. Velleius, Paterculus, Vegetius, Florus, Pomponius Mela, Stephanus de Vrbibus, Philoſtratus, Diodorus Siculus, Martianus Capella, Cælius de antiquitatibus, atq; Budæus teſtatũ de Hiſpania reliquerunt, apud quos & alios nonnullos tales ipſius Hiſpaniæ laudes reperiet, vt facilè iudicaturus ſit, nos de hac re plura veraq; dicere potuiſſe: quod & feciſſemus, nisì obiectiones nimij in patriam amoris, à maleuolis & infeſtis hominibus timuiſſemus.

Aduectitia, quæ ex Aſiæ, Africæ, nouæq; terræ prouincijs, Regibus Caſtellæ & Portugalliæ ſubditis, quæ innumera ſunt, in Hiſpaniam aduehuntur, ac indè per totam Europam.

Primùm in Caſtellam, ex nouis, vel occidentalibus Indijs, Hiſpalim magna vis auri deportatur.

Argentum.

Aurea vaſa & argentea, mira dexteritate operata.

Vniones. Margaritæ.

Smaragdi. Cyanos, vulgò Turquinæ.

Caſia. Guaiacum lignum.

Dactyli.

Indidèm ex inſulis Canariæ & alijs locis, ſaccarũ, coria bubula & hircina, pſitaci, ſimiæ, atq; veſtes pennis auium miro artificio contextæ, & alia admiratione digna.

Quæ in Portugalliam ex prouincijs ſibi ſubditis aduehuntur, hæc ſunt:

Singulis

Singulis annis ex Nigritarum regnis deducuntur Vlyſsiponem 10.12.millia mancipiorũ, præter alia ex Mauritania, India, Briſiliaq́; aduecta, quæ ſingula paſsim decem, 20. 40. 50. aureis ducatis venduntur.

Prẹtereà ex Nigritarum prouincia apportatur magna auri copia. Goſipium.

Ebur, ex eodemq́; vaſa non ineleganter exculpta, atq; imagines. Hebanum.

Mála Getulica, vulgò paradiſi grana, ſeu mala geta. Coria boum, hircorumq́;.

Panni, mira arte ex palmarum folijs cõtexti, necnon ex Goſipio.

Piper longum. Oriza.

Zibelli (vt vocant) muſiones vel feles.

Dactyli palmarum.

Ex Briſilia, lignum quod Briſil vocatur, & veſtes auium pennis contextæ, ac lecti penſiles, ex goſipio, inſtàr retium connodati, & ſaccarũ optimũ.

Ex India Orientali & Cathaio.

Piperis annuè triciès, quadragiesq́; cẽtena millia pondo, cuius centum libræ venduntur Vlyſſipone 34. ducatis, ſupra quartam ducati partem, quæ ſumma minimùm eſt, duodecim, aut tredecim, aut quatuordecim centenûm millium aureorum ducatorum.

Zingiber.

Muſcata myriſtica, atque eorum flores.

Cynamomum. Gariophyllon.

Reubarbarum.

Myrobalani omnium generum. Caſia.

Dactyli Indici, ſiue Tamarindi, & omnia aromatum genera.

Crocum Indicum.

Lignum

Lignum aloës.
Sandali rubri & albi.
Lacha. Hebanum.
Item gemmæ omnium generum preciosissimæ.
Vniones.
Vasa aurea & argentea, mira industria facta.
Panni serici, & aurei.
Telæ Gosipinæ. Sericum.
Styrax siue styrace, storax vulgò.
Laserpitium, vulgò Belzoi.
Ambar, gris, vt vocant.
Muschus.
Nuces Indicæ.

Scutellæ mira arte ex calce concharum fictæ, quas porcellanas vocant, quarũ nonnullæ precio 50. & 60. & 100. ducatorum venduntur, & alia infinita apportantur, quæ ob prolixitatem omitto.

Elephantes quoquè quinq; vel sex tempore felicis Regis Emanuelis indè allati sunt, quorũ, dũ puer ipsius prudentissimi Regis ab intimis cubiculis essem, treis simul vidi, atque Rhinocerotem vnum, qui omnes Regem ipsum equitantem prę-cedebant. Certamini etiam vnius istorum Elephantum cum Rhinocerote, interfui: spectaculũ sanè admiratione dignum, in quo elephas succubuit. Quem ludũ Rex ipse felicissimus Emanuel Vlyssipone præbuit, Anno (si benè memini) 1515. vel 16.

Ex Insulis Madeira Hesperidũ Sancti Thomæ, principis, atq; alijs magna saccari copia. Glastum quoquè & gosipium ac frumentum ex his insulis vehitur.

Ex Brisilia, ac Nigritarum prouincia, psittacorum, cercopithecorum, simiarum, aliorumq; miraculorum, ingens turba apportatur.

Hæc

Hæc sunt quæ de fertilitate, opibus, nobilitateq́ Hispaniæ, à me, Nanni doctissime, scire petîsti: quæ, te volente, iubenteq́, ea lege scripsimus, vt omnibus ius faceremus castigandi, mutandi, augendi, quod mirificè exoptamus, haud ignari, plurima esse à nobis omissa, quibus Hispania ornatur, & celebrari posit. Tu interìm viue, & vale, boniq́ consule. Louanij 12. Cal. Decemb. Anno 1541.

FINIS.



INDEX RERVM AC VERBORVM PECVLIARIS IN PRAECEDENTIA ALIQVOT DAMIANI A GOES OPVSCVLA.

custo-

feri-

quid-

lusi-

Nemi-

sacer-

FINIS.



